DE ABBREUIATORUM DE PARCO MAIORI, SIUE ASSISTENTIUM...

Giovanni Giustino Ciampini,
Josè Maria Fonseca de Evora


8
6 E
8

Google

DE
ABBREVIATORVM DE PARCO MAIORI,
SIVE
ASSISTENTIVM S.R.E. VICECANCELLARIO

In Literarum Apoſtolicarum expeditionibus antiquo ſtatu, illorumue in Collegium erectione, munere, dignitate, prærogatiuis, ac priuilegijs.

DISSERTATIO HISTORICA

IOANNIS CIAMPINI ROMANI
MAGISTRI BREVIVM GRATIÆ,
Eidemque Collegio adſcripti.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. XCI.

SVPERIORVM FACVLTATE.



EMIN.MO ET REV.MO DOMINO

FRANCISCO NERLIO

S. R. E. PRESBYTERO

CARDINALI AMPLISSIMO.

IOANNES CIAMPINVS FELICITATEM.



VI ſuum in alios animum officioſum gratumque eſſe ſeriò profitetur, id ei omni ope eſt contendendum, vt nulla vmquam tempora, nullamque occaſionem, quâ obſequij ſui argumenta exhibere poſsit, præterijſſe videatur. Ipſe igitur, qui ſtudia hæc ſupra cæteros colere mecum à prima ætate conſtitui, cùm haſce lucubrationes de origine Collegij Abbreuiatorum,

eorumque munere, priuilegijs, & prærogatiuis in lucem proximè ſim emiſſurus, meum eſſe putaui, eas Tibi, Princeps Eminentiſsime, conſecrare, qui cùm Amplitudine Tuâ, tum egregijs meritis ab omnibus quidem, ſed à me, quem peculiaribus beneficijs honoribuſque ſæpius cumulaſti, iure quodam præcipuo venerationem ac grati animi teſſeram exigis. Quamuis præter hæc priuatæ gratitudinis officia, plurima alia ſint, quæ me ad illud non modò excitare, ſed etiam, ſi reluctarer, ſuauiſsimâ quadam vi cogere poſſunt. Enimuero quàm grande mihi foret incitamentum ad hæc Tibi dedicanda nobiliſsimum, & longo ordine Auorum clariſsimum genus tuum, quod Buchari Galliæ Narbonenſis Pagi, prope Vrroſam Fluuium, olim Dominus; deinde Hugone Arrelatorum Rege Duce, Florentiam migratum, vbi ab Hugone Brandiburgenſe eiuſdem Regis Nepote proprijs inſignijs decoratum. Poſtmodum etiam Farneti Pago, qui & Nerlaria appellatus eſt, plurimiſque locis in Roncilione Podio, Florentini Status, dominatum fuit; at quod mirari maximè decet, eximię, ſingulareſque animi dotes, quibus non in Vrbe ſolùm, ſed totam latè per Europam adhuc effulges, quàm vario, ac ſpecioſo munere inſignis, præſertim verò Nuncij Apoſtolici, quod modò ad Sereniſsimum

mum Poloniæ Regem, modò ad Imperatorem, modò ad Christianissimum Regem Galliarum feliciter obijsti; Romam reuersus, purpurâ, quam merueras decoratus, supremus huius S. Sedis Status à Secretis renunciatus fuisti. Verùm quia Te modesto quodam rubore suffundi vereor, & ea satis superque in aperto sunt, gloriosam operum tuorum, ac muniorum seriem recensere, quamuis iniquo animo, maximoque cum sinceræ voluptatis dispendio, supersedeo. Ea tamen, Princeps Eminentissime; præterire nullatenus possum, quæ Tibi hanc opellam peculiari titulo vendicant. Primum est, quòd olim Tu quoque inter Abbreuiatores fuisti, nostrumque Collegium mirificè illustrasti: Alterum, quòd eandem hanc, quam ipse suscipio, Collegij huiusmodi describendi prouinciam, vel in prima ætate suscipere cogitaueras. Et equidem quanto meliori fato id exegisses, nisi Te bonorum omnium largitor Deus non ad hæc humilia, sed ad longè maiora studia euocasset. Itaque sua quidem huic operi fortuna erepta est, mihi tamen summæ semper laudis, gloriæque fuerit ipsam hanc aleam, Te præeunte, subire, inque illud eniti, & in lucem tandem emittere, quod ipse iam mente conceperas. Spero igitur fore, Eminentissime Princeps, vt quamuis nulla alia sint,

quæ tuam Tibi beneuolentiam concilient, antiquæ tamen tuæ voluntatis intuitu meos hosce labores libens excipias, quos ego vnâ hac de causa subiui, vt Collegio deuotionem, Tibique gratum atque officiosum animum meum probare quoquomodo possem. Vale ad Ecclesiasticæ Reipublicæ bonum, nate Princeps.

OPERIS PROPYLÆVM.

ESTARVM rerum cognitio in benè ac rectè viuendo ſimulq; operando, quantum afferat vtilitatis, qui ambigat, neminem eſſe puto, cùm magiſtram vitæ noſtræ cognitionem hanc rectè appellare poſſimus; nam ad prudentiam, ad fortitudinem, ad rerum gerendarum peritiam, ad omnes denique virtutes mortalium animos concitat; vnde hi laude ipsâ nil antiquius, turpitudine autem nil deteſtabilius exiſtimârunt. Veteres enim, B apud quos virtus in pretio fuit, in Maiorum ſuorum ſimulacris erigendis, in foro maximè, ſtuduerunt, vt eorum exemplo ſpectatores ad magna patranda facinora incitarentur. Haſce vtilitates humano generi ſola ſuggerit hiſtoria, quæ non muta vt ſtatuæ, non vana vt pictura, ſed veras geſtarum rerum, ac præclarorum Virorum imagines nobis exprimit, quas intueri, & cum illis loqui, quas conſulere, & imitari, vt viuos homines, poſſumus. Quare pro ingenij tenuitate hanc Collegij mei Abbreuiatorum de Parco Maiori deſcribendam prouinciam libenter ſuſcepi, tam in præſentium qui me ad id inuitârunt, quàm poſterorum Collegarum gratiam, vt hac in hiſtoria, tanquam in ſpeculo, proſpicere valeant, in quanta dignitate collocati ſint, quale ſpectet ad eos munus, ac quomodo in illo ſe gerere debeant, qualemue habuerint Sedem in munere Anteceſſores, intelligant. Legant igitur æquo animo, & ſi quid oblectamenti, ſiue vtilitatis accipient, non mihi, ſed bonorum omnium largitori Deo gratias referant, qui otium hoc, hancque A habilitatem, qualiſcumque ſit, ad hæc ſcribenda ineffabili ſuâ bonitate mihi elargiri dignatus eſt.

Decens igitur, imò rationi conſonum arbitramur, ſi antequam ad peculiarem Collegij Abbreuiatorum de Parco Maiori hiſtoriam, ſiue narrationem deueniamus, aliqua de Auctoribus illis, qui ſparſim de huiuſmodi Collegio ſcripſere, notemus; præſertim cùm nolimus alienos occultare labores, ſed potius eos laudibus extollere, qui curam, & ſolicitudinem habuerunt præteritorum, & ſuorum temporum geſta; Poſterorum demandare memoriæ.

Hic potius Catalogum, quàm Scriptorum dicta referimus, quoniam ea, quæ ipſi dixerunt, noſtri ſermonis progreſſu, etiam narranda ſunt, ideo potius laconico, quàm lacinioſo ſtylo vti volumus, cùm gaudeant breuitate moderni.

Primus igitur, nimirum prior in tempore, quem reperi Scriptorem, qui Abbreuiatorum meminerit, eſt Hieronymus Paulus Barchinonenſis, literarum Apoſtolicarum Viceccorrector, quique Synchro- C nus Bartholomæo Platinæ fuit, ſcilicet circa annum 1480. vt in ſua Practica Cancellariæ teſtatur, vbi in principio agit, quòd Iudex per ſe ipſum poteſt ſe informare à practicis, & exercitatis in ſtylo Romanæ Curiæ, ac ab Abbreuiatoribus. Sic Auctor iſte ait. *Ita ſæpe faciunt Domini de Rota informantes ſe de ſtylo à DD. Abbreuiatoribus, vel Correctore, & alijs in ſtylo Ro:Cu: exercitatis, & interdum etiam à Pœnitentiaria &c.*

Anno 1499. Polydorus Vergilius eruditum edidit Tractatum, cui titulum impoſuit: *De rerum Inuentoribus*. Is in

lib.

lib.8.cap.2.sic narrat: *Pius deinde II. Ioannis exemplum sequutus, Breuiatores creauit, in ordinemque redegit.*

Triginta circiter post annos Ludouicus Gomes Episcopus Sarnensis Sacri Palatij Apostolici Auditor Commentaria in Regulas Cancellariæ ab ipso concinnata, publici Iuris fecit, vbi in proœmio, ac in capite inscripto: *Episcoporum dignitatis Diminutio*.num.25.disserens de Regulis Cancellariæ sic fatur: *Nam quoad Regulas attinet Ioannes XXII. in suis Regulis hoc tantùm egit. Abbreuiatores instruere, videlicet quomodo literas in Cancellaria iuxta supplicationum varias signaturas deberent expedire*. Et in quæst. 2. eiusdem proœmij num. 16. agit quomodo dentur Cancellariæ Apostolicæ Regulæ, quas dupliciter dari exponit, *nempe in Curia, & tunc sufficit, quòd dentur per Vicecancellarium, vel Regentem Cancellariæ cum subscriptione duorum Abbreuiatorum, & extra Curiam &c.* Item in quæst.6. supra citati proœmij num. 7. sic ait: Ita *consulti responderunt Abbreuiatores: qui dixerunt, per illa verba latissimè extendendi, posse Regulas de verbo ad verbum in Bulla inseri, sicuti fieri potest de clausula, quorum tenores &c.*

Octauianus Vestrius, qui floruit sub Pontificatu sanct.mem.Pauli PP.III.in sua Practica lib.1.num.2.& 3.Abbreuiatorum meminit.

Berous in I.Decretalium, cuius impressio est Bononiæ anno 1550. in Rubr. de rescript. num. 10. & 11. pag.58. sic ait: *Aliqua etiam rescripta Breuia vocantur, in Auth. de Consul. §.fin. & in cap. de feud. guard. vers. sed et sunt illa, quę à secretis Principis, et eius mandato conficiuntur, et in cera rubea annulo Principis signantur, et appellantur Breuia, quasi breuibus verbis concessa, vt per Bald. et Iacob. de Aluet. in cap.1. in princ. de controuers. inest bonus Textus in l. fin. de conuers. debitor. lib.10. et qui hoc officium Scribendi habent, Abbreuiatores appellantur in Auth. de Consul. circa finem.*

Anno 1585. die 16. Decembris è Rota decisio emanauit coram R. P. D. Seraphino, quæ est inter eius impressas, in ordine *la* 716. vbi agitur de præeminentia, quam habebat Corrector literarum Apostolica-

A rum in Parco, cuius dubij resolutio fuit: Correctorem ordinem antiquitatis in negotijs Parci obseruare debere.

Petrus Gregorius Tholosanus in suo Syntagmate Iuris vniuersi lib.5. cap. 42. num.3. hanc de Abbreuiatoribus mentionem facit: *Sunt Vicecancellario in Cancellaria plures personę, id est Abbreuiatores Maioris Parci, quorum munus est ex supplici libello signato diplomata, seu literas signare, quarum dictaturam Minutam vocant*. Parua hæc sic confusa, atque errata leguntur: quæ an sint Auctoris, vel

B Impressoris error ignoro; puto igitur sic legendum: *Quorum munus est ex supplici libello signato diplomata, seu literas formare, quorumque dictaturam Minutam vocant.*

Obiter eorundem Abbreuiatorum etiam meminit Parisius cons.112. lib.4. num. 9. vbi sic; *Nec satis obstat, quòd arguatur eiusmodi expeditio, facta per Cameram, quia esto Abbreuiatores, qui eo nomine appellantur, tanquam breuiori compendio, concipiant impetrata in supplicationibus, quas postmodum latiùs extendunt in literis;*

C *prout etiam alias de Abbreuiatura notat per Bald. in l. Chirographa ff. de admin. Tut.*

Parisium sequitur Mandosius in suis Commentarijs ad Regulas Cancellariæ Reg.31. quæst.7. num.3. vbi supra memorati Parisij, ac Pauli Barchin. repetit verba, quæ, cùm narrata iam sint, libenter omittimus.

Melchior Lotterius viuente Summo Pontifice Vrbano VIII. composuit, ac edidit Tractatum *De re beneficiaria*; vbi in lib.3. quæst.1. num.34. etiam de Abbreuiatori-

D bus meminit, videlicet referendo ea, quæ à Vestrio, & à Tholosano supracitatis enarrata sunt.

Itidem Rasponus in sua Basilica Lateranensi lib.7.cap.7.vers. *Irrepserit*; multis, ac iustis laudibus extollit, sanct.mem. Alexandrum VII qui Cappellam Pontificiam nobilitaturus Ministros selegit nobilitate ac officiorum dignitate insignes, inter quos, Abbreuiatores connumerantur.

Copiosissimo calamo de Abbreuiatoribus egit Pyrrhus Corradus in suo Tractatu *De dispensationibus Apostolicis* edito Neapoli anno 1641., vbi lib. 2. cap. 3. num.2.

num. 2. narrans de literis Apoſtolicis, pro quibus conſtruendis, limitandis, ac ad debitam formam reducendis ait; Summum Pontificem deputaſſe Abbreuiatores Maioris Præſidentiæ in Cancellaria Apoſtolica, eiſque dediſſe Regulas dictæ Cancellariæ, vt literas poſſent expedire, vel denegare, ac gratiam in ſupplicatione contentam ampliare, limitare, ac pro, vel contra impetrantes, mentem Pontificis interpretari.

Poſt nonnullos annos, nempe 1653. alius prodijt in lucem liber, cui titulus inſcriptus fuit: *Notitia Cardinalatus &c.* Auctore Iacobo Cohellio. Is in cap. XXII. multa ſummatim de Abbreuiatoribus congeſſit.

Sequenti anno 1654. alius è Typis euulgatus fuit liber, cum tituli appoſitione: Tractatus de officio & Iuriſdictione Datarij, & de ſtylo Datariæ. Auctore Theodoro Amydenio, vbi pluribus in locis de Abbreuiatoribus agitur, nempe quòd Abbreuiatores non cogunt partes inſerere literis omnes gratias, in ſupplicatione contentas; quandoque etiam mutant ipſam gratiam in eo, quòd facit gratiam minorem; iudicant etiam ſuper recta expeditione literarum, ac conficiunt earundem Minutas, ac dicuntur Periti ſupplicationum.

Formoſinus, cuius operæ in publicum Lugduni prodiere, anno 1662. ad cap. 4. *De Officio Vicarij* quæſt. 3. num. 24. & ſeqq. exprimit ea, quæ ab alijs dicta ſunt, nempe Abbreuiatorum officium in Romana Curia eſſe, breui compendio concipere impetrata à Papa in ſupplicationibus, quæ poſtmodum latiùs extenduntur in literis, & ad quæ officia per gradus admittuntur, illaque reſignabilia ſunt, de quibus infra, ac pleniùs ſuo loco dicemus.

A

Accedit ad Formoſinum Ioannes Baptiſta de Luca, qui poſtea purpurâ donatus, Cardinalitia dignitate condecoratus fuit. Is in ſua relatione Romanæ Curiæ, quæ Romæ anno 1672. Typis mandata fuit in diſcurſo 10. ſic de Abbreuiatoribus fatur. *Vt autem huiuſmodi literarum expeditio bene ſequatur, omnibuſque fraudibus, & inconuenientibus, quò magis pro humana conditione fieri poteſt, occurratur, plures inſtituti fuerunt huius Cancellariæ Officiales, quorum aliqui ſunt maiores, Prælaturam annexam habentes, quales ſunt, omnium primus ille, qui dicitur Cancellariæ Regens, ac etiam illi, qui dicuntur Præſidentes de duplici Parco Maiori, ac Minori, qui reſpectiuè quoddam Collegium, ſeu Tribunal conſtituunt, in quibus collegialiter, tanquam per ſpeciem iudicij deciduntur dubia, quæ oriri contingunt ſuper literarum formula, vel clauſulis, & decretis in eis adijciendis, ac etiam ſuper emolumentorum ſolutionibus, alijſque contingentijs.*

B

Demum anno 1676. Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Thomas de Roſa Epiſcopus Cauenſis in lucem emiſit Tractatum de Exequutoribus literarum Apoſtolicarum, vbi cap. 1. num. 33. etiam agit de Abbreuiatoribus; cumulando ea, quæ anteriores Scriptores dixerunt, quæque hìc repetere incongruum eſſe putamus.

C

Quamobrem operæ pretium exiſtimauimus haſce Auctorum notitias præmittere, vt Lector noſcat nos nullis laboribus pepercisse, nullaſque intermiſiſſe diligentias, vt quantum in nobis eſſet, opus abſolutum euaderet. Si verò aliquid hìc deſit, & infra dicendis deerit, homines ſumus, & non omnia vidimus, neque ſcimus.

INDICVLVS AVCTORVM,

Qui de Abbreuiatoribus tractârunt.

INDEX CAPITVM.

De mandato Reuerendissimi P. Sacri Apostolici Palatij Magistri Fr. Thomæ Mariæ Ferrari egregium Tractatum, quem de Abbreuiatoribus de Parco Maiori Illustrissimus D. Ioannes Ciampinus conscripsit, studiosè, accuratèque perlegi, nec vulgari solùm approbatione, at singulari laude vbique dignum adinueni. Etenim non modo præclara tam Insignis Collegij Originem, Munia, Dignitates, Prærogatiuas, & Priuilegia refert, atque illustrat, sed & plura ad Apostolicæ Cancellariæ Praxim luculenter compaginat; Adeout in hoc genere (quod nondum satis innotuit) solidiùs quidquam, atque absolutum magis numeris suis videatur non posse desiderari. Cùmque nullibi lapsus vllus, aut quidquam à Fidei doctrina dissentaneum occurrat, meritò inter cætera iam edita, vel sub prælo existentia Opera ab eodem Auctore, satis de Republica literaria, tum Sacra, tum Profana meritissimo elucubrata, erit enumerandus. Hic itaque Liber dignissimus erit, vt in eorundem Illustrissimorum Abbreuiatorum decorem, ita & Cancellariæ Apostolicæ Officialium vtilitatem prodeat in lucem, si per P.V. Reuerendissimam ita licuerit.

Ioannes Baptista de Palagio.

IVssu Reuerendissimi Patris Sacri Palatij Apostolici Magistri P. Thomæ Mariæ Ferrari vidi Tractatum *De Abbreuiatoribus de Parco Maiori &c.* Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Magistri Ioannis Ciampini Abbreuiatoris de eodem Parco, nihilque in eo adnotaui Fidei, nec bonis moribus contrarium, immò vti ingenuâ relatione conceptum, & valde eruditum, puto vtilitatis fore illum Typis demandari facere. Romæ 30. Octobris 1690.

Ioannes Louys.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sac. Apostolici Palatij Magistro.

S. *I. Menattus Episc. Cyren. Vicesgerens.*

Imprimatur

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Apostolici Palatij Magister, Ordinis Prædicatorum.

DE ORIGINE ABBREVIATORVM DE PARCO MAIORI

CAPVT I.

MVNDANARVM rerum ordo in eodem ſemper ſtatu minimè permanet, ſed longa, perpetuaque rotatione dilabitur. Attamen multa poſt ſecula in lucem ipſum redire, ac reuiuiſcere aſſeri valet; quamuiſue ab antiqua, priſtinaque forma diuerſus appareat, nihilominus ſi, detractâ laruâ, intus eum benè rimemur, ſi non idem prorſus ſit, parum à primo differre animaduertetur. Hoc autem in præſenti maximè experior, dum Abbreuiatorum originem quæro, quæ cum longa annorum ſerie in obliuionis tenebris immerſa ſit, ſi non illam, ſaltem aliam illi proximam inquirere tento; proptereaque ad Imperatorum, priſcorumque Romanorum Pontificum tempora me confero.

Primo loco igitur examino, qualia fuerint Officialium nomina, qualiaue munera, Imperatorum temporibus, ipſi obiuerint, cum iſti in œconomica, profanaque politia Pontifices præceſſerint. Hæc verò nobis exponit eruditiſſimus ſcriptor Iacobus Gutherus in ſuo Tractatu de Offic. Dom. Aug. ac inter hæc nullum aliud reperio, quod magis conſentaneum officio Abbreuiatorum ſit, quàm illud Cancellarij, quod idem Gutherus lib.2. cap.9. ſic explicat: *Pro annonis Cancellariorum auri* A *libras vij. Hi ſunt propriè quales à ſecretis Præfecti Prat. & Iudicum Cancellarij dicuntur, qui quidem nec inter officia, ideſt inter Præfectianos numerantur, ſed inter eos, qui publicam ſolicitudinem gerunt, & in dignitate ſunt conſtituti: ſic vocati, quod intra Cancellos ſcribendis, & expediendis Epiſtolis, Iuſſionibus, Edictis, Relationibus, Reſponſis, Sententijs Iudicum operam darent.* apertiùs Cancellariorum munus exponit vet. Gloſſ. nempe: B *Cancellarius eſt, qui habet officium ſcripta reſponſaue Imperantis, atque mandata inſpicere, ac malè ſcripta cancellare, & benè ſcripta ſignare.* Quæ omnia adamuſſim Abbreuiatorum muneri conueniunt.

Breuiter quale Officium, Imperatorum temporibus, huic Abbreuiatorum conſentaneum fuerit, demonſtrauimus, modò igitur, quale apud veteres Pontifices, oſtendemus.

C Clemens igitur Sanctiſſimus Pontifex, huius nominis Primus, Beati Petri ſucceſſor, ſeptem Notarios per ſeptem Vrbis Regiones, inſtituit, qui acta Martyrum deſcriberent. Perſecutionibus poſtea ceſſantibus, minimè propterea eorum officium ceſſauit, cùm de illis apud Hiſtoricos reperiatur mentio; fatendum ergo eſt, aliud eiſdem fuiſſe demandatum munus, nimirum, vt ad Sedem Apoſtolicam ſpe-

ſtantia colligerent, ac concinnarent; inter quæ recentioribus ſeculis munus conficiendi notas connumerandum eſt, quas modò appellamus minutas Prouiſionum Eccleſiarum, vt infra, in hoc noſtro Tractatu fuſiùs explicabimus.

Ex ſupra adductis clarè patet, Abbreuiatores de Parco Maiori, de quibus noſter eſt ſermo, eoſdem repræſentare, qui antiquitus Cancellarij, & Notarij appellabantur, ac vocari de Maiori Parco, quia dum ipſi expediunt Bullas in Palatio Cancellariæ, intra Cancellos manent, vt infra in etymologia vocis *Parco* dicturi ſumus: vnde à loco, Cancellarij denominari poſſunt, & eò magis nomen hoc eis competit, quò magis eorundem Caput, ſiue Præfectus, olim Cancellarius, nunc Vicecancellarius S. R. E. appellatur. In munere ijdem ſunt, ac, vt nuper diximus, Antiqui, ſcilicet à ſecretis, ſiue ab epiſtolis Principis, quia epiſtolas publicas, videlicet literas Apoſtolicas, vulgò Diplomata, aut Bullas denominatas, conficiunt.

Sunt etiam Notarij, quia notas, ſiue minutas Prouiſionum Eccleſiarum exarant.

Quare ex narratis noſtram propoſitionem adimpleuiſſe putamus; ſupereſt modò inquirere, vnde Abbreuiatoris vox originem ſumpſerit.

CAPVT II.

De Etymologia Vocis Abbreuiator.

QVIA ſæpe ex intima vocum notione, ipſa rerum proprietas, & natura dignoſcitur, quæ veluti ſub quodam velamine, aut fuco, ſeu myſtica nominis appellatione latebat; & vt cum Sulmonenſi Vate loquar

Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

ideo inſtituti Operis exordium, quaſi ab ouo, ab ipſius vocis explicatione educere conabor.

Abbreuiator igitur, infimi ſeculi vox eſt, ac ni fallor, vt huic muneri inſeruiret inuenta, atque conflata. Sed quamuis vox iſta nouitatem redoleat, ipſe tamen fons, à quo emanare videtur, minimè recens eſt. Nil enim certiùs, quàm

A à verbo *abbreuio* originem traxiſſe, quo vtitur Vegetius, quarti ſeculi Scriptor in Prologo lib. 3. vbi: *Quæ per diuerſos Authores*, ait, *libroſque diſperſa, Imperator inuicte, mediocritatem meam abbreuiare iuſſiſti; ne vel faſtidium naſceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deeſſet in paruis*. Vnde *abbreuiare* nihil aliud eſt, niſi in epitomen, ſiue in compendium reducere, ac paucis ſcribere, ſiue vocibus non extenſis aliquid exarare; quæ quidem compendioſa ſcriptura à C. Barthio *abbreuiatio* appellatur lib. 35. Aduerſar.

B cap. 18. ſiue vt legit Ioannes Caluinus *abbreuiatura*, quam tamen vocem à verbo deducit, cuius exemplum apud idoneum Auctorem reperiri negat Spiegelius. Sed quàm futilis hæc opinio ſit, quantumque habeat falſitatis, ex Vegetij auctoritate, ſupra allata, vnicuique patebit. Eſt igitur *abbreuiatura*, ſiue *abbreuiatio* inſtrumentum Notarij non extenſum in l. Chirographis in princ. in verb. ſecundo nota ff. de adminiſtr. Tutor. vnde colligi poteſt *Abbreuiatores*

C quaſi Notarios dictos eſſe, quod & vocis ſimilitudo, vniuocuſque ſignificatus facilè perſuadent, cum *abbreuiatura*, & *nota* ſynonyma vndequaque videantur. Notæ enim ſpeciatim dicta compendia τῶν ταχυγράφων ideſt *velociter ſcribentium*, qui & inde *Notarij* dicti ſunt. Erant autem *notarum* duo genera, vel enim litera vna totam vocem ſignabat, vel erat *nota* conficta, quæ litera non eſſet. Prioris generis eſt cum ff. pro *Digeſtis*; poſterioris cum §. pro *Paragrapho* ſcribimus. Hinc Manilius lib. 4.

D *Hic & Scriptor erit velox, cui litera verbum eſt,*
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis,
Excipiat longas noua per compendia voces.

Abbreuio autem à verbo *breuio* rectè componitur, quod idem cum eo ſignificat, atque ab antiquis Scriptoribus vſurpatur. Sic apud Tertullianum ex Daniele contra Iudæos cap. 8. *LXX. Hebdomadæ breuiatæ ſunt ſuper plebem tuam, & ſuper Ciuitatem Sanctam*. Et Quintilianus de Paraphraſi loquens lib. 1. cap. 92. *Qua & breuiare quædam, & exornare ſaluo modo Poetæ ſenſu*

sensu permittitur. Idem in 11. *Numerorum raro decens alleuatio, atque contractio est, breuiatur enim ceruix*. Idem lib. 5. cap. 13. *Si callidè quid tacuisse, breuiasse, obscurasse, distulisse dicuntur*. Vnde rectè Barthius MMS. Censorini germano, legitimoque sensui restituit, dum illa verba: *Igitur quæ Veteribus de Origine humana fuerint opiniones, ex his quædam breuiter exponam*, legenda putat; *quædam breuians exponam*.

Ab hoc verbo deducitur vox *Breuiator*, cuius fit mentio in Nou. περὶ τῶν ὑπατῶν. §. τοὺς μέντοι. Dicuntur enim Abbreuiatores *Breuium Scriptores*. Sed & sic dicuntur in Curia Romana Officiales, qui rescripta eiusdem Curiæ, & scribunt, & dictant. Pratheius apud Ioh. Caluinum Lexic. Iurid. quod quidem munus, seu officium hodie exercent Abbreuiatores, qui *à Summarijs Supplicationum* etiam dicuntur, & quorum munus est, *incumbere ad Bullarum Pictacia*.

Possunt etiam dici Abbreuiatores *à Breue*, quod Epistolam denotat Pontificiam, vel quia *breuiori* stylo formatur: vel à Germanicâ, vel Gallicâ voce *Brief*. sed probabilius est *Breue* dici quasi βραχὺ vt tenet Festus, nempe conuerso X in V quomodo à μαλάχη est *malua*, Zonaras in Concilio Cathaginensi sic de hac voce loquitur: βρέβιον, ἡ ἐπιτομὴ λέγεται, καὶ σύντομος γραφή. idest: *Breue Summarium dicitur, siue compendiaria scriptura*. Sed quia hoc nomen multifariam apud Antiquos vsurpatur, non abs re erit, si varias eius notiones, simulque antiquitatem in medium proferamus; Latinam esse hanc vocem nemo est qui ambigat, cum eâ prisci vtantur Scriptores. Elius Lampridius sic de Alexandro Seuero scribit: *Milites suos sic vbique sciuit, vt in cubiculo haberet Breues, & numerum, & tempora Militantium, semperque cum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus*. Erant enim huiusmodi Breues οἱ κατάλογοι τῶν στρατιωτῶν, *catalogi Militantium*, in quibus numerus, stipendia, dignitates, aliaque necessaria adnotata erant: vnde legendum puto cum Casaubono: *vt in cubiculo haberet Breues, & numerum, & tempora militantium indicantes*; vt intelligatur, omnia illa ibi conscripta fuisse, aliter vacua erit sententia, ac oratio imperfecta. Pro eodem sumitur apud Flauium Vopiscum in Aureliano, vbi de Mnestheo Secretorum Notario ait: *Breue nominum conscripsit mixtis ijs, quibus Aurelianus verè irascebatur, cum ijs, de quibus nihil asperum cogitabat &c.* & apud Vegetium lib. 1. cap. 19. *Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, Breuibus inseruntur*; vbi nihil aliud denotat vox *Breue*, nisi catalogum, vel seriem nominum, vt paulò inferius confirmatur; *& Breue legit singulis quorum nomina continebat*. Aliter sumitur apud eundem Vopiscum in Bonoso, ac in Epistola Aureliani Augusti ad Gallonium Auitum, vbi hæc habentur: *Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei iuxta breue infrascriptum omnia, quæ præcipimus, sumptu etiam publico, nuptias celebrabis. Breuis numerus fuit: Tunicas pallio latas &c.* hic enim *Breue* pro libello concessionis, in quo Hunilæ dos continebatur, accipiendum est. Pro libello concessionis sumendum etiam in antiqua inscriptione Romæ sub Ianiculo: *Accipere secundùm constitutum breuem molendinarios, tam in Ianiculo, quàm per diuersa præcipimus*. Vide Gruteri Inscript. pag. 1114. num. 6. Accipitur aliquando pro chartula indicem continente, sic apud S. Augustinum contra Crescon. Grammat. lib. 3. cap. 29. *Contrascribente Victore Aufidij in Breue sic: Calices duo aurei, item Calices sex argentei &c.* significat quandoquidem libros actionum, quas secum in Iudicium afferunt Causidici; sic apud Iuuenalem sat. 7. vers. 106.

Dic igitur quid Causidicis ciuilia præstent
Officia, & magno Comites in fasce libelli.

Ad quæ verba vetus Scholiastes hæc subdit: *Comites in fasce libelli: Breues significat*. Sunt aliquando Breues acta Notariorum, vt apud Ælium Lampridium in Alexandro Seuero: *Cùm Notarium, qui falsum &c. Breuem in Consilio Imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis, ita vt numquam posset scribere, deportauit*. vbi pro *falso Breue* intelligendum *falsum actum*, quod qui deportauerit, digitorum incisione mulctabatur. Spectarunt hoc

sæpè antiqui Legum Conditores, vt qua A parte quis peccasset, eâdem puniretur; quod multis exemplis probat Iacobus Cuiacius lib.7. obseruat. cap.13.

Frequentissima est Breuis mentio pro summaria narratione, siue compendiosa quadam scriptura. Sic apud Iustellum in Cod. Canonum Ecclesiæ Africanæ sub num.93. in fine, vbi Canonis Synodi Carthaginensis mentio fit hisce verbis: *sed ad instructionem Studiosorum eiusdem Concilij Breuem digessi*; eodem sensu accipitur apud Victorinum de Apostolo Paulo, vbi sic: *& in breue contrahens prædicationem* B *suam ad Timotheum ait: vt scias qualiter &c.*

Appellantur etiam Tabellæ exiguæ, in quibus & nomina debitorum, & priuata quædam negocia adnotantur. l. vlt. C. de conueniend. fisc. debit. lib.10. l. 1. C. de excusat. Artific. eod. lib. & l.1. C. de exacto. tribut. eod. lib. ac l. 1. C. de Apoch. pub. eod. lib. necnon penult in fin. C. de Canon. largitio. lib. eod.

Interdum *Breuis* idem significare videtur ac *Inuentarium*, vt in Synodo Romana sub Bonifacio II. PP. *factus est autem* C *Breuis de sacris vasis, atque rebus ecclesiasticis*. Vsurpatur eadem vox à Græcis recentioribus; Sic illi βρέβιον & βρεβεῖον dicunt. Glossæ Iuris βρεβεῖον ἡ καταγραφή. Anna Comnena Alex. 6. καὶ τὰ βιβλία εἰς μέσον τηνικαῦτα προυτίθετο, βρέβια ταῦτα ἡ συνήθεια οἶδε καλεῖν ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ τε μηνὶ ὄντα κειμήλια. *Et libellos tunc in medium afferebat, Breuia hæc consuetudo vocare cæpit, in quibus inscribebantur supellectilia in vnoquoque* D *mense existentia.*

Et Iulianus in Epistola 25. ad Rempublicam Iudæorum τὰ βρέβια τὰ καθ᾽ ὑμῶν φυλαττόμενα, *Tabellæ, siue Breuia, quæ contra vos asseruabantur*; & paulo post: καὶ πυρὶ παρέδωκα τὰ βρέβια τὰ καθ᾽ ὑμῶν ἐν τοῖς ἐμοῖς σκρινίοις ἀποκείμενα. *& Breues incendi, qui in meis scrinijs ad vos opprimendos custodiebantur*. Et est frequens in libris βασιλικῶν, dum rationes, volumina, vel corpora rationum significantur, quę quidem per se sola fidem non faciunt l. Instrumenta l. exemplo C. de probat.

Plures alias Vocis *Breuis* notiones vide apud Du Cange in suo Magno Glossario, qui multa in vnum collegit, nos autem istiusmodi significationibus tantùm contenti, ad aliam, quæ ad nostrum pertinet institutum, cæterisque nobiliorem, gradum faciamus.

Hodie igitur, quod magis in vsu, *Breue Apostolicum* est diploma, siue rescriptum Papæ, vel Pœnitentiarij Maioris, scilicet breuis scriptura in membrana exarata, quæque, vt plurimum, in parui momenti negocijs obseruatur, cuique bulla plumbea non appenditur, sed in cera rubra imprimitur annulus Piscatoris. Quibusnam igitur maiori proprietate Abbreuiatorum nomen aptari poterit, quàm illis, qui Breuia Romanæ Curiæ & scribunt, & dictant, corriguntque, & præcipuè cùm huiusmodi rescripta, siue breuia, vt moris est, abbreuiaturis conscribi soleant, imò & cum ipsa Breuia summariè, ac compendiosâ quadam dicendi formulâ conscribantur, quæ omnia hac voce *Abbreuiator* facile comprehenduntur.

CAP. III.

De Vocis Parco *Origine.*

VARIA de huiusmodi vocis *Parco* alij dixerunt, atq; autumarunt; nam si Gellij dictis lib.3. cap.19. acquiescere velimus: *Parcus, inquit, composito vocabulo dictus est, quasi par arcæ: quando sicut in arca omnia reconduntur, eiusque custodia seruantur, & continentur, ita homo tenax, paruoque contentus, omnia custodita, & recondita habet, sicuti arca: quam ob causam Parcus, quasi par arcæ nominatus est. Tum Phauorinus: vbi hæc audiuit: superstitiosè inquit, & nimis molestè, atque odiosè confabricatus, commolitusque magis est originem vocabuli C. Bassus, quàm enarrauit; nam scilicet res dicere commentitias, cur non probabilius videatur, vt accipiamus Parcum ob eam causam dictum, quod pecuniam consumi, atque impendi arceat, & prohibeat, quasi pecuniarius? Quin potius quod Simplicius inquit, veriusque est, id dicimus? Parcus enim, neque ab Arca, neque ab arcendo, sed ab eo, quod est parcum*

cum, & parum denominatus est. Hæc Gellius; at nostram minimè ferit quæstionem, cùm de homine in conseruandis rebus solicito loquatur, non autem de loco, de quo quæritur; quare aliam explicationem indagare debemus. Recens igitur eruditissimus Du Cange, cuius cineres æternæ memoriæ sacrandi sunt, ob eius exantlatos triginta annorum labores, hanc vocem in suo Magno Glossario mediæ, & infimæ latinitatis iure reponit, cùm apud antiquos Scriptores in sensu locum denotante minimè reperiatur; propterea scribit in hac voce; *Parcum locum ad formam custodiæ esse palis, cratibus, muris, aut fossis circumseptum*, pluraque alia addit, quæ breuitatis gratiâ omittuntur.

Hæc vox non solùm infimæ latinitatis est, verùm etiam asseri valet, quod italica sit: nam Ferrarius in suo Tractatu de Origine linguæ Italicæ inter alias Italicas voces istam reponit, & consonans est cum eodem Du Cange, tradens: *Parco esse septum coercendis feris, ac à palis dictum, quibus initio septus*. Menagius itidem in suo Tractatu *Le Origini della lingua Italiana*, Ferrarium sequutus est, eandem afferens explicationem. Ego autem non solùm apud nos Italos hanc vocem vsitatam esse comperio, sed etiam apud Gallos, & eandem habere significationem. Quare autumo, ab ipsis ad nos, occasione, qua Sedis Apostolicæ translatio ab Auenione Romam facta fuit, cum nonnullis alijs vocibus deductam, ac cum Italicis immixtam fuisse.

Huius vocis originem Rossius ab eodem Du Cange citatus tribuit Henrico I. Angliæ Regi, quem Parcorum Inuentorem fuisse scribit, sed contrarium Spelmannus demonstrat ex Domisdei auctoritate, Parcos extitisse sub Anglo-Saxonibus; Qui plura desiderat, adeat ipsum Du Cange, ac Vossium in suo Etymologico. Interea, omissis hisce inutilibus quæstionibus, deueniamus ad vocis vsum, in hac Cancellaria Apostolica.

Parcus Maior igitur est locus in interiori Aula ipsius Palatij Cancellariæ, tornatilibus Cancellis circumseptus ad altitudinem ferè hominis, in cuius medio stat oualis formæ mensa cum quatuor magnis scamnis ad circuli, siue potius

A ellypsis portionem fabrefactis, in quorum singulis tres commodè Abbreuiatores sedent: Ad istius mensæ caput paruus est Thronus, ad quem per duos gradus ascenditur, in quibus parua adest quadrata mensa, super qua scribit Viceancellarius, quando literarijs expeditionibus in Cancellaria faciendis, interuenit: mensæ imminet (vt cum vulgo loquar) Baldachinus holosericus viridis coloris.

Meritò igitur huic loco Parci nomen indictum fuit, cùm in introitu adsint Cancelli, quos Cancellariæ Apostolicæ Officialis, siue Minister Ostiarius appellatus,
B violaceâ veste, ad instar Cursorum Papæ indutus, quæ *Soprana* vulgariter appellatur, mea florente ætate, custodire, nec vllum intra Parcum ingredi præter Sollicitatores, aliosue Cancellariæ Apostolicæ Officiales permittere solebat, cæteris exclusis, qui solummodo ea, quæ intus agebantur prospicere poterant. Dicitur Parcus Maior, ad differentiam alterius minoris, qui conspicitur in Banco Scriptorum Apostolicorum, qui tantæ latitudinis, ac altitudinis minimè est, sed
C hominis pectus tantùm æquat. Puto autem omnia alia antiqua Collegia similem habuisse Parcum, præsertim Auenione, quando ibi Cancellaria Apostolica existebat. Romam postea Sede Apostolicâ, vt diximus, translatâ, res in aliquibus, temporis progressu, immutatæ fuêre, vnde Cornelius Gallus Poeta cecinit:

Cuncta trahit secum, vertitque volubile tempus,
Nec patitur certâ currere quemq; viâ.

Eiusdem Parci Ichnographiam infra referemus in Cap. XII.

D Erudiendorum curiositati hìc succurrere satagimus. In huius vocis *Parco* rigoroso examine diximus, Parcum septum esse ad coërcendas feras adinuentum ab Henrico I. Anglorum Rege, qui floruit secundo post decimum seculum, & in nostra quæstione esse locum in Aula Cancellariæ, tornatilibus cancellis circumseptum. Quare Parci nomen meritò ei inditum fuisse. Hæc de nominis, ac temporis definitione, quæ licèt veritati consona videantur, nihilominus eam propius attingere cupimus.

In Constantini ergo Arcu, qui ex antiqua

tiqua Romanorum magnificentia, (licèt in nonnullis mutilus) adhuc superest, diuersisque statuis, alijsque anaglyphicis operibus ornatus est, de quo in nostro Opere de veteribus Monimentis Cap. II. aliqua narrauimus; in Arcu, inquam, qui ad dexteram secundùm Colossæi aspectum est, visitur oblongum, ac quadratum marmor anaglyficis figuris cælatum, vt in annexa tabula exprimitur, vbi in medio sunt cancelli, siue peribola, aut septa, seu, vt alij volunt, transennæ, quibus includuntur nonnulli viri, quorum duo sedent, quos Iouem & Martem falsos cæcæ Gentilitatis Deos repræsentare autumo, alij verò stant, quique Romanos Consules, aliosq; Magistratus, & officia obtinentes repræsentant, alloquium, siue allocutionem ad Populum facientes: extra verò cancellos ex vtraque parte stat populi multitudo, erectis capitibus, veluti alloquentem auditura, retro verò hanc populi multitudinem visuntur etiam nonnulli arcus, columnis interdistincti, Arbitror igitur hos Basilicam denotare. Quare ex hisce figuris pro certo habeo suam Cancellos, siue *Parcum* in Cancellaria desumpsisse originem; quoniam ad nihil aliud ijdem adinuenti videntur, nisi ad populi turbam coercendam, ne ipsâ affluente, Iudices, supremique Viri opprimerentur. Mos iste, etiam hodie in Capitolio Romano à Iudicibus, Primo, & Secundo Collateralibus obseruatur; nam dum iudicant intra Cancellos maneat,cęteris extra stantibus. Non solùm figura hęc *Parci* originem,verùm etiam Marcellini, & Cassiodori loca de Cancellis loquentia abundè illustrat. Marcellinus igitur lib.30.cap.4.de Causidicis illis,qui clientum facultatesinhiant; sic inquit: *Et si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant, per morborum simulationem vicissim consultò cessantes: vtque peruulgati iuris proferatur lectio vana, septem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longissima contexentes; Et cùm nudatis litigatoribus dies cesserint, & menses, & anni, tandem ob trita vetustate controuersia intromissa, ipsa capita splendoris ingressa alia secum Aduocatorum simulacra inducunt. Cùmque intra cancellorum venerint septa, & agi ceperint alicuius fortunæ, vel salus &c.* In hanc enim vocem, videlicet *splendoris* impingunt Expositores; quare consultius opinor *splendidas fores* legendum esse, vt benè putauit Gothofredus in Commentario ad lib.1. de Offic. Rectoris Prouinciæ.

Cassiodori autem locus est in Epist. 6. lib.11. vbi sic: *Respice, quo nomine nuncuperis. Latere non potest, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas. Et quamuis studiosè claudas, necesse est, vt te cunctis aperias. Nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus: si intus ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vide, quo te antiquitas voluerit collocari, vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris*; qui locus apertè declaratur à nostra figura. Satis igitur dicta sint de Parco, & Cancellis, modò ad alia.

CAP. IV.

De Abbreuiatorum, siue Assistentium Vicecancellario antiqua mentione, eorumque munere tempore Ioannis XXII., Martini V., Eugenij IV., Callisti III., ac Pij II. Summorum Pontificum.

VOD temporum vetustas in obliuionis tenebris demersit, id ex illis eruere difficillimum sanè est; hoc sæpè in scribendo experimur, præsertim verò nunc in Collegij Abbreuiatorum indaganda institutione, quæ in altissimo Scriptorum silentio delitescit. Quare ea, quæ in reuoluendis Codicibus expiscati fuimus, sub oculos ponimus, ac perpetuitati sacramus.

Prima igitur mentio, quam Abbreuiatorum inueni, est circa annum 1317. nempe in Extrauaganti Ioannis XXII. quæ incipit: *Cùm ad sacrosanctæ*, sub titulo: *De sententia excommunicationis*, quam ne adire cogaris hìc adnectimus.

IOANNES &c.

Cùm ad Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ

pag. 6.

sit sinum, velut ad matris vbera refer- A ta dulcedine, ac Romani Pontificis Christi Vicarij, Successorisque Petri clementiam, tamquam ad Patris plenam prouidentiâ pietatem, orbis terrarum, & qui habitant in eo gratiarum spe assiduè confluant vniuersi; indignum credimus nostris fore temporibus, vt quibus nos, & Ecclesia ipsa exuberamus in gratijs, deficiamus in donis, ne murmurandi inde præstetur occasio, vnde gratitudine necessitas aderat collaudandi: neue scriptura reddat onustum, quod liberalitas fecerat gratiosum.

§. 1. Qua de re circa literarum nostrarum scripturas, registri quoque nostri, necnon Abbreuiatorum Romanæ Curiæ notas, illam in taxando volumus moderationem apponi, qua personæ quibus gratiæ huiusmodi conceduntur, se gratias ipsas ab Apostolica Sede liberaliter sentiant consecutas, ac literarum ipsarum Scriptoribus, registri etiam nostri notarumque Abbreuiatoribus antedictis, qui interdum in eis etiam multo labore desudant, de suo labore congruè satisfiat. C

§. 2. Ad tollendos igitur excessus, difficultates, circuitus, & anfractus, qui possent ex varijs literarum Apostolicarum taxationibus prouenire: sancimus, vt modus subscriptus in huiusmodi taxationibus obseruetur: videlicet, quòd litera gratiæ cum clausulis consuetis super Canonicatu, & Præbenda, & alio Beneficio Ecclesiastico, cum cura, vel sine cura, vacante, vel vacaturo: etiamsi dignitas, officium, vel personatus existat, decem Turonen. grossis, & non vltra taxetur: executio verò eiusdem duodecim Turonensibus, & non vltra taxetur: & idem in D similibus literis beneficialibus gratiosis, puta super Prioratu aliquo, administratione, & huiusmodi, ac executorijs earundem seruari debebit.

§. 3. Si verò eisdem literis gratiæ, & executorijs earundem (vt supra) aliquæ clausulæ non communes, vel insolitæ apponantur, circa taxationem clausularum huiusmodi congruè poterit sic distingui, videlicet, quòd non habeatur consideratio in eisdem maioris, vel minoris gratiæ eius, quod conceditur, nec quod ipsius sint maiores, vel pauciores fructus, redditus, & prouentus, & ex hoc plus, minusue taxetur, sed habeatur in taxando illa consideratio ad laborem, vt scilicet longior scriptura magis, & minus breuior æstimetur: hoc tamen circa huiusmodi clausulas apponendas, addito moderamine in taxando, vt si scriptura clausulæ appositæ non faciat lineam, nec ipsa clausula literæ taxationem augmentet. Si verò per se, vel saltem alijs addita clausulis faciat lineam in quarta parte Turonen. grof. taxetur, & sic pro qualibet linea huiusmodi additur clausula in B taxando quarta pars grof. Turonen. addatur, & si quid superfuerit, & minus linea, illud superfluum, nec taxationem immutet; lineam autem, quæ centum, & quinquaginta literas, seu xxv. continet dictiones, intelligi volumus in hoc casu, & vt taxatio huiusmodi (dum exempla ponuntur) quodam modo procedat, inserta illa clausula, verum ne sub eo prætextu &c. quæ quatuor continet lineas, vno Turonen. grosso taxetur. Illa etiam clausula: præbendam verò, ac dignitatem, quæ cum acceptione reseruat, quæ quatuor, & paulo plus continet lineas, vno Turonen. grosso taxetur: & in similibus clausulis additis secundùm linearum numerum idem fiat. Eandem taxationem cum moderamine antedicto quoad pręfatas literas in registro nostro seruari volumus, cùm fuerint registrandæ. Eandem etiam taxationem quoad pręfatarum literarum notas, scilicet gratiæ cum antedicto numero Abbreuiatores obseruent.

§. 4. De executorijs verò huiusmodi gratiarum Abbreuiatores ipsi, etiamsi clausulæ non communes, vel insolitæ apponantur eisdem, duos tantùm recipiant Turonen.

§. 5. Hoc licet sic in taxatione prædictarum literarum obseruari velimus, in forma tamèn pauperum deferri volumus paupertati, & nostram taxationem in illa videlicet octo Turonen. grof. inuiolabiliter obseruari: nàm beatum fore virum, qui super pauperem, & egenum intelligit, verbis propheticis edocemur. Circa taxationem autem literarum, quæ per audientiam transeunt, nihil ad præsens aliud duximus ordinandum, sed rationabilis modus obseruatur in illis, qui solitus

litus est hactenus obseruari, maximè secundùm taxationem literarum ipsarum, quæ in libro Prouinciali inuenitur esse conscripta. In quarum taxationibus literarum ex causis rationabilibus sustinemus, vt Turonen. gros. quandiù scilicet Romana Curia extiterit citra montes, Romanino succedat.

§. 6. Cæterùm vbicumque de Turonen. gros. in taxationibus prælibatis sit mentio, intelligi volumus quandiù Curia fuerit citrà Montes. Si verò vltrà Montes Romæ scilicet vel in alijs locis, vel Italiæ partibus Curia ipsa constiterit, in B taxationibus antedictis Romaniuus pro Turonen. ponatur.

§. 7. Ad hæc prædictæ nostræ adijcimus sanctioni, vt si forsan (quod quandoque contingit) eueniat, videlicet, quod non culpâ, negligentiâ, vel defectu Scriptoris, vel ex ignorantiæ cæcitate, aut torpore desidiæ, vel ex occupatione, distractione, aut alia quauis occasione, Abbreuiatoris, qui notam, ex qua litera grossa procedit ineptè formauerat, eadem grossa literis gratis fuerit rescribenda: hoc ipsi Scriptori, vel illi cuius litera C huiusmodi fuerit rescribenda non noceat, sed Abbreuiatori debeat imputari, in tantum, vt eidem Scriptori Abbreuiator ipse satisfaciat integrè, iuxta taxationem eiusdem grossæ literæ rescribendæ.

§. 8. Cæterùm vt prædicta quæ à nobis pro vtilitate publica sunt instituta salubriter, eò diligentiores sui obseruatores inueniant, quò transgressores ipsorum maiori nouerint è pœna percelli.

§. 9. Statuimus, vt præfati omnes, & singuli tam literarum nostrarum, quàm registri nostri Scriptores, quàm Abbre- D uiatores notarum ipsarum (quibus etiam Abbreuiatoribus specialiter vltra infrascriptas pœnas quatenus prædictas taxationes obseruent sub excommunicationis pœna mandamus) qui contra præmissa fecerint, plus scilicet præfatas nostras beneficiales literas, vel notas ipsarum, vel earundem in dicto registro scripturas taxando, exigendo, vel recipiendo pro ipsis, quàm superius sit taxatum: vsque ad semestre tempus officio, in quo sic deliquerint, sint eo ipso suspensi: Et si secundò deliquerint in eodem, ipso facto eo- A dem officio (quod, quantum in ipsis fuerat, maculare conati sunt) perpetuò se priuatos agnoscant.

Nulli ergo liceat &c. Datum Auenion. IV. Id. Decembris Pontificatûs nostri anno primo.

Eorundem etiam Abbreuiatorum mentio reperitur in alia Extrauaganti eiusdem Ioannis XXII. quæ incipit *Ex debito*, vbi diuersorum Officialium Apostolicæ Sedis Beneficia vacantia eidem Sedi reseruantur. Quare iure argui potest, ante hunc Papam Abbreuiatores extitisse.

Similiter ijdem enumerantur à Benedicto XII. qui floruit anno 1334. in eius Extrauaganti, quæ incipit *Ad regimen* sub titulo *de Præbendis*.

Per hæc eadem tempora, scilicet circa medietatem XIV. seculi eorundem Abbreuiatorum mentio habetur in quibusdam carminibus relatis ab eruditissimo Viro Ioanne Mabillon Monaco Congregationis S. Mauri in suis Analectis to. IV. pag. 541. n. 213. Eadem carmina in Eruditorum gratiam hìc referemus, videlicet

Sic equidem, Gaufridus ait, sed Curia sacra est
Officiatorum plena iuuante manu.
Vt multæ cernuntur apes in Vallibus Æthnæ,
Sic ope multorum Curia fulta viget.
Sunt ibi qui norunt formare negocia quauis;
Et sunt qui formas abbreuiare sciunt.
Scriptorum numeri non clara mente recordor;
Sed mihi cum quadã nube venire solet.
Nec facile est omnes numero deprendere certo,
Sed possunt decies, vt reor, esse decem.
Istorum labor est chartas grossare notatas,
Et grossas Cameris restituisse suis.
Sunt ibi, qui referunt Sacri Pastoris ad aures
Ardua vota hominum, sollicitasque preces.
Quis stupor est igitur, aut admiratio mentis,
Si potes absolui tempore ab Vrbe breui?
Crede mihi si mille viris comitatus ad Vrbem
Ibis, adhuc plures Vrbs habet ista viros:

Omnibus

Omnibus vna quibus mens est, atque vna voluntas,
Contrahat ingentem ne quis in Vrbe moram.
Protinus expediunt quicquid fit ad expediendum,
Et mora sollicitos non tenet vlla viros.
Festinant, vrgentque die noctuque labores,
Inceptum donec perficiatur opus.
Res quandoque datur tribus expedienda diebus,
Quam tamen instanter expedit hora breuis.
Prima dies igitur scribit quodcumque petendum,
Et tua portabit vota secunda Patri.
Tertia grossabit, bullatum quarta videbit,
Et potes in quinta dicere: Roma vale.
Forsitan horrebas, quod te Romana teneret
Sumptibus innumeris Curia sacra nimis?
Hoc impossibile est, & ni sint omnia vera,
Hanc frontem videat nullus in Vrbe magis.
A. *Litera quid dices, si rescribenda bis, aut ter*
Extiterit, Romę nonne morabor adhuc?
G. *Hoc factum fortuna regit, casusque gubernat;*
Errorem tamen hunc quisque cauere studet.
Scriptor enim studio scribenda volumina tanto
Exarat, vt nulla parte notanda putat.
Et tibi si tua res ipsi facienda daretur,
Posset in obliquas currere penna vias.
Deteriùs forsan per te tua facta venirēt,
Quàm per Scriptoris, qui viget arte manus.
Si tamen à capite forsan tua littera scribi
Debeat, hic error à tribus esse potest:
Aut malè narrabis narranda, vel Abbreuiator
Apponet factis plusue minusue tuis.

Hæc sunt loca, quæ in seculo XIV. Abbreuiatorum meminerunt; modò autem ad sequens seculum XV. transitum faciamus.

Notiores sunt in hoc seculo Abbreuiatores, cùm Martinus V. sanctissimæ mem. A in quadam sua speciali Constitutione, quę habetur in Bullario, in ordine *la* 3. quæque ex quinterno Cancellariæ Apostolicæ desumpta fuit, quod asseruatur à pro tempore eiusdem Cancellariæ Apostolicæ Custode, propterea in eo contenta, & ad rem nostram spectantia hîc subiungimus, videlicet

MARTINVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

B IN Apostolicæ dignitatis specula super gregem Dominicum, licet immeriti constituti, iniunctum nobis desuper Apostolatûs officium debitè, vt tenemur, exequi, coadiuuante Domino, cupientes, ad ea libenter nostræ dirigimus considerationis intuitum, vt diligenter conspiciamus, quæ Reipublicæ vtilitatem respiciunt & commodum, vt per nostræ prouisionis auxilium euellantur vitia, plantentur virtutes, destruantur iniqua, & reædificentur honesta, ac praua transeant in directa, & sublatis deformibus, C reluceat debitæ reformationis decor & pulchritudo, ac totius æquitatis, & iustitiæ exinde proueniant incrementa.

§. 1. Sanè licèt fel. rec. Ioann. XXII. Bened. XII. & Gregor. XI. Romani Pontifices Prædecessores nostri, necnon de mandato Apostolico nonnulli Auditores Audientię Contradictarum literarum Apostolicarum, & demum bo. me. Gaufridus Episcopus Cabillonensis, & Petrus tunc electus Viuariensis, dictæ Audientiæ Auditores, nonnullas Constitutiones, & Ordinationes, regimen, & gubernationem D Officialium, ac Officiorum Cancellariæ, & Pœnitentiariæ Apostolicarum, necnon prædictarum Contradictarum, & causarum Palatij Apostolici audientiarum, & aliorum in Romana Curia Iudicum, seu Commissariorum, eorumque Notariorum, necnon Aduocatorum Consistorialium, & Procuratorum in audientia prædictis, concernentes, laudabiliter ediderint. Quia tamen huiusmodi crescente malitiâ postmodum aut debitè non obseruatæ, aut additionibus vtilibus indigere noscuntur: Nos igitur super hoc intendentes, prout ex debito pastoralis officij

nobis iniuncti, licèt immeriti, obligamur salubriter, & vtiliter prouidere, tenore præsentium prçfatas constitutiones, & ordinationes (quas hìc haberi volumus pro expressis) auctoritate apostolicâ tenore præsentium innouantes, ac eas cum additionibus infrascriptis prçcipientes firmiter obseruari, eâdem auctoritate statuimus, & etiam ordinamus.

§. 2. Quòd si Notarij Apostolici, ac eorum Abbreuiatores, & alij in iustitia, & etiam gratiâ literarum Apostolicarum Abbreuiatores taxam nimiam pro minutis suis petierint, ac etiamsi literæ apostolicæ excessiuè taxatæ fuerint, super excessibus huiusmodi per partes ad Vicecancellarium, aut de mandato suo, vel ipso absente ad eius Locumtenentem, seu Præsidentem in Cancellaria prædicta habeatur recursus, qui deliberatione habitâ cum Abbreuiatoribus assistentibus eidem Vicecancellario in expeditione literarum apostolicarum in Cancellaria, & alijs, de quibus sibi videbitur in hoc peritis, excessus prçdictos ad debitam reducant moderationem, ac medietatem huius, quod excessiuè petierint, à Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus, qui illud petierint, necnon Taxatoribus literarum earundem, qui illas sic excessiuè taxauerint, exigant in vsus Capellæ Scriptorum prædictorum, aut alia pia opera conuertendum. Quòdque Notarij prædicti pro minutis literarum prouisionum Patriarchalium, Metropolitanarum, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque, consistorialiter factarum, cùm aliæ non pertineant ad ipsos, recipere valeant, sicut plus, vel minus pro communi seruitio soluitur ab eisdem, videlicet pro primo centenario florenorum communis seruitij vltra quinque, & pro quolibet alio similium florenorum centenario, si plura sint vltra vnum, & si seruitium huiusmodi ad centum florenos non ascenderit, pro quolibet decenario numero florenorum huiusmodi, vltra medium florenum nullatenus recipiant, vel exigant quocumque quæsito colore, alioquin eorum quemlibet pænas in dictarum literarum Abbreuiatores plus debito à minutis, quas faciunt exigentes, latas, inferius declaratas, incurrere volumus ipso facto. Quòd si eorum, & cuiuscumque alterius Abbreuiatoris culpâ literæ, quarum fecerint minutas, & pro quibus salaria, seu emolumenta recipiunt, fuerint rescribendæ, eorum sine illius expensis rescribantur, qui fuerint, vel fuerit in culpa sub pænis infra dictis. Et insuper cùm præfati Notarij expertos, & sufficientes habere debeant Abbreuiatores, quandoque recipiunt in arte Abbreuiatoria minus expertos, ex quibus secuta sunt quandoque detrimenta, atque damna; statuimus, quòd nullus dictorum Notariorum aliquem in suum Abbreuiatorem recipere valeat, neque possit, nisi primitus ad id, per Assistentes Vicecancellario in expeditione literarum apostolicarum, & alios, de quibus sibi videbitur, Abbreuiatores, in minutis super ipsis de iustitia formandis experti, & sufficientes reperti fuerint, & etiam approbati.

§. 3. Statuimus, & etiam ordinamus, quòd si litera fuerit in Cancellaria rescribenda iudicata, quòd infra tres dies naturales à die requisitionis Partis prosequentis, aut Sollicitatoris expeditionis eiusdem, ille, cuius culpâ iudicata fuerit rescribenda, expensis suis proprijs, sine quocumque alio salario, quantumcumque modico, etiam gratis oblato, teneatur rescribere, aut rescribi facere, sub pœna suspensionis ab officio Scriptoriæ, literarum prædictarum, & ingressu Cancellariæ, si Scriptor fuerit literarum prædictarum, quadraginta dierum continuorum tempore, nec interim literam alicuius taxæ sibi distribuat Distributor, siue Referendarius literarum earundem sub excommunicationis pœna, quam, si contrarium faciat scienter, incurrat ipso facto, à qua absolui non possit, nisi a Romano Pontifice, prius satisfacto realiter, & cum effectu parti læsæ de damnis, & interesse, & tres ducatos soluat, applicandos eidem Capellæ Scriptorum literarum prædictarum pro pœna. Si verò fuerit Abbreuiator, similiter compellatur literam facere scribi infra prædictum terminum, sub pœna suspensionis ab eius officio, & eius ingressu Cancellariæ per tres menses, quo suspensionis tempore durante, nihil sibi distribuat Vicecancel-

cellarius. Quòd si inaduertenter, vel aliàs Vicecancellarius quicquam sibi distribuat, & ipse recipiat, huiusmodi suspensionis tempore durante, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, à qua nullo modo possit absolui, nisi à Romano Pontifice, prius satisfacto parti læsæ de damnis, & interesse, & donec realiter soluerit tres ducatos conuertendos, vt præfertur, & ad reiterationem delicti, siue excessûs locum habeat multiplicatio pœnæ.

§. 4. Et quòd nulli ex Scriptoribus prædictis, qui per seipsum eius officium Scriptoriæ literarum prædictarum personaliter non exercet, aut non valet exercere, quicquam distribuatur, aut aliquod ex eodem officio percipiat emolumentum, nisi causâ infirmitatis, aut alio legitimo extiterit impedimento detentus; quo casu cum eo possit, per Vicecancellarium prædictum, per literas eiusdem causam distributiones continentes, prius in ipsa Cancellaria publicandas ad tempus, de quo sibi videbitur, dispensari. Quòdque de cetero nullus huiusmodi officium Scriptoriæ prædictæ cum officio Scriptoriæ Pœnitentiariæ literarum valeat retinere, & si quis hoc attentare præsumpserit, vtroque priuatus existat ipso facto.

§. 5. Illi quoque, qui huiusmodi Abbreuiatoriæ, vel Scriptoriæ Apostolicarum, cum officio Scriptoriæ Pœnitentiariæ literarum prædictarum insimul nunc obtinent, infra decimam diem proximè futuram, huiusmodi officium Pœnitentiariæ, vel Scriptoriæ literarum dimittere teneantur. Alioquin si contrarium fecerint, pœnam incurrant proximè dictam.

§. 6. Sanè cùm deceat Abbreuiatores literarum prædictarum, assistentes Vicecancellario, aut Locumtenenti, seu Præsidenti prædictis in huiusmodi literarum in Cancellaria prædicta expeditione Abbreuiatoriæ literarum ipsarum officio fore sufficientes, & expertos, ac etiam circumspectos, prudentes, & probos; similiter statuimus, & ordinamus, quòd nullus de cætero ad assistendum prædicto Vicencancellario, seu Locumtenenti, vel Præsidenti in literarum Apostolicarum expeditione, nisi per dictam maiorem

A partem Abbreuiatorum, continuantium Cancellariam antedictam primitus examinatus fuerit, & ad id repertus sufficiens, & etiam approbatus, nullatenus admittatur.

§. 7. Et quòd prædicti Assistentes horâ super hoc per Vicecancellarium prædictum deputandâ, singulis diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, ad eam venire, & in ipsa, quousque tenta fuerit, residere debeant, nec interim ab ipsa recedere possint, cessante excusatione legitimâ, quam eidem Vicecancellario, aut

B Locumtenenti, seu Præsidenti, si præsentes fuerint, vel in eorum absentia prædictis Assistentibus exprimere debeant, vel iurare, se legitimam excusationem habere, nisi super hoc à Vicecancellario, vel Locumtenente licentiam habuerint specialem. Quodque singuli Assistentes prædictorum, qui post tertiam partem horæ prædictæ venerint sex, & similiter qui ante dictam Cancellariam finitam recesserint, sex alios, qui verò eâdem die ad dictam Cancellariam non venerint, duodecim grossos Turonenses singulis die-

C bus, quibus hæc commiserint, Capellæ Scriptorum prædictorum pro pœna contemptûs statuti, & ordinationis nostræ huiusmodi infra tres dies, tunc immediatè sequentes, soluere sint adstricti, nec ob id appellantes, nisi prius satisfacto de principali, & expensis, si quæ inde factæ fuerint, ad huiusmodi appellationis prosecutionem quomodolibet admittantur. Similiter idem per alios Abbreuiatores sufficientes, ad continuandum eandem Cancellariam, per Assistentes prædictos, ex alijs Abbreuiatoribus eligendos, nec

D non in Officialibus dictæ Cancellariæ sub similibus pœnis volumus obseruari.

§. 8. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quòd Senescallus dictæ Cancellariæ, qui Custos nuncupatur, iuramentum in manibus dicti Vicecancellarij in sua primaria receptione ad officium Senescalliæ Cancellariæ prædictæ, necnon singulis annis de huiusmodi officio fideliter exercendo, & aliàs iuxta formam iuramenti prædicti, per nos nouiter appositam, & in libro Cancellariæ infrascriptam præstare teneatur. Quòdque ipse in quibuscumque literis de gratia, diem receptionis

tionis earundem, quâ sibi in dicta Cancellaria præsentabuntur, scribat, & pro scriptura huiusmodi nihil recipiat, etiam gratis oblatum, literasque prædictas secundùm ordinem receptionis earundem sine fraude in expeditione præsentet expediendas. Nec literas, rotulos, ac supplicationes in literarum expeditione traditas, vel traditos ante, vel post nostrarum expeditionem in dicta Cancellaria celabit, vel occultabit, aut malitiosè retinebit, seu earundem literarum expeditionem differet, aut retardabit per se, vel alium, seu alios contra ordinem suprascriptum. Quòd si contrarium scienter fecerit, eò ipso sententiam excommunicationis incurrat, à qua absolui non possit, nisi à Romano Pontifice, preterquam in mortis articulo constitutus. Quòdque si Senescallus prædictus contra huiusmodi suum iuramentum fraude, vel dolo aliqua fecisse reperiatur, sit dicto officio eò ipso priuatus. Et quia de talibus, & similibus delictis, quæ secretè committuntur, potest cum difficultate constare, sex de Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus prædictis non suspecti, ac bonæ famæ, & boni nominis, ipsum Senescallum huiusmodi suum officium illegaliter exercuisse deponent, & de hoc etiam sit publicè diffamatus, dicto suo officio sit eò ipso priuatus, & nisi de eo per dictum Cancellarium infra tres dies, inde sequentes, prouisum fuerit, ex tunc possit de sufficienti Abbreuiatore literarum prædictarum (qui iuramentum similiter præstare, & omnia prædicta, eidem Senescallo incumbentia, adimplere teneatur) prouideri. Et insuper, quòd nullus alius, quàm Senescallus prædictus aliquam literarum gratiam continentem expediendam in loco expeditionis ponat.

§. 9. Similiter statuimus, & etiam ordinamus, quòd nulla constitutionum dictæ Cancellariæ cuiquam, vt de ea in Iudicio, vel alibi fidem faciat tradere, nisi primitus per dictos Assistentes fuerit iudicatum danda, & postmodum per duos ex eis tunc præsentes videatur, & signetur in dorso, ac per duos ex Abbreuiatoribus in forma debita auscultetur cum libro prædicto, qui se subscribant in eadem, & deinde per Vicecancellarium subscribi debeat, & suo signo more debito signari, &

A parti petenti dari; pro qua quidem constitutione vltra quatuor grossos Auenionenses, quorum sexdecim valent vnum florenum auri de camera, pro signo, sigillo, & scriptura, & alias per Secretarium, vel Cubicularium dicti Vicecancellarij, & Senescallum prædictum, vel alios quoscumque nullatenus recipiatur, vel etiam exigatur &c.

Datum Gebennis Kal. Septembris Pontificatus nostri anno I.

Mutilatam hanc Constitutionem exhibuimus, eò quia quæ sequuntur ad Abbreuiatores (B) nequaquam spectant, & cùm eadem Constitutio in dicto Bullario legi possit; ideoque libenter omittimus.

Post supramemoratam Constitutionem aliam edidit idem Pontifex, quâ priorem in parte aliqua moderauit, estque etiam in eodem Bullario sub num. v. sed mutila, propterea illius tenor ex eodem Quinterno desumptus est, qui sic se habet:

MARTINVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

C *Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta nonnumquam gesta per eum rationabilibus, & honestis suadentibus causis moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire: Nuper siquidem videlicet II. nonas Februarij Pontificatûs nostri anno sexto, quædam Constitutiones, & ordinationes, quæ reformationem Officialium Romanę Curię concernere videbantur, in Audientia literarum Contradictarum lectæ fuerunt, & etiam publicatæ. Et D quia nonnulla nimium rigorosa continebantur in illis, quæ in ipsorum Officialium nimis graue dispendium, & præiudicium redundabant, eas per nostræ prouisionis officium, habitâque super his deliberatione maturâ, in melius duximus commutandas.

§. I. Illas igitur constitutiones, & ordinationes, vt præmittitur publicatas, auctoritate præsentium perinde haberi volentes, ac si in eadem audientia lectæ, & publicatæ minimè extitissent, & à nobis nullatenus emanassent, infrascriptas constitutiones, & ordinationes nostras in eadem

dem audientia legi, & publicari volumus, & iubemus, easque præcipimus ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Et licèt fel. rec. Ioann. XXII. Benedict. XII. & Gregor. XI. Romani Pontifices Prædecessores nostri nonnullas constitutiones, & ordinationes circa regimen, & gubernationem Officialium, & officiorum eiusdem Curiæ laudabiliter ediderint, quia tamen illæ, Mundi crescente malitiâ, aut debitè non seruantur, aut additionibus vtilibus indigere noscuntur. Nos super ijs intendentes, prout ex debito pastoralis officij obligamur salubriter prouidere, Constitutiones, & Ordinationes dictorum Prædecessorum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium innouantes, eas cum additionibus infrascriptis, quas vim perpetuæ Constitutionis habere decernimus, præcipimus firmiter obseruari, mandantes ex nunc Venerabili fratri nostro Ioanni Episcopo Ostien. Sanctę Romanę Ecclesię Viceecancellario, & in Cancellaria Apostolica Præsidenti, eorumque successoribus, quatenus illas faciant diligentiùs obseruari. Quæ vt attentiùs obseruentur.

§. 2. Statuimus, quòd singuli Sedis Apostolicæ Notarij, & tam prædictę, quàm Palatij Apostolici Causarum Audientiarum Auditores, Corrector, Scriptores, Abbreuiatores literarum Apostolicarum, Aduocati, Procuratores, & Notarij Causarum dicti Palatij, necnon Senescallus, qui Custos est dictæ Cancellariæ, Constitutiones, & Additiones prædictas, infra mensem, à die publicationis præsentium computandum, secum habere, & de hoc, infra alium mensem, immediatè sequentem, dictum Viceecancellarium certificare, & alia circa præmissa facere, & obseruare teneantur, prout in Constitutionibus dictorum Prædecessorum, ac præsentibus pleniùs continetur.

De Cancellaria.

§. 3. Statuimus igitur, & etiam ordinamus, quòd omnes, & singulæ literæ, in Cancellaria Apostolica expediendæ, præsertim illæ, quæ grauis materiæ fuerint coram omnibus, ad hoc deputatis, intelligibiliter legantur, vnusque supplicationem teneat, alter legat literam expedien- A dam Viceecancellario, aut Præsidenti Cancellariæ, & Deputatis ipsis audientibus, qui ad hæc sint attenti, & sic literis expeditis cum signo Abbreuiatoris, Viceecancellarius, vel eius Locumtenens etiam aliquod signum ponat in signum expeditionis earum, aliter nulla litera transmittatur ad Bullam. Idem etiam de literis Iustitiæ per illos, ad quos earum expeditio pertinet, præcipimus obseruari. Sanè cùm deceat Abbreuiatores literarum Apostolicarum Assistentes Viceecancellario, & Locumtenenti, ac Præsidenti prædictis in eo- B rum expeditione, & Abbreuiaturæ Officio, prudentes, & probos fore, peritos pariter, & expertos.

§. 4. Similiter statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus de cætero ad assistendum Viceecancellario, seu Locumtenenti, & Præsidenti prædictis in ipsarum literarum expeditione, nisi per maiorem partem Abbreuiatorum dicto Viceecancellario tunc Assistentium primitus examinatus fuerit, & ad id repertus sufficiens, in stylo peritus, expertus, & idoneus admittatur, quòdque præfati Assistentes horâ C super hoc, per Viceecancellarium prędictum deputandâ, singulis diebus, quibus Cancellaria tenebitur, ad eam venire, & in ipsa Cancellaria, quousque tenebitur, residere debeant, nec interim ab ea recedere possint, nisi forsan legitimè fuerint impediti, vel super hoc specialem licentiam habuerint à Viceecancellario, aut Locumtenente, vel Præsidente prædicto. Qui verò, eâ non obtenta, & cessante excusatione legitimâ eisdem diebus ad Cancellariam non venerint, quatuor grossos singulis diebus, quibus venire neglexerint pro D pœna contempti Statuti huiusmodi infra tres dies, tunc immediatè sequentes, soluere teneantur, & hoc idem per alios Abbreuiatores sufficientes ad continuandum Cancellariam eandem per Assistentes præfatos ex alijs Abbreuiatoribus eligendis, necnon in Officiales dictæ Cancellariæ sub simili pœna volumus obseruari.

§. 5. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quòd Senescallus prædictus iuramentum in manibus eiusdem Viceecancellarij in sua primæuâ receptione ad officium Senescalliæ, seu Custodiæ Cancellariæ prædictæ, & deinde singulis annis de huius-

huiusmodi officio fideliter exercendo, & A aliàs iuxta formam iuramenti prædicti, per nos nouiter editam, & in libro Cancellariæ descriptam præstare teneatur, quòdque ipse in quibuscumque literis de gratia diem receptionis earum, quâ sibi in Cancellaria ipsa præsentabuntur, inscribat, & pro scriptura huiusmodi nihil recipiat, etiam sponte oblatum, literasque prædictas secundùm ordinem scriptionis earum sine fraude in expeditione præsentet; nec literas, rotulos, aut supplicationes, in ipsarum literarum expeditione sibi traditas, seu traditos ante, vel post dictarum litera- B rum expeditionem in præfata Cancellaria celabit, vel malitiosè retinebit, seu earundem literarum expeditionem differet, aut retardabit per se, vel per alium quouis modo contra ordinem supradictum. Quòd si contrarium scienter fecerit, eò ipso incurrat pœnam ab eius officio suspensionis ad tempus, arbitrio dicti Vicecancellarij moderandam. Et si Senescallus prædictus contra huiusmodi suum iuramentum fraude, vel dolo aliqua fecisse diceretur, quia de talibus, & similibus delictis, quæ secretè committuntur non C potest sine difficultate constare, si quinque ex Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus supradictis non suspecti, & bonæ famæ, & boni nominis ipsum Senescallum huiusmodi suum officium illegaliter, & aliàs, vt præfertur, exercuisse deponant, & ad hoc vocatus suo priuetur officio, & de alio prouideatur idoneo, qui præstet simile iuramentum. Et insuper, quòd nullus alius, quàm ipse Senescallus aliquam literam, gratiam continentem, expediendam in loco expeditionis ponat, nisi hoc forsan de mandato nostro, aut Vicecancellarij, D seu Præsidentis eiusdem licentiâ, aut speciali commissione procederet, & quicumque posuerit sit per annum ab officio suo suspensus, & si, durante suspensione, huiusmodi officio se immiscuerit, illo priuatus existat.

§. 6. Præterea statuimus, & etiam ordinamus, quòd nulla ex constitutionibus dictæ Cancellariæ cuiquam detur, vt de ea in Iudicio, vel alibi fidem faciat, nisi prius per Assistentes eosdem dandam esse fuerit iudicatum, & tunc per duos ex Abbreuiatoribus in forma solita auscultetur cum libro prædicto, qui se subscribant in eadem, & deinde signo eiusdem Vicecancellarij more solito signetur, & Parti petenti tradatur; Pro qua quidem constitutione vltra quinque grossos, quorum sexdecim valeant vnum florenum auri de camera pro signo, sigillo, scriptura, & aliàs per Secretarium, vel Cubicularios dicti Vicecancellarij, aut Locumtenentis, & Senescallum præfatum nullatenus recipiatur, vel etiam exigatur. Prohibemus autem, Regulas dictæ Cancellariæ, quæ solùm concernunt modum expeditionis literarum cuiquam dicto modo concedi.

§. 7. Cæterùm quia Constitutiones nostræ, & dictorum Prædecessorum per nos innouatæ, sunt in dicta Cancellaria descriptæ, vt ex dicta Cancellaria per manus ipsius Vicecancellarij securiùs, & certiùs de illis fides habeatur, & indigentibus transumptum in forma publica, per manus dicti Vicecancellarij concedatur, cùm nonnulli Notarij sub instrumentis suis illarum tradant copiam petentibus, in quibus possent faciliter esse fraudes, & pericula. Statuimus, quòd nulli transumpto dictarum Constitutionum fides adhibeatur in iudicio vel alibi, nisi per manus præfati Vicecancellarij, vt præmittitur, fuerit axpeditum.

§. 8. Præterea, vt literæ iustitiam concernentes, absque Partium damno, ac breuiùs expediantur similiter statuimus, & etiam ordinamus, quòd Cancellaria literarum Iustitiæ singulis septimanis saltem semel, prout antiquitus teneri consueuit, teneatur, ad quam Notarij dictæ Sedis, qui sex numero esse debent, eorumque, & alijs informandis notis in iustitia, vel in iure sufficientes Abbreuiatores, quorum nomina in pitacio Abbreuiatorum dictarum literarum sint inscripta accedere; Necnon Doctores famosi, etiam Prælati, ac Practici in dictâ Curiâ tunc præsentes debeant conuocari, prout hactenus extitit laudabiliter obseruatum.

§. 9. Et quoniam multi sunt Abbreuiatores, & eorum aliqui omninò imperiti, aliqui minus quàm oporteat, aliquis nunquam Abbreuiatoriç exercent officium: Vicecancellarius, & Præsidens præfati, qui talium habent notitiam, hoc studeant efficaciter obseruare, quòd omnino imperitis,

ritis, & ijs, qui non consueuerunt dictum officium personaliter exercere, nullas, peritioribus autem difficiliores materiæ, & etiam illas maioris taxæ supplicationis pro minutis fiendis distribuant, ne propter Abbreuiatoris imperitiam sint literæ rescribendæ, caueantque ne propter fauorem alicuius minus periti eidem supplicationes magnæ taxæ distribuantur. Cùm sit rationi contrarium, quòd plus mercedis accipiat, qui minus scit, aut valet laboris impendere.

De literis scribendis.

§. 10. Verùm licet super literis rescribendis expensis illorum, per quorum culpam iudicatæ fuerint rescribendæ, plura Statuta sint ab eisdem Prædecessoribus salubriter ordinata, quæ propter defectum exequutionis carent effectu. Statuimus, quòd in omni litera iudicata rescribenda, scribatur nomen illius Abbreuiatoris, vel Scriptoris, per cuius culpam iudicata fuerit rescribenda. Et insuper hoc Rescribendarius literarum Apostolicarum pro tempore existens Regestum facere teneatur, in quo ex officio hoc idem scribatur, designando literam, & personam culpabiles, ipsamque literam rescribendam mittat ad illum, per cuius culpam acciderit, vel eidem in Cancellaria, si præsens fuerit, tradat, ipseque præsens infra tres, absens verò infra quatuor dies, & si illis diebus non teneatur Cancellaria, in proxima die, quâ illam teneri contigerit, rescriptam suis expensis Parti reddere teneatur. Alioquin duorum florenorum cameræ pœnam incurrat, quam infra duos dies post lapsum termini reddendæ literæ rescriptæ Computatori, vel alicui alteri ad hoc per ipsum Vicecancellarium deputando, sub pœna duplici soluere teneatur. Et donec de præmissis satisfecerit, nulla supplicatio Abbreuiatori, nullaque minuta Scriptori culpabili, per Vicecancellarium, vel Locumtenentem prædictum distribuatur. Et Scriptor ipse interim ab omni emolumento officij sui sit suspensus. Et de ijs, qui pœnam incurrerint Rescribendarius Computatorem, Computator autem Vicecancellarium prædictum infra diem naturalem certificare teneatur. Et de præmissis seruandis ipsi

A Vicecancellarius, & Præsident sint attenti, Rescribendarius verò, Computator, vel alius loco sui ad hoc forsitan deputandus illa iurent, quantùm ad eos pertinebit, fideliter obseruare. Pœnas autem huiusmodi eorundem Scriptorum Capellæ volumus applicari. Si verò pars, aut prosequutor talis literæ illam sibi tradi maluerit, & facere per quem volet rescribi reddatur eidem, vt moris est; quo casu cessent pœnæ prædictæ.

Cùm in duobus Paragraphis sequentibus de Regestis, ac Bullis agatur, & cùm ad
B *Abbreuiatores ea, quæ in illis tractantur nequaquam spectent, ideò eosdem omittimus, & ad sequentem decimum tertium deuenimus.*

De Scriptoribus, & Abbreuiatoribus.

§. 13. Quoniam Scriptorum Apostolicorum, & Pœnitentiariæ nostræ literarum, ipsarumque literarum Apostolicarum Abbreuiatorum, moderno tempore, excessiuus est numerus, quorum nonnulli imperiti, plurimique à dicta Curia sunt
C absentes, quidam etiam Episcopi, & Prælati dictarum literarum tenent officia. Statuimus, & etiam ordinamus, quòd nullus deinceps ad aliquod officiorum huiusmodi assumatur, nisi prius per diligentem examinationem dicti Vicecancellarij, aut super hoc Deputandorum ab eo in scriptura, literatura, prout requirit officium, vitâ, moribus, & laudabili famâ repertus fuerit vtilis, & idoneus ad huiusmodi officium exercendum, quodque Notarijs dictæ Sedis, Episcopis, Abbatibus, & alijs Superioribus Prælatis prædicta officia, vel
D aliquod ex eis non conferantur de cætero. Volentes, & etiam decernentes, quòd absentes Scriptores, & Abbreuiatores dictarum literarum, sua officia præsentialiter obtinentes, qui infra annum à die publicationis præsentium computandum, ad exercendum personaliter officium suum ad Curiam reuersi non fuerint, & resederint in eadem, nisi forsan de nostra, aut ipsius Vicecancellarij speciali licentiâ, de qua per nostras, aut eius patentes literas constet, fuerint absentes, seu aliàs legitimè impediti, eò ipso suis officijs sint priuati. Districtiùs inhibentes, ne post priuatio-

nationem huiusmodi ipsis Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus quicquam distribuatur per ipsum Vicecancellarium, vel Taxatores huiusmodi literarum. Et quia Notarij dictæ Sedis, ad quorum officium plurimarum literarum confectio, & expeditio pertinent, illas per se facere nequeunt, sed per Abbreuiatores fieri faciunt, quos aliquando minùs peritos recipiunt, vnde plura quandoque inconuenientia subsequuntur.

§. 14. Statuimus, quòd nullus Notarius de cætero huiusmodi Abbreuiatorem recipiat, nisi prius auctoritate Vicecancellarij, per alios Abbreuiatores sibi Assistentes, examinatus, repertus fuerit idoneus, & approbatus, ac deinde ipsi Notario per dictum Vicecancellarium assignatus, in cæteris verò præmissa concernentibus, Constitutiones dictorum Prædecessorum firmiter obseruentur. Et quoniam aliquando contingit, quòd literæ Apostolicæ excessiuè taxantur, vel ab eisdem Notarijs Abbreuiatoribus, vel Scriptoribus excessiuum petitur salarium; Statuimus, quòd si Pars de excessu in præmissis velit conqueri ante expeditionem, vel post apud Vicecancellarium, vel Præsidentem prædictum conqueratur, qui habito consilio cum Assistentibus prælibatis iudicet de excessu, & si inuenerit literam excessiuè taxatam, aut exactam pecuniam, reddi faciat Parti læsæ ab illo, qui per taxam excessiuè recepit excessum. Taxator verò excessiuus de excessu, arbitrio dicti Vicecancellarij, puniatur. Si verò aliqui ex Notarijs dictæ Sedis per se, vel suos Abbreuiatores literas, quarum confectio, & expeditio ad eos pertinent, & quas vnus ex eis taxare consueuit excessiuè taxauerit, aut vltra debitum quicquid exegerit depositâ per partem apud Vicecancellarium querimoniâ de simili excessu eius arbitrio puniatur &c.

Ad reformandos mores, ac ad reformandam Curiam toto animo intentus Martinus Summus Pontifex, tertiam edidit Constitutionem, quæ eodem in Quinterno Cancellariæ habetur, ac incipit: *Sanctissimus Dominus Noster Papa Dominus Martinus &c.* ex quâ transcripsimus solummodo ea, quæ nostram intentionem feriunt, videlicet:

A Item quia ex Constitutionibus Ioannis Papæ XXII. quilibet Protonotarij suum debent habere Abbreuiatorem sufficientem, & idoneum, & huiusmodi Abbreuiatores debent facere minutas promotionum, pro quibus tantùm recipere debent dicti Abbreuiatores duodecim grossos Turonenses pro minutâ principalis promotionis, & duodecim alios grossos pro minuta literæ ad Regem, vel Principem secularem, si Ecclesia, vel Monasterium extat in dominio temporali alicuius Domini, & pro conclusione cuiuslibet minutæ aliarum literarum, debet idem Abbreuiator habere duos grossos tantùm, expensarum Protonotarij, cuius Abbreuiator est, statuit, & ordinat idem Dominus Noster, quod ijdem Protonotarij, Abbreuiatores recipiant idoneos, & sufficientes, tam ad præmissa, quàm ad Iustitiam, de qua infra dicetur peritos, qui si non fuerint tales, per dictum Vicecancellarium, vel eius Præsidentem repellantur, terminusque Protonotarijs talem ponendi præfigatur, infra quæ alium idoneum ponere debeat, quo negligentiâ elapso, Vicecancellarius prouideat in præmissis.

Item, quod dicti Abbreuiatores pro eorum labore nihil vltra exigant à Partibus, quàm id, quod supra dictum est, secundùm taxam Ioan. XXII. prædictam, quòdque, si eorundem Abbreuiatorum culpâ literæ fiant rescribendæ, quòd rescriptio eorum sumptibus fiat, & non Partis.

Item cùm singuli Abbreuiatores Protonotariorum per quindecim dies habeant tenere Cameras de Iustitia, pro quibus ante omnia de emolumentis ad dictos Protonotarios in dicta Iustitia, prouenientibus Abbreuiator tenens quindecim dies recipit viginti octo grossos Papales: idem Dominus noster statuit, & ordinat, quòd dicti Abbreuiatores diligenter, & sollicitè, & per seipsos dictum officium exerceant, nihilque à Partibus exigant, nec eas in longum protrahant, sed illas celeriter expediant.

Item quia Protonotarij debent corrigere minutas promotionum, seque à tergo literarum subscribere, & propter hoc salarium, seu taxa recipitur, ordinat idem Dominus noster, quòd huiusmodi Abbreuiatores minutas tradere debeant corrigen-

rigendas Protonotarijs, antequam literæ A grossentur; quòdque si ex defectu Protonotarij corrigentis rescribendæ veniant literæ, quòd sumptibus Protonotarij corrigentis rescribantur, & quòd pro huiusmodi correctura nihil vlterius à Protonotarijs exigatur, quàm sit consuetum, iuxta taxas antiquas dicti Ioann. XXII.

Ex supra relatis Constitutionibus clarissimè deduci posse videtur, quos Protonotarios nunc appellamus, à Sanctissimo Pontifice Clemente I. ad scribenda acta Martyrum deputatos, semper Romanæ Ecclesiæ inseruijsse, illorum tamen immu- B tato munere, cùm desijssent martyria, quæ notare debebant, eis demandatum fuit, vt alia Apostolicæ Sedis acta, præsertim ea, quæ nunc Bullas, siue Diplomata denominamus, componerent, in quorum munere Abbreuiatores deinde suffecti fuere.

Si Martinus toto animo incubuit, vt rectè omnia hac in Vrbe, & præsertim in Cancellaria Apostolica gererentur; non defuit in hoc fel. rec. Eugenius IV. Martini Successor, cùm aliam ediderit Constitutionem, quæ in laudato Quinterno reperitur, & à bo: me: Francisco titulo S. Cle- C mentis Presbytero Cardinali Venetiarum S.R.E. Vicecancellario in Cancellaria Apostolica publicata fuit, tenoris sequentis.

EVGENIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta nonnumquam pro ordinandis Curiæ Romanæ officijs, & in meliùs disponendis aliqua moderatur, reformat, & statuit, prout necessitati rerum, & tem- D porum in Domino prospicit salubriter expedire. Cùm itaque inter alia, Iustitiæ, & æquitati, ac vtilitati à Sede Apostolica Gratiam vel Iustitiam obtinentium plurimùm conueniat, vt literæ Apostolicæ, quæ ex supplicationibus signatis conficiuntur, maturè, & accuratè, ac sine vllâ à concessis discrepantiâ, in Cancellaria Apostolica expediantur:

§. 1. In primis statuimus, & ordinamus, quòd Parcus Maior Cancellariæ Apostolicæ, in duas partes æquales, ex vtroque latere diuidatur, videlicet superiorem, & inferiorem, ad quas partes omnes, & singulæ literæ, in dicta Cancellaria expediendæ, per Senescallum, siue Custodem, & non per quemuis alium deferantur, ita quòd per eius prouidentiam iuxta discretionem, à Deo sibi datam, grauiores, & difficiliores materiæ deputatis superioris partis, veluti antiquioris, & magis expertis assignentur, quæ literæ coram omnibus cuiuslibet partis intelligibiliter legantur, vnusque supplicationem teneat, & alter legat literam expediendam ipsis cuiuslibet partis deputatis, audientibus, & intelligentibus, qui ad hoc sint intenti. Si verò aliquando contingat ita paucas expediendas literas, ad Cancellariam ipsam deferri, vt infra tempus duarum horarum ab ipso toto Parco simul expediri posse videantur, quòd Vicecancellarij, vel ipsius Locumtenentis arbitrio relinquatur, tunc coram omnibus vtriusque partis legantur, & expediantur iuxta modum supradictum, literæque sic expeditæ cum signo duorum Abbreuiatorum, quorum neutri supplicatio sit distributa, signentur, & sic signatæ, per Abbreuiatores eosdem Custodi tradantur, per eum Vicecancellario, seu Locumtenenti prædicto præsentandæ. Qui Vicecancellarius, seu Locumtenens etiam aliquod signum pro earum expeditione ponat, aliter autem nulla litera ad Bullam transmittatur. Idem etiam de literis Iustitiæ per eos, ad quos eorum spectat expeditio volumus obseruari. Quòdque si aliquis dictorum Abbreuiatorum de cætero literam aliquam, cuius supplicatio sibi distributa fuerit, vel literam taliter non lectam, seu aliter expeditam signauerit, pro qualibet vice quilibet eorum, sic signantium, vnius floreni de Camera pœnam, pro vna Custodi, seu Senescallo prædicto, pro alia Pœnitentiarijs minoribus medietatibus applicandis, pœnam incurrat ipso facto. Custos verò, seu Senescallus præfatus, si literam aliquam aliter, quàm iuxta ordinem prædictum expeditam dicto Vicecancellario, seu Locumtenenti præsentauerit, duorum florenorum similium pœnam pro qualibet vice incurrat, quorum vnum dicto Vicecancellario, seu Locumtenenti, alium verò dictis Pœnitentiarijs irremissibiliter volumus applicari.

§. 2. Item cùm deceat Abbreuiatores

literarum prædictarum ipsi Viceccancellario, seu Locumtenenti, aut Præsidenti assistentes, in earundem literarum expeditione, videlicet Abbreuiaturæ officio probatos, & probos fore, peritos pariter, & expertos, similiter statuimus, & etiam ordinamus, quòd nullus de cætero ad assistendum Vicecancellario, aut Locumtenenti, seu Præsidenti prædicto in ipsarum literarum expeditione admittatur, nisi prius per maiorem partem Abbreuiatorum, dicto tunc Vicecancellario assistentium, examinatus fuerit, & ad id repertus sufficiens, in stylo peritus, idoneus pariter, & expertus. Et si quis de mandato nostro aliter admissus fuerit, à iudicandi officio, & literas expediendi, à die receptionis suæ computando, per biennium sit suspensus.

§. 3. Item quòd præfati Assistentes horâ super hoc per Vicecancellarium deputandâ, singulis diebus, quibus Cancellaria tenebitur, ad eam venire, & in ipsa, quousq; tenta fuerit, perseuerare debeant; nec interim ab ea recedere possint, nisi forsan legitimè fuerint impediti, aut super hoc à Vicecancellario prædicto licentiam habuerint specialem; si verò quis licentiâ huiusmodi non obtentâ, legitimâque excusatione cessante, aliquâ dierum prædictarum ad Cancellariam prædictam non venerit, aut si venerit, sed ab ea antequam expedita fuerit licentiâ non obtentâ, recesserit, à proxima ex tunc immediatè tenenda Cancellaria expellatur, & ab eius ingressu penitùs sit suspensus. Si autem venerit, sed non horâ deputatâ, vt præfertur, ad exercitium sui officij in Cancellaria prædicta, pro die illa nullatenùs admittatur. De quibus omnibus Vicecancellarium prædictum per Custodem, seu Senescallum præfatum attentiùs auisari volumus, & reddi attentum.

§. 4. Item statuimus, & ordinamus, quòd Senescallus, siue Custos præfatus, in ipsius Vicecancellarij manibus, in sua primæua receptione, àd suum Senescalliæ, seu Custodiæ officium, & deinde singulis annis, quibus eum in ipso officio esse contigerit, de suo huiusmodi officio fideliter exercendo, corporale teneatur, & debeat præstare Iuramentum, sub hac verborum forma: Ego N. Custos &c.

§. 5. Item quòd Senescallus, siue Custos præfatus, in quibuscumque literis de A gratia, diem receptionis earundem, quâ sibi in ipsa Cancellaria præsentabuntur, inscribat, pro qua scriptura nihil recipiat, etiam sponte oblatum, literasque prædictas secundùm ordinem inscriptionis earum, sine fraude in expeditione præsentet. Nec literas, rotulos, seu supplicationes sibi traditas, seu traditos ante, vel post dictarum literarum expeditionem in præfata Cancellaria celabit, seu malitiosè retinebit, aut earundem literarum expeditionem differet, seu retardabit malitiosè per se, B vel alium, seu alios contra ordinationem supradictam. Et si contrarium fecerit pœnam ab eius officio suspensionis incurrat eo ipso, ad tempus, ipsius Vicecancellarij arbitrio, moderandam. Et si Senescallus prædictus contra suum iuramentum huiusmodi dolo, vel fraude aliqua fecisse diceretur, quia de talibus, & similibus delictis, quæ secretè committuntur non potest sine difficultate constare, si quinque ex Scriptoribus, vel Abbreuiatoribus prædictis non suspecti, bonorum nominis & famæ, Senescallum nostrum huiusmodi, suum offi- C cium illegaliter, & aliàs, vt præfertur, exercuisse deponant, eo ad hoc vocato, suo priuetur officio, & de alio prouideatur idoneo, qui simile præstet iuramentum.

§. 6. Item quòd nullus alius, quàm ipse Senescallus aliquam literam, gratiam continentem expediendam, aut etiam Senescallus prædictus literam aliquam extra ordinem prædictum in loco expeditionis ponat, nisi hoc de mandato Summi Pontificis, aut Vicecancellarij, seu Locumtenentis pro tempore procederet speciali, & ille, qui literam ipsam aliter posuerit, ad D arbitrium Vicecancellarij, vel Locumtenentis à suo officio eo ipso sit suspensus. Et si durante suspensione huiusmodi, se dicto officio immiscuerit, illo perpetuò priuatus existat.

§. 7. Item quòd in Cancellaria prædicta sit capsa pro custodiendis, & conseruandis literis non expeditis, duas habent clausuras, & claues duas, quarum vnam Vicecancellarius, seu eius Locumtenens, & aliam Custos, siue Senescallus prædictus teneant, in qua omnes literæ illâ die, quâ Cancellaria tenta fuerit non expeditæ, sub bona, & firma custodia reponantur, die ex tunc

tunc sequenti, quâ Cancellaria ipsa tenebitur, ad locum expeditionis earum reponendæ, & iuxta ordinem supradictum expediendæ. Et si quis literam aliquam extra ordinem prædictum expedire, seu in loco expeditionis ponere præsumpserit, eò ipso pœnam, in primo capitulo contentam, incurrat.

§. 8. Item statuimus, & ordinamus, quòd nulla ex Constitutionibus dictę Cancellariæ cuique detur, vt de ea in iudicio in Romana Curia pro tempore instituto fidem faciat, nisi prius per Assistentes eosdem, illam dandam fore, fuerit iudicatum, & tunc per duos ex eis videatur, & signetur in dorso, & per alios duos ex Abbreuiatoribus, cum libro Cancellariæ auscultetur diligenter, qui se subscribant in eadem, & deinde signo eiusdem Viceccancellarij, vt est moris, signetur Parti petenti assignandâ, pro qua quidem Constitutione taliter expeditâ per Secretarium, seu Cubicularios dicti Viceccancellarij, aut Locumtenentis vltra duos, ac Senescallum præfatum vltra alios duos grossos, quorum decem florenum auri de Camerâ constituunt, nullatenus recipiatur, seu etiam exigatur. Constitutiones verò, modum expeditionis literarum dumtaxat concernentes, cuiquam dicto modo concedi omninò prohibemus.

§. 9. Item, vt Constitutiones nostræ, & aliorum Prędecessorum nostrorum Summorum Pontificum, in ipsa Cancellaria descriptæ, ex dicta Cancellaria per manus Viceccancellarij securiùs, & certiùs modo supradicto expediantur, & illis fides adhibeatur, ac Indigentibus earum transumptis in forma publica per manus dicti Viceccancellarij illæ concedantur. Cùm nonnulli Notarij sub instrumentis suis, illarum petentibus tradant copiam, seu etiam Constitutiones ipsas in causis, in quibus ad scribendum sunt deputati, productas coram suis, aut alijs Auditoribus, vel Commissarijs in eadem Curia pro tempore deputatis, ad petentium huiusmodi instantiam ipsarum Constitutionum, vel alicuius earum præsidio se indigere asserentium, reproducant compulsi, attestantes illas tempore, quo producebantur, etiam fuisse recognitas, in quibus faciliter fraudes committi possent, & pericula. Statuimus, & etiam ordinamus, quòd nulli transumpto dictarum Constitutionum, seu etiam originali Constitutioni in huiusmodi Iudicio de cætero fides adhibeatur, nisi per manus Viceccancellarij fuerit expeditus, vel expedita, vt præfertur, aut si extra Curiam transumptum, seu Constitutio aliqua producendum, seu producenda fuerit, nisi sigillum ipsius Viceccancellarij, seu Regentis habeat appensum, nullatenus fidem faciat.

§. 10. Item literæ de Iustitia maiori absque partium damno, & breuiùs expediantur, similiter statuimus, & ordinamus, quòd Cancellaria literarum Iustitiæ huiusmodi saltem semel in septimana die per ipsum Viceccancellarium ad hoc statuendâ teneatur, ad quam Notarij dictæ Sedis, qui sex numero esse debeant, eorumque, & alij informandis notis in Iustitia, vel in Iure sufficientes Abbreuiatores, quorum nomina in pyctacio Abbreuiatorum sint descripta accedere, nec non Doctores famosi etiam Prælati, & Practici in dicta Curia tunc præsentes per Custodem, siue Senescallum dictæ Cancellariæ conuocari debeant, per Cedulæ affixionem in Valuis, seu portis Palatij Apostolici, ac Cancellariæ prædictæ die, ipsam Cancellariam de Iustitia immediatè procedenti, publicè fiendam. Etsi Senescallus, siue Custos prædictus in affigendo cedulam huiusmodi negligens, seu remissus fuerit, quâlibet vice, quâ negligens repertus fuerit, vt præmittitur, in vno floreno auri de Camera condemnatus existat, qui pro vna Viceccancellario antedicto, & pro alia medietatibus minoribus Pœnitentiarijs prædictis irremissibiliter applicetur.

§. 11. Item quoniam multi reperiuntur Abbreuiatores, quorum aliqui omninò sunt imperiti, & aliqui minus quàm oporteat, aliqui verò, qui numquam Abbreuiaturæ exercent officium, aut Cancellariam ipsam frequentant, Viceccancellarius, aut Præsidens, seu Locumtenens præfati, qui talium habent notitiam, hoc studeant efficaciter obseruare, quòd omninò imperitis, & his, qui non consueuerunt dictum officium personaliter exercere, seu Cancellariam frequentare, nullas, peritioribus autem difficilioris materiæ

ſupplicationes pro minutis fiendis diſtribuant, ne propter Abbreuiatorum imperitiam ſint literæ reſcribendæ.

§. 12. Item ne partes, caſu, quo literæ earum reſcribendæ fuerint iudicatæ, aut etiam Scriptores, & Abbreuiatores prædicti de eorum labore valeant defraudari; ſtatuimus, & etiam ordinamus, quòd quandocumque Abbreuiator faciendi minutam, & Scriptor ſcribendi Bullam onus ſuſcipiant, partem ſalarij eis debiti dumtaxat, reſiduum verò, poſtquam litera huiuſmodi fuerit expedita, antequam tranſmittantur ad Bullam, integraliter recipere valeant, & non aliter, vt ſi literæ ipſæ Scriptorum, vel Abbreuiatorum culpâ fuerint reſcribendæ iudicatæ, illi, cui ſatisfactio fuerit impendenda, de ſecunda parte ſalarij huiuſmodi efficaciter poſſit prouideri.

§. 13. Item ſtatuimus, & etiam ordinamus, quòd quotieſcumque iudicatum fuerit literam aliquam reſcribendam, iudicium ſuper hoc in capite ipſius literæ ponatur, & cuius culpâ; videlicet ſi Abbreuiatorum, vel Scriptorum, aut partis, quæ literam ipſam procurat. Et ſi litera huiuſmodi Scriptorum, vel Abbreuiatorum culpâ reſcribenda fuerit iudicata, ex tunc Seneſcallus, ſiue Cuſtos prædictus illam incontinenti de ipſius Domini Vicecancellarij, quem ſuper hoc reddat attentum; mandato Reſcribendario aſſignet, iniungens eidem, quòd literam prædictam reſcribi, & in prima Cancellaria ex tunc immediatè ſequenti, ipſam reſcriptam reportari faciat, & procuret, illamque poſtquam auſcultata fuerit, vt moris eſt, reſcripta vlterius Abbreuiatori, qui eam iudicauit reſcribenda, ſi præſens fuerit; alioquin alteri pro eo aſſignet Abbreuiatori, vlterius expediendam, quam expeditam ſine alijs Partis literam ipſam procurantis, expenſis, ſatisfacto illo de ſecunda parte Salarij, ex tunc reſtituta, cui ſatiſfactio fuerit impendenda tranſmittat ad Bullam. Si verò litera aliqua, Partis prædictæ culpâ reſcribenda fuerit iudicata, de illa, Pars ipſa taxam ſoluat inferius moderatam, & non vltra. Illi autem, qui ex Cuſtode, Scriptore, vel Abbreuiatore prædictis in præmiſſis, ſeu eorum aliquo repertus fuerit negligens vel remiſſus, duorum florenorum auri de Camera pro

A vna Vicecancellario prædicto, & aliâ medietatibus, Pœnitentiarijs minoribus prædictis irremiſſibiliter perſoluendorum pœnam incurrat ipſo facto.

§. 14. Item quia Notarij dictæ Sedis plures literas quarum confectio, & expeditio ad eorum ſpectat officium per ſe facere nequeunt, illas per alios fieri faciunt, Abbreuiatores, quos aliquando minus recipiunt peritos & expertos, vnde Partibus illas proſequentibus inconuenientia ſubſequuntur; Statuimus, quòd nullus Notarius de cætero aliquem in ſuum recipiat Abbreuiatorem, niſi prius dicti Vicecancellarij auctoritate, per alios ſibi aſſiſtentes Abbreuiatores examinatus fuerit, & approbatus, & tamquam talis per Vicecancellarium præfatum ipſi Notario aſſignatus. Et ſi aliquis non idoneus in præſentiarum fuerit; mutetur, & de alio prouideatur iuxta ſupradicta.

B

§. 15. Item quia aliquando contingit, quòd literæ Apoſtolicæ nimis exceſſiuè taxantur, & ab eiſdem Notarijs, Scriptoribus, & Abbreuiatoribus exceſſiuum petitur ſalarium. Statuimus, & etiam ordinamus, quòd Notarij, Scriptores, ac Abbreuiatores præfati vltra fel. recor. Ioannis Papæ XXII. & alias inferius adnotatas, & ſpecificatas taxas nullatenus recipere præſumant etiam ſponte oblatum. Et ſi Pars ante, vel poſt ipſarum literarum expeditionem de exceſſu conqueri voluerit, apud Vicecancellarium, vel eius Locumtenentem conqueratur, qui, habito conſilio cum Aſſiſtentibus prælibatis, iudicet de exceſſu, & ſi literam exceſſiuè taxatam, ſeu pecuniam exactam fuiſſe repererit, Parti læſæ, ab illo, qui exceſſit reſtitui faciat exceſſum, ipſeque Excedens dicti Vicecancellarij arbitrio puniatur.

C

D

§. 16. Item quòd Abbreuiatores prædicti, antequam ad officium Abbreuiatoriæ huiuſmodi admittantur, in manibus Vicecancellarij præfati, tactis ſcripturis ſacroſanctis, ad Sancta Dei Euangelia corporaliter præſtent Iuramentum ſub hac verborum forma. Ego N.

Iſtius autem Iuramenti formam ex eodem Quinterno deſumptam hìc annectere operæ pretium exiſtimaui; cùm differat ab illa, quæ in modernis Statutis reperitur, ac præſenti tempore obſeruatur.

Antiqui

Antiqui igitur Iuramenti forma hęc est:

Ego N. Abbreuiator iuro quòd officium meum fideliter exercebo, dolum, seu fraudem aliquam circa ipsum officium non committam, nec consentiam committenti, & si sciam aliquem dolum, vel fraudem circa committentem Domino Vicecancellario, Cancellariam Regenti quanto citiùs potero reuelabo, literas, quæ expediri debent in Cancellaria malitiosè non impediam, nec impediri consentiam, nec quantum in me fuerit impediri faciam, vel permittam; impediendas etiam malitiosè expedire minimè procurabo. Impugnantes literas ipsas in Cancellaria Partibus, seu eas Procurantibus, vel personis alijs, per quas peruenire possint ad eorum notitiam, minimè reuelabo. Secreta etiam alia ipsius Cancellariæ, quæ secreta esse cognouero, secretè tenebo, eaque scienter nemini pandam. Sic me Deus adiuuet &c.

Callistus III. paucis ab Eugenio Prædecessore annis ad Petri Cathedram regendam electus, memor Dominici Verbi, *Beatum* dicentis *illum*, *qui seminat bonum semen in agro suo*, decreuit propterea, vt tales in Cancellaria Ministri ad illam regendam eligerentur, qui vellent, & valerent commissas sibi gratiarum expeditiones, ita peragere, vt huius Sanctæ Sedis Pontificisque honori, nec non impetrantium indemnitati consulturi essent, ac, vt hæc eius voluntas in posterum patens foret, infrascriptam edidit constitutionem; videlicet.

CALLISTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

ASsidua nostri cordis meditatio inter cætera ad hoc vigilat, vt quæ Apostolicæ Sedis officijs hactenus fuerunt deformata, per nostræ prouisionis ministerium reformare, & in statum pristinum reducere studeamus.

§. 1. Sanè cùm literarum Apostolicarum Abbreuiatores S. R. E. Vicecancellario, aut Cancellariam Apostolicam de Romani Pontificis mandato Regenti, in dictarum literarum expeditione assistentes esse conueniat Viros præclaros, consilij, maturitatè conspicuos, virtutum redimi-

A tos ornatibus, qui non solùm eloquentiam, & vtriusque Iuris peritiam, sed etiam omnium, quæ in Romana Curia tractantur practicam simul habeant, & in eadem Cancellaria fuerint longo tempore conuersati, ac supplices minutas iuxta stylum dictæ Cancellariæ confecerint, quales fuerunt priscis temporibus, & aliqui adhuc superstant, quorum gesta omni laude digna comprobamus, sintque nonnulli honorem præfatæ Sedis labefactare volentes, qui licèt practicam, & stylum eiusdem Cancellariæ non habeant, nihilominùs

B cum omni instantia eisdem Vicecancellario, seu Regenti assistere, & in Parco Maiori se admitti varijs modis exquisitis hactenùs importunè sollicitarunt, & continuò sollicitant.

§. 2. Nos igitur, ad quos pertinet super his oportunè prouidere. Attendentes, quòd locus Præsidentiæ eiusdem Cancellariæ, dexter oculus Romani Pontificis non immeritò appellatur, & quòd officium dictorum assistentium Abbreuiatorum in hoc potissimum consistit; nostras videlicet, & pro tempore existentium Romano-

C rum Pontificum signatas supplicationes ad Iustitiam, & honestatem interpretari, Constitutiones, & Ordinationes Apostolicas obseruare, & continuò præcauere, ne quid per eandem Cancellariam expediatur; quòd minus debitum, vel honestum censeri possit, ac debitè recensentes, nullum ad huiusmodi officium recipi meritò debere, qui non sit in ijs, quæ ad prædictum pertinent officium benè practicus, & expertus, & qui longo tempore in eadem Cancellaria fuerit conuersatus.

§. 3. Ad eorundem ambitiosorum

D compescendam temeritatem, ac vt literę Apostolicæ, secundùm antiquum stylum, per eandem Cancellariam accuratè expediantur, ac debitus ordo obseruetur, perpetuæ Constitutionis edicto. Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd nullus de cætero ad huiusmodi officium recipiatur, vel admittatur, nisi, vt præfertur, qualificatus, habilis, & idoneus, ac per rigorem examinis publicè, vt moris est, comprobatus extiterit, & in prima visione per tres, ac in Parco Minori per quinque annos ad minus steterit, vel ad huiusmodi exercendum

dum

dum officium, tam per longam practicam, quàm per rigorem examinis publicè coram Viceccancellario sit approbatus, qui tamen coniugatus nullatenus existat.

§. 4. Cassantes, reuocantes, & annullantes omnes supplicationes, seu mandata sub quacumque verborum formâ, per Nos, etiam proprio motu, super receptione quorumcumque ad præmissum officium signatas, quæ effectum non fuerint consecuta.

§. 5. Ac districtiùs inhibentes dilectis filijs Correctori dictarum literarum, nec non præfatis de Maiori Parco præsentibus & futuris sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam ipso facto, contrafaciendo, incurrant, ne aliquem, nisi vt præfertur qualificatum, practicum, examinatum, comprobatum, & idoneum ad huiusmodi Officium admittere, ac alijs Abbreuiatoribus literarum earundem, extra prædictum Parcum Maiorem pro tempore existentibus, cuiuscumque gradus, & conditionis existant, vt sub eadem excommunicationis, atque priuationis Abbreuiatoriæ, & aliorum, quæ exercent Officiorum pœnis, quas similiter contrafaciendo incurrant ipso facto, ne contra Statutum, & Ordinationem huiusmodi, se ad dictum officium recipi, & admitti per se, vel alium, seu alios quoquomodo procurauerit.

§. 6. Decernentes Correctorem, & ipsos Abbreuiatores de Maiori Parco ad recipiendum aliquem, nisi vt præmittitur qualificatum, practicum, examinatum, comprobatum, & idoneum. Ac nisi necessitate exigente, videlicet cùm in ipso Parco minus, quàm decem, vel duodecim forent, non teneri, nec ad id etiam prætextu literarum, vel mandatorum Apostolicorum etiam à Nobis, vel à Sede prædicta, sub quauis verborum forma pro tempore emanandorum, compelli posse quoquomodo, etiamsi statuto, & ordinatione præmissis foret motu simili, & ex certa scientia specialiter, & expresse derogatum.

§. 7. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo &c. nostrorum statuti, ordinationis, cassationis, reuocationis, annullationis, inhibitionis, & decreti infringere &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo octauo, Quinto Kal. Aprilis Anno Tertio. P. de Curia de Varris.

Registrata lib. 36. Bullarum Callisti III. pag. 329.

Hucusque, quantum Romanis Pontificibus cordi fuerit, vt Cancellariæ Apostolicæ expeditiones rectè, ac debito peragerentur ordine, satis demonstrauimus. Modo superest etiam ostendere quanti ipsos Cancellariæ supremos Officiales, nempè Abbreuiatores, Pontifices ipsi æstimauerint, vt ex infrascriptis duabus Pontificijs Constitutionibus supramemorati Callisti III., & Pij II. clarè argui potest; & cùm idem Callistus ante literarum expeditionem obijsset, gratia ab eo concessa à Pio successore expedita fuit, tenoris sequentis.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

Rationi congruit &c.

§. 1. Dudum siquidem felicis recordationis Callistus Papa III. Prædecessor noster, videlicet sub datum XII Kal. Maij Pontificatus sui anno primo. Dilectis filijs singulis ex Correctore, & Abbreuiatoribus literarum Apostolicarum in earundem expeditione S. R. E. Vicecancellario, seu pro tempore Cancellariam Regenti, Assistentibus nostris tunc suis familiaribus, singulas gratias cum reseruatione nonnullorum Canonicatuum, etiam sub expectatione Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum etiam curatorum, & electiuorum in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesijs, aliorumque cum cura, vel sine cura Beneficiorum ecclesiasticorum ad id diuersorum, & in diuersis partibus consistentium, tam secularium, quàm regularium collatorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem, etiam ratione Dignitatum, Personatuum, Administrationum,

tionum, & officiorum, quæ in dictis Ecclesijs obtinerent communiter, vel diuisim pertinentium, vacantium, tunc aut simul, vel successiuè vacaturorum per diuersas suas literas, quarum omnium, & singularum tenores, series, & effectus, ac si de verbo ad verbum inserti forent.

§. 2. Necnon omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ quilibet ex Correctore, & Abbreuiatoribus prædictis in quibuscumque Ecclesijs, siue locis, etiam ex quibusuis dispensationibus Apostolicis obtinebant, quęcumque, & qualiacumq; essent, eorumque fructuum, redditnum, & prouentuum, veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationum tenores alijs, si super hoc confectæ fuissent ipsius Prædecessoris literis haberi voluit pro sufficienter expressis, duxit concedendas, prout in emanatis primo dictis literis pleniùs continetur.

§. 3. Cùmque olim antea Romani Pontifices, nostri tunc sui, Prædecessores, cupientes suos continuos Commensales familiares, specialibus fulcire prærogatiuis, voluissent atque concessissent eos, in assecutione quorumcumque Beneficiorum, quæ vigore gratiarum expectatiuarum, eis concessarum, pro tempore expectabant, cæteris expectantibus anteferri.

§. 4. Idem Prædecessor Callistus similiter cupiens Correctorem, & Abbreuiatores assistentes prædictos, quoad sortiendum totalem effectum gratiarum huiusmodi, per ipsum eis, & eorum cuilibet, vt præfertur concessarum, cæteris quibuscumque anteferri, ipsorum in ea parte supplicationibus inclinatus, videlicet pręfata die XII. Kal. Maij, voluit, & apostolica auctoritate eisdem Correctori, & Abbreuiatoribus assistentibus, quos omnes, & singulos quoad hoc suos veros familiares continuos commensales reputauit, talesque fore decreuit, dictarum aliarum suarum, sic vt præmittitur confectæ fuissent literarum serie concessit.

§. 5. Quod si, & quandocumque ipsum Callistum Prædecessorem contigerit suos familiares continuos Commensales in assecutione singulorum Beneficiorum, quæ vigore gratiarum per eum ipsis concessarum expectabant, quibusuis antelationibus, & prærogatiuis attollere, tunc & eo casu Corrector, & Abbreuiatores assistentes præfati, in assecutione eorundem Beneficiorum, quæ vt præfertur, expectabant, omnibus illis prorsus prærogatiuis, & antelationibus, quibus dicti familiares continui commensales sui gauderent, & gaudere possent in omnibus, & per omnia aduersus quoslibet alios expectantes, eisdem familiaribus continuis commensalibus dumtaxat exceptis, pariformiter vti, & gaudere, ipsisque alijs pręiudicare possent, & deberent, necnon antelationes, & prærogatiuæ huiusmodi in eorundem Correctoris, & Abbreuiatorum fauorem concessæ censerentur.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis eisdem Correctori, & Abbreuiatoribus assistentibus concessis voluerat non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 7. Ne autem de voluntate, concessione, reputatione, & decreto præfatis pro eo, quòd super illis dictis Callisti Prędecessoris literæ eius superueniente obitu confectæ non fuerint, à quoquam valeat quomodolibet hæsitari. Volumus & eâdem auctoritate decernimus, quòd præsentes literæ, ad probandum plenè voluntatem, & decretum Callisti Prædecessoris, necnon concessionem, reputationem huiusmodi, vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 8. Nulli ergo &c. nostræ voluntatis, & constitutionis infringere &c. si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo octauo, Tertio nonas Septembris Anno Primo.

O. Gratis pro Assistentibus octauo Kal. Anno primo Pontanus.

Registrata lib. 6. Bullarum Pij II. fol. 117.

Non absimilem gratiam eisdem Correctori, & Abbreuiatoribus assistentibus concessit idem Pontifex, cuius gratiæ tenorem, vt euidentius appareat, hic apponimus; videlicet.

PIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei
Ad futuram rei memoriam.

DVM ingentia labores, & onera, quę dilecti filij Corrector, & alij literarum

rum Apostolicarum Abbreuiatores, familiares nostri, qui S. R. E. Vicecancellario, pro tempore existenti, in earundem literarum expeditione assistunt, non modò ordinando, sed etiam expediendo præfatas literas continuò perferunt, diligenter attendimus, non indignè agere arbitramur, si eos specialis fauoris gratiâ confouemus.

§. 1. Hodiè siquidem Motu proprio Correctori, & Abbreuiatoribus præfatis gratias exspectatiuas ad duo Beneficia, & totidem Collationes in diuersis locis, & sub diuersis formis concessimus, prout in nostris inde confectis literis pleniùs continetur.

§. 2. Cùm itaque Nos intendamus nonnullos antiquiores, & cariores ex dilectis filijs familiaribus nostris, continuis Commensalibus in certo libro Cancellariç Apostolicæ nominatim describendos, vt in assecutione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ similium gratiarum expectatiuarum, & pro tempore expectabunt, quibusuis alijs præferantur Apostolicis prosequi gratijs, & specialibus fulcire prærogatiuis.

§. 3. Nos cupientes, vt ipsi Corrector, & Abbreuiatores modo simili earundem ipsis concessarum gratiarum celerem consequantur effectum, ac volentes eos, ob grata deuotionis, & familiaritatis obsequia, quæ Nobis, & Apostolicæ Sedi iugiter impenderunt, & adhuc sollicitis studijs impendere non desistunt, fauore prosequi gratiæ specialis.

§. 4. Motu simili, non ad ipsorum Correctoris, & Abbreuiatorum, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate, eisdem Correctori, & Abbreuiatoribus, vt in quorumcumq; Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, aliorumque Beneficiorum ecclesiasticorum sub gratijs, & literis eis concessis huiusmodi comprehensorum, & quæ eorum vigore pro tempore expectabunt, & de quibus sibi prouideri fecerint in illorum assecutione omnibus, & singulis prærogatiuis, antelationibus, & fauoribus, quæ ex quibusuis per Nos pro tempore factis, & editis statuto, decreto, ordinatione, & declarationibus eisdem etiam pro tempore descriptis familiaribus nostris proueniunt, & quibus illi in huiusmodi assecutione, per eos suarum gratiarum prædictarum vigore faciendâ, potientur, & gaudebunt, ac potiri, ac gaudere poterunt pariformiter, & absque vlla differentia in omnibus, & per omnia (absque tamen eorundem familiarium præiudicio) potiri valeant, pariter, & gaudere, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus.

§. 5. Declarantes nostræ intentionis existere, quòd si forsan aliqui cuiuscumque status, gradus, vel conditionis, etiam si Capellani, aut alij nostri, & dictæ Sedis Officiales existerent quascumque gratias expectatiuas cum prærogatiuis ad instar ipsorum describendorum familiarium, vel tamquam si ipsi descripti familiares nostri essent, seu alijs præsentibus pares prærogatiuas haberent, illi quoad huiusmodi Beneficiorum assecutiones Correctori, & Abbreuiatoribus prædictis, & eorum singulis omninò cedere debeant; ipsique Corrector, & Abbreuiatores in eadem assecutione possint, & debeant penitus anteferri.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Prærogatiuis, Priuilegijs, Concessionibus, Indultis & literis per Nos præfatis, vel quibusuis alijs personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint in genere, vel in specie sub quibusuis formis, & verborum expressionibus, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, clausulis, etiam motu simili per Nos hactenus concessis, & in antea concedendis, necnon omnibus, quæ in prædictis eisdem Correctori, & Abbreuiatoribus concessis gratijs, voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 7. Nulli &c. nostrorum concessionis, indulti, declarationis, & voluntatis infringere &c. si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo octauo, Octauo Kal. Decembris. Anno Primo.

A. gratis pro Assistentibus Concordien.

Registrata lib. 15. Bullarum Pij II. fol. 188.

Plu-

Plures notiones non attulimus, quia nobis permissum non est in secretiora scrinia penetrare; si facilis pateret aditus, vtique laboribus non pepercissemus. A

Ex hactenus igitur narratis munus Abbreuiatorum, veluti plantam vidimus pullulare; modò ad illius augmentum, perfectionemque videndam accedamus.

CAP. V.

De Collegij Abbreuiatorum Erectione facta à Pio II. B

CVM in fine præcedentis Capitis Abbreuiatores comparauerimus plantæ, quæ paulatim è solo erumpit, ac ad altitudinem crescit: liceat hìc sub eodem allegorico procedendo sensu, sic orationem prosequi. Sicut in hortis aliquæ plantæ sunt, quæ è terrâ assurgentes folia indiscriminatim vndique spargunt, ita vt diligens Olitor, vt planta pulchrior, imò suauior euadat, folia in vnum colligat, ac costringat; ita etiam Summus Pontifex Pius II. prospiciens Abbreuiatorum plantam Romanæ Curiæ, ac Cancellariæ Apostolicæ proficuam esse; dispersos Abbreuiatores, veluti plantæ folia, iu vnum Collegium vniuit, quæ duas formaret partes, ac sicuti accidere in planta conspicimus, quòd folia interiora colore, & sapore in aliquo ab exterioribus diuersa sunt, ita etiam ijdem Abbreuiatores, licèt ex eodem proueniant germine, inter se tamen differunt, cùm Abbreuiatores de Parco Maiori duodecim numero tantùm sint (vt in dissertationis progressu demonstrabimus) ac in exercitio, habitu, & dignitate, veluti interiora folia, ab alijs Abbreuiatoribus folia externa repræsentantibus differant, vt infra ex eorundem in Collegium erectione factâ à fa: mem: Sixto IV. clariùs apparebit. Duas interim ipsius Pij Pontificis Constitutiones, quas ex supra relato Quinterno Cancellariæ Apostolicæ transcripsimus, sub oculos ponimus, vt Abbreuiatorum historia vndecumque, pro posse, absoluta appareat. Prima igitur Pij Constitutio sic se habet. C D

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

VICES illius gerentes in terris, qui cuncta secundùm illorum qualitates moderamine corrigit, rectoque disponit iudicio. Ad ea, prout decet, solerter intendimus; per quæ officia Cancellariæ Apostolicæ cum matura deliberatione, maturoque consilio exerceantur, & digna pro meritis emolumenta compensentur, & quæ hactenus deformata fuerunt, per nostræ prouisionis ministerium debitè reformentur.

§. 1. Cùm igitur literarum Apostolicarum Abbreuiatorum numerus, quem fel. rec. Benedictus Papa XII. Prędecessor noster viginti quatuor dumtaxat esse statuit, superiori tempore adeo excreuerit, & multiplicatus sit, vt infinitus quodammodo esse censeatur, quamplures etiam ad huiusmodi Abbreuiatorum officium admissi sint, qui ad illud exercendum minimè sunt idonei, quidam verò illud exactâ diligentiâ exercent, qui exinde nulla, vel modica emolumenta suscipiunt, quò fit, vt in expeditione literarum Apostolicarum, quę per eandem Cancellariam expediuntur, antiquus stylus, & ordo debitus quandoque non obseruetur, & pauci ad exercitium officij huiusmodi se accomodent, non sine dispendio procurantium literas, per Cancellariam prædictam expediri.

§. 2. Vnde cùm ad nostrum spectet officium super hoc opportunè, & celeriter prouidere; auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò statuimus, decernimus, & declaramus. Quòd numerus Abbreuiatorum literarum prædictarum, quibus dumtaxat fiet distributio, sit septuagenarius, qui omnes in quodam pictacio ad instar Scriptorum literarum earundem describantur, ipsorumque Abbreuiatorum officium sit perpetuum, ac disponi de eo possit in omnibus, & per omnia sicuti de officio Scriptoriæ literarum earundem.

§. 3. Ipsique septuaginta Abbreuiatores omnibus, & singulis Constitutionibus, statutis, ordinationibus, priuilegijs, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus,

concessionibus, & indultis quibuscumque gaudeant, potiantur, & vtantur, pariformiter, sicuti Scriptores antedicti, etiam quoad hoc, vt familiares nostri, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum perpetuò sint, & in quibuscumque literis Apostolicis tales nominentur, & literæ Apostolicæ Gratiam, vel Iustitiam concernentes, pro dictis septuaginta Abbreuiatoribus, eorumq; nepotibus, etiam si vxorati fuerint, pro eorum filijs, Gratis in omnibus officijs expediantur, extendentes ad præfatos septuaginta Abbreuiatores, ac mandantes ea sub pęnis, & censuris, in illis contentis, etiam quoad prædictos septuaginta Abbreuiatores firmiter obseruari in omnibus, & per omnia, ac si illa dictis septuaginta Abbreuiatoribus de verbo ad verbum per Nos concessa fuissent.

§. 4. Emolumentum verò, quod habebunt septuaginta Abbreuiatores prædicti sit vna taxa æqualis taxæ, quæ datur pro grossa Scriptoribus suprascriptis, tam de literis, quæ per eandem Cancellariam, quàm etiam de illis, quæ per Cameram expediuntur, etiamsi absque supplicatione, & signaturâ illas expediri contingat.

§. 5. Quòdque singulo trimestri per ipsos Abbreuiatores participantes eligantur quatuor ex eis, qui Vicecancellario S. R. E. pro tempore existenti, seù eius Locumtenenti, aut Cancellariam Apostolicam, de mandato nostro, Regenti præsententur, & ille ex prædictis quatuor, quem Vicecancellarius, Locumtenens, aut Regens ipse duxerit eligendum, Distributor sit, & nuncupetur, & eandem taxam ponat in pictacio, & ad ipsum Distributorem, & nullum alium, sine speciali mandato nostro, vel Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, omnes, & singulas supplicationes, postquam fuerint registratæ, sub pœna excommunicationis, & priuationis officiorum quorumlibet, quas tam Magistri, & Clerici Registri earundem supplicationum, quàm alij id procurantes, ipso facto incurrant: dictaque officia per huiusmodi priuationem ex tunc vacare noscantur pariformiter deferantur, sicut hactenus deferri consueuerunt Vicecancellario S. R. E. pro tempore existenti, seù eius Locumtenenti, vel Cancellariam ipsam de mandato nostro Regenti.

A

§. 6. Ipsiusque sic electi Distributoris officium sit distribuere minutas, quarum expeditio procurabitur Abbreuiatoribus antedictis ęqualiter, & secundùm ordinem, prout distribuuntur Commissiones Auditoribus Palatij Apostolici. Reliquas verò supplicationes fideliter conseruare, & illas futuro Distributori, post finem dictorum trium mensium, sine diminutione quacumque, consignare, omnemque taxam huiusmodi, concordato

B

prius pictacio, cum pictacio Scriptorum eorundem, exceptis literis simplicis Iustitiæ, ac prouisionum Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ fiunt Consistorialiter, & per Protonotarios, ac etiam illarum, quæ per Secretarios nostros, in eadem Cancellaria expediuntur, ex quibus Abbreuiatores ipsi non participabunt; singulo mense inter dictos participantes Abbreuiatores sub similibus pœnis æqualitèr partiri ad instar Scriptorum eorundem.

§. 7. Ita tamen, quòd quisquis ipsorum

C

participantium Abbreuiatorum plus receperit, quàm valeat officium, dicto mense teneatur, & debeat infra biduum post factam huiusmodi rationem sub eisdem pœnis illud restituere dicto Distributori, qui non habentibus partem eis debitam immediatè tradat, & assignet.

§. 8. Si quis tamen ex dictis Abbreuiatoribus minutam super supplicatione non confecerit, vel confectam corrigi procurauerit quintâ parte huiusmodi taxæ careat, quæ detur Abbreuiatori de Parco Maiori, qui minutam correxerit, & ex-

D

pediuerit, & tamen dicta quinta pars in sortem dicti Abbreuiatoris, cui talis distributio facta fuerit computetur, ad similitudinem dictorum Scriptorum Apostolicorum non scribentium.

§. 9. Insuper ex prædictis Abbreuiatoribus, extra Parcum Maiorem existentibus eligantur, examinentur, & approbentur per ipsum Vicecancellarium. Et prædictos Abbreuiatores de Parco Maiori pro hac prima vice octo ex sufficientioribus ad Parcum Maiorem, & sedecim pro prima visione, & sex ad videndum literas, quæ in eadem Cancellaria per dictos Secre-

cre-

cretarios expediuntur cum alijs emolumentis consuetis; & in futurum quoad eligendos, examinandos, & approbandos ipsos Abbreuiatores de Parco Maiori de prima visione, & alios ad videndum literas, per Secretarios expediendas, huiusmodi antiquus ordo seruetur.

§. 10. Nullique Abbreuiatori, nisi fuerit de numero ipsorum septuaginta participantium liceat de cætero, sub excommunicationis pęna latæ sententiæ, signare literas Apostolicas per Cancellariam, vel Cameram, vt præfertur expediendas, nullusque ex dictis Abbreuiatoribus de Parco Maiori, vel Minori, & etiam ex Secretarijs nostris sub simili pœna audeat literas huiusmodi expedire, nisi fuerint per ipsum Distributorem signatæ.

§. 11. Verùm quia interdum oritur disceptatio super taxis literarum earundem. Volumus, & mandamus, quòd quandocumque, & quotiescumque inter Rescribendarium, & Distributorem huiusmodi, pro tempore existentes, erit differentia super eisdem taxis, stetur iudicio, & declarationi duorum, vel trium antiquorum in dicto Parco Maiori, qui de huiusmodi taxis pleniorem habent notitiam, & quorum auctoritas plurimum valet, prout tempore piæ mem. Martini Papæ V. Prædecessoris nostri fieri consueuit.

§. 12. Super qualitate verò, idoneitate, ætate, & sufficientia admittendorum ad huiusmodi Abbreuiatorum officium seruetur examen, sicut pro Scriptoribus prædictis iuxta eorum Constitutiones hactenus obseruatum est, ac de præsenti obseruetur.

§. 13. Rursus, vt nostræ mentis affectus cunctis innotescat. Volumus, & etiam decernimus, quòd si qua supplicatio per Nos, seu de mandato nostro cuique in futurum distributa reperiatur. Is, cui distributa fuerit, nullum sub eisdem excommunicationis, & priuationis pœnis, quas ipso facto contrafaciendo incurrat, emolumentum recipere possit, sed huiusmodi supplicatio, pro non distributa habeatur, & per ipsum Distributorem modo præmisso distribuatur.

§. 14. Et hoc, quod Nobis licere non patimur, futuris Successoribus nostris Romanis Pontificibus indicimus districtiùs inhibentes dilecto filio nostro Roderico, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Cardinali Moderno, & pro tempore existenti Vicecancellario, seu eius Locumtenenti, aut Cancellariam ipsam Regenti, vt sub pœna excommunicationis, aliquam supplicationem, cuiquam etiam ex dictis Abbreuiatoribus participantibus distribuere, vel de eisdem distributionibus, se amplius intromittere, aut aliud contra statutum, ordinationem, decretum, & inhibitionem huiusmodi attentare quoquomodo præsumant.

§. 15. Decernentesque ex nunc irritum, & inane, si secus super ijs, quâuis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Literis bo. me. Callisti Papæ III. Prædecessoris nostri super numero, & admissione Abbreuiatorum, ad huiusmodi Parcum Maiorem, quas cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, harum serie, ex certa scientia innouamus, in suo pleno robore, suâque firmitate perpetuò remanentibus.

§. 16. Adijcientes eisdem, quòd ipsi Abbreuiatores de Parco Maiori, in Processionibus, & quibuscumque alijs actibus solennibus, & etiam tempore, quo in eodem Parco sedebunt teneantur, & debeant deferre Caputium foderatum Aduocatorum proponentium in Consistorio Palatij Apostolici, quòdque cedente, vel decedente aliquo ex prædictis Abbreuiatoribus de Parco Maiori, non locus de Parco Maiori, sed emolumenta, quæ illi pertinebant vacent, ipseque locus extinctus sit, donec numerus dictorum Abbreuiatorum de Parco maiori, qui viginti sunt ad duodecim fuerit reductus.

§. 17. Non obstantibus præmissis, & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & Regulâ nostrâ de non recipienda, nisi certa expressa quota pro minutis antedictis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, ordinationis, extensionis, mandati, voluntati, decreti, & adiectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostoli-

ftolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Sexagesimo tertio, Decimoseptimo Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Altera verò eiusdem Pontificis Constitutio sequentis tenoris est.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

QVò salubriùs, & honestiùs à Nobis consultum intelligimus ordinatæ, ac laudabili directioni Cancellariæ Apostolicæ ex ea prouisione, & institutione Abbreuiatorum Apostolicorum ad certum numerum, certamque legem, quam per Bullas nostras sub Dat. Decimo septimo Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno sexto, maturâ cum deliberatione, & vrgenti causâ edidimus, reiectâ omni confusione, explosisque erroribus, quâ quidem ex superfluo, & incomposito numero ipsorum Abbreuiatorum, & abusu superiori tempore proueniebant; cùmque etiam expletum iam esse perceperimus, septuagenarium ipsorum Abbreuiatorum numerum, à Nobis institutum ex Viris, scientiâ, probitate, ac fide erga Nos, & Apostolicam Sedem præditis, ac omni ex parte commendatione dignis: eò impensiùs menti nostræ consonum, & Apostolicæ Sedis honori conueniens existimamus, vt particulariùs, districtiùsque exercitia, honores, commoda, habitum, & quæque alia denique ad ipsos Abbreuiatores, & ipsorum Collegium, ac officium pertinentia, quæ in priori Bulla nostra sub generalitate quadam, sed minus perspicuè comprehensa videntur, per has nostras literas exaremus.

§. 1. Vt igitur Collegium dictorum Abbreuiatorum, quod inter alia Romanæ Curiæ Nobis peculiare est, ad vtilitatem omnium ratione, prudentiâ, & sine quotidiana disceptatione laudabiliter gubernetur, ac omnis differentia, quæ ex incompositis officijs quandoque solet oboriri, è medio tollatur. Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra scien-

A tia, & merâ voluntate, ac honestatis debito sic suadente; Venerabilem fratrem nostrum Laurentium Episcopum Ferrarien. & dilectos filios Magistros Gulielmum Gonrie, ac Antonium de Cortesijs, Michaelem Amici, Ioannem de Mellinis, Ioannem de Angelelis, Antonium de Tuscanis, Iacobum Bigneti, Antonium de Piscia, Iacobum de Rizonibus, Nicolaum de Castello, Fabritium Antonium de Montia, Petrum de Godis, Ioannem Horrij, Nicolaum Tenger, Iacobum de Minutolis, Ciriacum... Bartholomæum

B de Coccapanis, Franciscum de Aquila, Baptistam de Alberto, Vgonem de Benzis, Ioannem de Monilla, Callistum de Vrbino, Carolum de Manellis, Remigium Gometij, Nicolaum Gariliati, Banderum Godefridum, Ioannem de Carrione, Oliuerium Principis, Radulphum, Bartholomæum de Platina, Franciscum Aretinum, Ioannem Vualterini, Petrum de Eugubio, Ioannem della Casa, Cherubinum franciscum de Saluiatis, Leodisium Cribellum, Andreotium de Ginnutijs, Bartholomæũ de Prato, Stephanum de Bobijs, Franci-

C scum de Petrutijs, Ioannem de Bottonibus, Bartholomæum de Butino, Nicolaum de Mancinis, Albertum Coch, Ioannem de Cremonen Iacobum de Cremonen. Andream de Viterbio, Nicolaum Buttonium, Sinolphum iacobum de Volterris, Franciscum Berengarij, Celsum de Millano, Ioannem Gerones, Ioannem de Castellione, Petrum Sugnerij, Franciscum de Pratella, Dionysium de Victoria, Petrum de Vicentia, Iacobum de Aretio, Ioannem de Senis, Leonellum de Benzis, Dominicum de Lucca, Au-

D gustinum Patritium, Baptistam Poggi, Nicolaum de Piccolominibus, & . .

. . . .

quos tamquam fideles Nobis, & sufficientes, & idoneos, necnon ad exercitium officij Abbreuiatoriæ aptos, ex certa nostra scientia nuper eligimus, & in pictacium Abbreuiatorum describi, & ad honores, onera, & emolumenta per dictas alias nostras literas eis deputata admitti fecimus, in ipso Abbreuiatoriæ officio, quòd ipsis, & eorum singulis, tamquam idoneis, & Nobis gratis, etiam ex nunc conferimus, & assignamus Apostolicâ

licâ auctoritate, & de plenitudine potestatis, perpetuò constituimus, confirmamus, & approbamus. Ac vt tales ad ipsum officium, eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta supradicta admittimus; per dilectum quoque filium nostrum Rodericum Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem S. R. E. Vicecancellarium, ac nunc, & pro tempore existentem Cancellariæ Apostolicæ Regentem, necnon quoscunque alios cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, vel conditionis fuerint sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, sine vlla conditione admitti volumus, & mandamus.

§. 2. Statuentes inde, ac auctoritate, motu, scientiâ, & potestate supradictis ordinantes, atque considerare volentes. Quòd singuli Abbreuiatores supradicti, ac eorum in officio Successores sint, & esse debeant, tam nostri, quàm Successorum nostrorum Romanorum Pontificum familiares, & in quibuscumque literis Apostolicis, tam Gratiæ, quam Iustitiæ pro eis expediendis, tales ac etiam Magistri vocentur, in reliquis quoque omnibus expeditionem suarum literarum quarumcumque concernentibus habeantur, & tractentur, vt Scriptores Apostolici habentur, & tractantur, sublatâ cuique quâuis materialiter interpretandi sub excommunicationis pœna antedicta.

§. 3. Intendentes insuper, quòd ipsum officium cuique dictorum Abbreuiatorum liberum sit, & sine fraude à quoque exerceatur. Volumus, & sub eadem pœna districtè mandamus, quòd dilectus filius Magister Ioannes Horij ad præsens Distributor in dicto officio deputatus, ac Successores sui, quos deinceps per fabas à singulis prædictis Abbreuiatoribus dandas eligi volumus durante officio Distributoris, non debeat pro se, aut suo Computatore aliquam distributionem facere, vel recipere; nec per se vel alium, seu alios, vllas Apostolicas literas quoquo modo expedire, de quibus præmium, vel aliquod emolumentum haberi possit, sed quòd ipse, & eius Computator ab officio salariati, vt sunt Rescribendarius, & Computator Scri-

A ptorum, emolumenta sua liberè ex officio præcipiant.

§. 4. Item statuimus, & ordinamus sub pœna præfata, quòd nullus dictorum Abbreuiatorum tam Maioris, quam Minoris Præsidentiæ, ab aliquo Abbreuiatore, minutas suas per se conficiente, quintam exigere, vel habere debeat, nisi minuta ipsa sit, vel male composita, vel difficilis correctionis; quòdque sub spe habendæ quintæ, correctionem ipsam non faciat, malitiosè difficilem apparere, sed pro leui correctione, & literarum expeditione, contentetur, pro minuta, de tribus grossis, ita etiam quòd expeditionem eius sub prædicta pœna, ac priuatione emolumentorum suorum non audeat recusare tam literæ gratiosæ, quàm exequutoriales, quæ, vt sunt, pro vnica minuta computentur. Et ne inter Abbreuiatores, & Scriptores Apostolicos de ordine præferendi in Processionibus, & conuentionibus, aut alibi quæstio possit oriri.

§. 5. Statuimus pariter, & ordinamus sub eadem pœna excommunicationis, ac ex certa nostra scientia, quòd Abbreuiatores, & Scriptores prædicti pari reuerentiâ, & honore vbique locorum se recipiant. In Processionibus verò, & huiusmodi hunc volumus modum obseruent; videlicet. Quòd Officiales Abbreuiatorum collocentur in loco digniori, & incedentibus ipsis binis cum Officialibus Scriptorum procedant Officiales Abbreuiatorum, postmodum sequantur Abbreuiatores de Parco Maiori cum Scriptoribus Antiquioribus, & incedant bini, sic quòd Abbreuiator sit à dextris, & Scriptor à sinistris, & finito numero Abbreuiatorum de Parco Maiori inter primos binos, qui tunc succedunt, Scriptor sit à dextris, & Abbreuiator à sinistris, in sequenti combinatione Abbreuiator sit à dextris, & Scriptor à sinistris. & sic successiuè alternatim vsque ad complementum numeri.

§. 6. Præterea volumus, ac motu, scientiâ, potestate, & auctoritate similibus concedimus; quòd omnia, & singula priuilegia, concessiones, & antelationum prærogatiuæ, declarationes, exemptiones, immunitates, exceptiones, & indul-

Indulta Scriptoribus ipsis, etiam quoad effectum gratiarum suarum expectatiuarum, tam per Nos, quàm quosuis alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros hactenus concessa, & indulta prædictis Abbreuiatoribus, & ipsorum singulis, ad quos ex motu, scientiâ, potestate, & auctoritate supradictis ea omnia, & singula ostendimus plenè suffragentur, ac si ipsis Abbreuiatoribus de verbo ad verbum essent concessa, maximè quæ officio dictorum Abbreuiatorum conueniunt, & in nullo aduertantur. Quoad expeditionem verò literarum Gratiæ, seruetur omnino Bulla Institutionis dicti officij Abbreuiatorum.

A

B

§. 7. Ac vt Cancellaria Apostolica in dies magis ordinata appareat. Mandamus singulis Abbreuiatoribus supradictis, vt sub pœna memorata, quantocitiùs simul conueniant, & ex eis illos, qui de Parco Maiori, & primâ visione sint, ac ad videndum literas Secretariorum, vsque ad numerum per alias nostras literas prædictas statutum, & ordinatum, magis idoneos ad loca, exercitia, honores, onera, & emolumenta sua deputent, & in debito ordine dirigent, atque obseruent.

C

§. 8. Item statuimus, & ordinamus, quòd singuli Abbreuiatores supradicti sint Clerici, & competenter literati, atque ætatis annorum viginti quinque, nec non debeant sub pœna antedicta togari; & honesto, ac condecenti habitu incedere, saltem vsque ad medium cruris, & frequentare ipsam Cancellariam, vbi præsentes fuerint, vt nullâ eorum parte, negligentia allegari possit in expeditione literarum, quæ in ipsa Cancellaria expediri sunt solitæ.

D

§. 9. Item quòd singuli Abbreuiatores antedicti tam Maioris, quàm Minoris Præsidentiæ teneantur, & debeant sub pœna supradicta pro quacumque officij, & personarum eiusdem causâ vbi Distributori pro tempore videbitur vacatione eiusdem Distributoris in vnum personaliter conuenire, & per singula vota cum fabis danda, vt præfertur ordinare, & disponere omnia, quæ officio sint honesta, vtilia, atque sine perturbatione possint obseruari. Et si de aliqua re agendum esset dubia, vel graui per nostras literas prædictas non concessa, non specificata, vel non satis declarata, debeant de illa simpliciter inter se maturam ordinationem capere, & de hoc quod eis fuerit visum, Nos, vel Successores nostros ad confirmandum, vel infirmandum consultos habere.

§. 10. Volumus autem, quòd votum alicuius dictorum Abbreuiatorum non pluralis sit, quàm alterius, nisi aliorum pluralitate obtentâ.

§. 11. Item quòd ipsi Abbreuiatores possint, & debeant habere, atque ordinare vnam Capellam cum omnibus illis modis, formis, priuilegijs, statutis, ordinationibus, Capellano, Officialibus, & Gubernatoribus, prout habent Scriptores Apostolici.

§. 12. Item quòd Collegium Abbreuiatorum Encænia, singuli verò Abbreuiatores deinceps admittendi illa, & eadem iocalia soluere debeant, & teneantur, quæ solui sunt solita in officio dictorum Scriptorum,

§. 13. Item quòd deinceps Abbreuiatores absentes non participent, nisi id eis per Nos, vel Successores nostros, aut Collegium ipsorum specialiter concedatur.

§. 14. Et vt ipsum dictorum Abbreuiatorum officium, prout eius exercitium requirit, sit quietum, liberum, & sine quotidiana murmuratione, Decernimus, ac motu, scientiâ, potestate, & auctoritate supradictis declaramus, nullum ex Abbreuiatoribus Maioris Præsidentiæ, in alios superioritatem, vel potestatem vllam obtinere aliam, quàm ex loco sibi debetur, sed volumus, & sub pœna præfata mandamus, quòd ipsi Abbreuiatores Maioris Præsidentiæ suo loco cum debita reuerentia, & honore, ac auctoritate expediendi liberè gaudeant, & alios Abbreuiatores fratrum loco suscipiant, dirigant, & benignè informent.

§. 15. Delinquentes verò, vel excedentes circa ordinem officij, conuocato per Distributorem pro tempore vniuerso ipsorum Collegio, dignè puniantur per suspensionem, emolumentorum suorum priuationem, & alias pœnas, prout ipsi Collegio meliùs fuerit visum.

Item

§. 16. Item volumus, & mandamus sub pœna prædicta, quòd singuli Abbreuiatores, tam Maioris, quàm Minoris Præsidentiæ, & alij supradicti, teneantur, & debeant obedire, ac cum effectu parere singulis mandatis pro tempore Distributoris, quæ pro commodo, honore, necessitate, vtilitate, & directione officij fecerit.

§. 17. Non obstantibus præmissis alijs literis nostris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum hic insererentur præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, & quas ex tenore singulorum Capitulorum nostrorum prædictorum, in singulis partibus, & clausulis suis quoad effectum omnium Capitulorum eorundem motu, scientiâ, auctoritate, & potestate antedictis moderamur, & restringimus, ac per ipsa Capitula intelligi, atque effectualiter obseruari volumus, & mandamus, illis aliàs in suo robore, suâque firmitate duraturis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum collationis, assignationis, Constitutionis, confirmationis, approbationis, admissionis, voluntatis, mandati, statuti, ordinationis, intentionis, concessionis, extensionis, decreti, declarationis, moderationis, & restrictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Sexagesimo quarto, Tertio Kal. Iunij Pontificatus nostri Anno Sexto.

CAP. VI.

De Collegij Abbreuiatorum suppressione facta à Paulo II.

SVPRA iam demonstrauimus Abbreuiatorum plantam ad debitam perfectionem adductam, illiusque folia in vnum collecta: modò autem eandem mutato

A horti Cultore è terra auulsam videmus ex causis infra in Constitutione Pauli II. Pij Successoris expressis, cuius Constitutionis tenor sequens est,

PAVLVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

ILla, quorum conditio, vrgente necessitate, interdum mutata reperitur, eâ postmodnm cessante, ad statum pristinum non indignè restituuntur.

B Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa II. Prædecessor noster, ex certis tunc vrgentibus causis, nouum septuaginta Abbreuiatorum instituit officium, & circa illius regimen, & gubernationem nonnulla statuit, & ordinauit, prout in suis literis Apostolicis inde confectis, quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus annotari fecimus, pleniùs continetur; qui tales sunt.

PIVS &c. *Ad perpetuam rei mem.* Vice &c. Illius gerentes in Terris &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno In-
C carnationis Dominicæ MCCCCLXIII. VII. Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno VI.

PIVS Episcopus &c. *Ad perpet. rei mem.* Quò salubriùs, & honestiùs &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. III. Kal. Iun. Pontificatus nostri Anno VI.

Tenores ambarum Constitutionum omisimus, cùm illas in præcedenti capite ad longum iam retulerimus.

§. 1. Postmodum verò, sicut Domino
D placuit, dicto Pio Prædecessore, rebus humanis exempto, cùm, occasione dicti noui officij, rumor maximus in dicta Curia fieret. Nos Diuinâ disponente Clementiâ, ad apicem summi Apostolatus assumpti, attendentes, quòd causæ propter quas idem Pius officium ipsum instituerat penitus cessauerant, & quòd illud in Romana Curia necessarium, nec vtile existebat; Venerabili fratri nostro Gulielmo Episcopo Ostiensi, & dilectis filijs nostris Ioanni tituli Sanctæ Priscæ, Berardo tituli Sanctæ Sabinæ, & Nicolao tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyteris Cardinalibus oraculo viuæ vocis commisimus, vt super præmissis

missis plenariam reciperent informationem, Nobis relaturi seriem facti, & quomodo dignitati, & honori dilecti filij nostri Roderici Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis Moderni, & pro tempore existentis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Viceccancellarij, ac dilectorum filiorum Abbreuiatorum de Parco Maiori, & etiam Scriptorum literarum Apostolicarum, quibus propter institutionem dicti noui officij, maxima fiebat iniuria, nec non commoditati omnium ferè Curialium nostrorum, & ad ipsam Curiam pro tempore venientium, & etiam indemnitati illorum, qui ad præmissum officium fuerant admissi, debitâ cum honestate prouideretur, factâ igitur Nobis per eosdem Cardinales Commissarios relatione fideli, & clarissimè Nobis constito, institutionem dicti officij non fore eidem Curiæ necessariam, sed potius inutilem, & scandalosam, & non solùm eisdem Vicecancellario, Abbreuiatoribus de Parco Maiori, & Scriptoribus literarum Apostolicarum, verùm etiam cunctis Curialibus, & ad ipsam Curiam pro tempore venientibus maximum afferri præiudicium.

§. 2. Ex præmissis, & certis alijs Nobis notis, legitimis, & suadentibus causis, piæ memoriæ Benedicti XII., Martini V. Eugenij IV., & Nicolai V., & Callisti III. etiam Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quorum singuli auctoritatem Vicecancellarij, pro tempore existentis, illæsâ conseruârunt vestigijs inhærentes de prædictorum fratrum consilio, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, motu proprio, non ad ipsius Roderici Vicecancellarij, vel alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed honestatis, & Iustitiæ debito suadente, institutionem dicti officij, & de illo personis predictis per eumdem Pium Prædecessorem factas collationes præinsertasque, & alias quascumque literas, inde confectas, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, ac processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium ex certa scientia reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti fuisse, & esse decernimus, ipsasque literas de libro Cancellariæ Apostolicæ, ac registris literarum Apostolicarum, & etiam Cameræ Apostolicæ, & alibi vbicumque reperiantur penitus cassari, & annullari volumus, atque mandamus.

§. 3. Decernentes illis, ac processibus desuper habitis in Iudicio, vel extra, nullam prorsum fidem adhibendam fore, vel adhiberi debere.

§. 4. Præfatum vero Rodericum, & pro tempore existentem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, nec non Cancellariam Apostolicam in pristinum, & eundem statum in quo erant, antequam literæ præinsertæ emanarent, plenariè restituimus, & reintegramus, ac reponimus, officiumque, & facultatem distribuendi supplicationes ad præfatum Rodericum, & pro tempore existentem Vicecancellarium dumtaxat, & nullum alium spectare, & pertinere auctoritate, & scientiâ præmissis decernimus, & illam sibi attribuimus.

§. 5. Districtiùs inhibentes tam Datario nostro nunc, & pro tempore existenti, quàm cuicumque alteri à prædicto Vicecancellario, ac illi, cui ipse hoc duxerit committendum, ne de cætero audeat sibi ipsi, vel alteri cuilibet, distribuere supplicationes, seù huiusmodi distributionibus sequomodolibet intromittere.

§. 6. Volumus insuper, & mandamus, quòd omnes supplicationes, postquam reintegratæ fuerint, ad præfatum Vicecancellarium dumtaxat, vt moris est, fideliter deferantur.

§. 7. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscumque quâuis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, decreti, restitutionis, inhibitionis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo, Quadringētesimo, Sexagesimo quarto; Tertio

tio Non. Decemb. Pontificatus noſtri Anno primo. A

L. Dathus de Curia. N. Bregeon.

Sub eiſdem die, & anno idem Paulus Pontifex indemnitati illorum, qui officia emerunt conſulere volens, aliud edidit Diploma, quo ſoluti pretij reſtitutionem fieri voluit: nempe.

PAVLVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei
Ad futuram rei memoriam.

CVM pridem ex certis rationabilibus, & perſuadentibus cauſis officium B ſeptuaginta Abbreuiatorum per fel. rec. Pium Papam II. Prædeceſſorem noſtrum olim inſtitutum duxerimus reuocandum, & annullandum.

§. 1. Nos volentes, quòd illis ex prædictis Abbreuiatoribus, qui pro eorum ad huiuſmodi officium admiſſione, pecunias Cameræ Apoſtolicæ ſoluerunt, fiat reſtitutio: auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd vſque ad annum à Data præſentium computandum, & deinde ad beneplacitum noſtrum donec, & quouſq; ſumma ipſa pecu- C niarum, ipſis Abbreuiatoribus perſoluenda, integrè, & abſq; aliqua diminutione, ex prædictis diſtributionibus percepta fuerit omnibus, & ſingulis literis Apoſtolicis, tam per Cameram, quàm per Cancellariam Apoſtolicam, etiam ſine ſupplicatione expediendis, præterquam literis Iuſtitiæ, etiam in forma humilibus, quæ taxatæ fuerint per illum, quem dilectus filius noſter Rodericus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, ad hoc pro tempore duxerit deputandum, D vna integra taxa, quæ Abbreuiatori literarum Apoſtolicarum, cui ſupplicatio diſtributa foret deberetur, in ſolutionem huiuſmodi conuertatur.

§. 2. Inhibentes diſtrictiùs dilectis filijs Abbreuiatoribus literarum Apoſtolicarum, expeditioni illarum Aſſiſtentibus, & Secretarijs noſtris, nec non Cuſtodi Cancellariæ Apoſtolicæ, pro tempore exiſtentibus, ne ſub pœna excommunicationis literas ipſas per Cancellariam eandem, vel Cameram Apoſtolicam, niſi prius per eundem deputandum Computatorem ſignatæ fuerint, expedire quoquomodo præſumant, ac Bullatoribus dictarum literarum præſentibus, & futuris ſub pœna prædicta, ac priuationis officij, ne literis ipſis plumbum imprimant, aut eas à prædicta Bullaria expediant, vel abſoluant, niſi prius literæ prædictæ per eundem Computatorem, pro tempore deputatum, vt præmittitur ſignatæ fuerint.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, inhibitionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo quarto, tertio Non. Decembris Pontificatus noſtri Anno Primo.

L. Dathus. S. de Spada.

Hæc autem Pauli ordinatio, ſiuè Decretum, poſt illius obitum, nullum ſortitum eſt effectum, cum Sixtus ſucceſſor illud caſſauerit, ac Abbreuiatorum Collegium de nouo erexerit, vt infrà oſtendemus.

CAP. VII.

Noua Collegij Abbreuiatorum Erectio facta à Sixto IV.

LTAS radices egerat noſtra planta, nam licèt à Paulo auulſa, tempore Sixti IV. Summi Pontificis prẹfati Pauli Succeſſoris denuo pullulare cæpit, itaut idem Sixtus eiuſdem culturæ curam Sinolpho Protonotario à Caſtro Octerio ſolerti Viro commiſerit; narrat hoc Raphael Volaterranus in ſua Antropologia lib. 22. vbi Abbreuiatores; Breuiatores nominat. Sixti igitur tempore hæc planta nouum acquiſiuit vigorem ac in altum creuit, vt eiuſdem Pontificis Conſtitutio declarat, quæ in Bullario ſub num. 16. Conſtitutionum eiuſdem Sixti tom. primo habetur ſequentis tenoris:

SIXTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

DIuina æterni Dei Sapientia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, non

solùm superiora, & cælestia, sed etiam inferiora, & humana miro ordine, ratione perfectâ, & varietate decorâ disponit, & ordinat, vt singula quæque; licèt operatione diuersâ, mutuâ tamen charitate, & æquitate, inter se coniuncta esse videantur, & nulli ex rebus in supernis, terrenisque Ministerijs ordinatis suos terminos egredi liceret. Quâ consideratione Prædecessores nostri Romani Pontifices (vt verisimiliter credi potest) inducti, ad quæque, certâ ratione iubente, in primis Ecclesiam Dei vniuersam, cuius caput Romana Ecclesia esse dignoscitur, legibus, Constitutionibus, moribus, & decretis summâ diligentiâ, vigilantiâ indefessâ, & ordinatione irreprehensibili dirigere, instituere, & stabilire conati sunt. Quorum vestigia quantùm à Nobis fieri potest, vnà cum fratribus nostris, imitari satagentes, prolapsa reducere, excessiua corrigere, defectus supplere, errata emendare, & omnia ad probatissimum ordinem, & semitam rectam perducere, omni studio, vigilamus. Sperantes in eo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, affluenter procedit, quòd conatus nostros adiuuare dignabitur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa Secundus Prædecessor noster, tempore suæ assumptionis ad Apostolatus apicem quandam ordinationem, per recol. mem. Pium Papam II. etiam Prædecessorem nostrum de septuaginta Abbreuiatoribus literarum Apostolicarum, certis de causis, factam, & ordinatam ex alijs causis iustis, & honestis, tunc animum prædicti Pauli Prędecessoris mouentibus, eisdem Abbreuiatoribus de certis pecunijs, pro necessitate dicti Pij Prædecessoris, ac eiusdem Romanæ Ecclesiæ, & prouisione contra Turcas, tunc imminente persolutis, integrâ prius restitutione factâ, reuocauit, & annullauit, & assignatâ certâ portione emolumentorum Officij Abbreuiatoriæ, scilicet venerabili fratri nostro Roderico Episcopo Portuensi, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, pro quibusdam familiaribus suis iuxta arbitrium eiusdem Vicecancellarij, necnon viginti florenorum auri de Camera cuilibet ex A dilectis filijs duodecim Abbreuiatoribus de Parco Maiori, residuum verò, quod inde superexcrescebat, in alios vsus conuertit.

§. 2. Nos verò, qui dicto Paulo Prædecessore, sicut Domino placuit, de medio sublato, fuimus, diuinâ fauente clementiâ, in Sede Petri collocati, existimantes decere, Romanum Pontificem omni tempore, & præcipuè in assumptione sui Apostolatus magnâ liberalitate vti, dictam partem, quam prædictus Paulus Prædecessor in alios vsus conuerterat, di- B cto Vicecancellario, & Locumtenenti suo, ac Referendario commissionum, necnon eisdem de Parco Maiori, ac diuersis tam Abbreuiatoribus, quam alijs Curialibus, nostris quoque, & Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium familiaribus ad arbitrium, & discretionem dicti Roderici Vicecancellarij distribuendam liberaliter remisimus, & condonauimus. Quæ quidem donatio, additis quinque florenis similibus, pro quolibet ex dictis Abbreuiatoribus de Maiori Pręsidentia per septem annos con- C tinuos integraliter, & sine diminutione effectum sortita extitit. Quæ quidem omnia, sic per ipsum Vicecancellarium distributa, ac dispensata, grata, & rata habuimus, quemadmodum etiam tenore præsentium approbamus, & approbata esse volumus.

§. 3. Nuper verò propter pestilentiam, quæ vrbem Romanam, & loca circumuicina, æstate proximâ vexauit, & propter arma bellica, quæ necessariò, licèt inuiti contra hostes Ecclesiæ suscipere coacti fuimus, & ob varias temporum D difficultates, cessantibus, & diminutis, magnâ ex parte, emolumentis, & prouentibus officij Abbreuiatoriæ huiusmodi cum alijs Abbreuiatoribus, huiusmodi emolumenta, in Cancellaria percipere consueta, non fuerunt à quibusdam mensibus citra stabilita salaria persoluta diuersa, clamores, iurgia, ac quamplurimæ querelæ ad Nos perlata fuerunt.

§. 4. Nos igitur considerantes, quòd si aliquis certus Abbreuiatorum numerus, sub iustis, & honestis conditionibus, habitâ etiam personarum consideratione, institueretur, per quos negotia Cancellariæ

riæ Apostolicæ expedirentur; & ordo debitus in expeditione literarum Apostolicarum rectiùs obseruaretur, ipsique Abbreuiatores, honore, pręmioque allecti, adhibitâ exercitatione, peritiores in posterum efficerentur, ex quo Apostolicæ Sedis, & Cancellariæ prædictæ honori, atque auctoritati, & Partium commoditati magis consuleretur; super ijs cum Roderico Vicecancellario, & alijs fratribus nostris prædictis communicato consilio de præfati Roderici, & fratrum nostrorum eorundem consensu, omnes, & singulas portiones, & assignationes dictorum emolumentorum, ac aliorum quamcumque dispositionem, quas tam dictus Rodericus Vicecancellarius, quàm eius Locumtenens, & Referendarius commissionum, & alij omnes tam de Prima Præsidentia, quàm de Minori Parco, & alij in certis rotulis descripti, & describi soliti hactenus perceperunt, ac omnia, & singula, literas, Constitutiones, ordinationes, dispositiones, concessiones, statuta, priuilegia, & indulta Apostolica quæcumque à Nobis, seu Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, cum quibuscumque etiam fortioribus, & insolitis, ac derogatoriarum derogatorijs clausulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, super præmissis portionibus, & earum assignatione hactenus emanata, & præsentibus literis nostris, & eorum effectui quomodolibet contraria, quæ præsentibus haberi voluimus pro expressis, cassantes, irritantes, supprimentes, & penitus extinguentes, ac pro nullis, & infectis haberi volentes de dictis officijs, & emolumentis Abbreuiatoriæ ordinationem facimus infrascriptam, quam perpetuò futuris temporibus stabilem esse, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari volumus, & mandamus.

§. 5. In primis, suffragante Diuino Spiritu, & conscientiæ puritate, præuiâ auctoritate Apostólicâ, tenore præsentium de expresso dictorum fratrum consilio, atque assensu, ac plenitudine potestatis, hâc irrefragabili Constitutione statuimus, decernimus, & ordinamus, quòd de cętero per- A petuis futuris temporibus in Cancellaria Apostolica, præter alios eiusdem Officiales sint, & esse debeant septuaginta duo Abbreuiatores dumtaxat, inter quos duodecim Præsidentes de Parco Maiori; viginti duo de Parco Minori, reliqui verò examinatores literas in prima visione Abbreuiatores nuncupentur, & existant, & etiam vnum Collegium inuicem constituant. Præter quos nulli liceat in huiusmodi Abbreuiatoriæ officio literas Apostolicas signare, qui Romano Pontifici, & ipsi Roderico, ac Vicecancellario, pro tempore B existenti dumtaxat, & nemini alteri subsint.

§. 6. Et eorundem septuaginta duorum Abbreuiatorum officia cum quibusuis alijs officijs Romanæ Curiæ, & Cancellariæ Apostolicæ prædictæ incompatibilia nullatenus censeantur, sed possint per vnum, & eundem cum quibusuis etiam pluribus alijs officijs dictæ Curiæ absque indulto, & dispensatione qualibet liberè retineri.

§. 7. Nec admittantur ad illa nisi probi viri, & in ætate decenti constituti, ac in exercitio Abbreuiatoriæ instructi, vel qui sint idonei, & apti ad hoc instruantur.

C §. 8. Habitum honestum adinstar Scriptorum deferentes, & secundùm eorum, & cuiuslibet ipsorum sufficientiam occurrente vacatione ad primum examen, & de primo examine, siue de prima visione ad Minorem Parcum, & de illo ad Præsidentiam de Parco Maiori, aliàs iuxta ordinationes piæ mem Benedicti Papæ XII. & Callisti III. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum assumantur, & in assumptione locorum; pro tempore vacantium, quibusuis alijs, qui de dicto Collegio non forent, cęteris paribus præfe- D rantur.

§. 9. Et quòd emolumenta dictorum Abbreuiatorum sint vna taxa æqualis taxæ, quæ datur pro grossa dictarum literarum Apostolicarum Scriptoribus pro quibusuis literis, quas per Cancellariam eandem, aut Cameram, seu aliàs quomodolibet pro tempore expediri continget cum supplicatione, vel sine, etiam super Consistorialibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac aliorum quorumcumque beneficiorum, absque tamen nostrorum, & dictæ Sedis Notariorum, de numero participantium existentium, ac eiusdem Cancella-

riæ Senescalli, pro tempore existentis, ac A ipsius senescalliæ prouisionibus, præiudicio, & illas concernentibus literis, siue supplicatione, de iustitia comuniter appellatis, ac per dilectos filios Secretarios nostros, de emolumentis Cancellariæ prædictæ participantes expedire debitis, & consuetis dumtaxat exceptis.

§. 10. Et exigantur in communi per tres ex dictis Abbreuiatoribus, quorum vnus per Abbreuiatores Maioris Præsidentiæ, secundùm ordinem eorum, alij verò duo per reliquos Abbreuiatores cum onere tenendi tres libros computorum B singulis mensibus, cum salarijs pro de Parco Maiori quinque; pro alijs verò duobus deputandis trium florenorum similium, pro quolibet ipsorum duorum deputentur, & colligantur, & in ipsis libris, more solito, fideliter annotentur: iuramento per ipsos præstito in manibus præfati Vicecancellarij, vel eius Locumtenentis de fideliter exercendo officium suum, & de collecta pecunia integrè persoluendâ, & reddendâ, dimissis pro labore Abbreuiatorum grossis quinque, prout hactenus consuetum erat, quâ summâ quinque grossorum C contenti esse debeant, & nihil vltra percipere; declarantes, & volentes, quòd pecuniæ ipsæ, sic collectæ in primo mense apud illum de Maiori Parco, in alijs verò duobus mensibus apud ipsos duos alios, vt supra deputatos à Collegio successiuè remaneant, & fideliter conseruentur.

§. 11. Et in fine cuiuslibet mensis distributiones, & emolumenta prædicta per ipsos Receptores diligenter, & fideliter, deductis salarijs, & alijs oneribus pro tempore taliter diuidantur, & assignentur. Videlicet ex omnibus pecunijs, vt supra col- D lectis, quilibet de Parco Maiori vnam, & dimidiam, & singuli ex alijs vnam tantùm partem habeant, vt puta si quilibet ex alijs, præter quàm de Parco Maiori, sex singuli, de Maiori Præsidentia Abbreuiatores præfati nouem florenos percipiant. Mandantes de mense in mensem prædictum ordinem, & modum in colligendis, seruandis, & distribuendis pecunijs ipsis, fideliter, & inuiolabiliter continuari, & obseruari debere.

§. 12. Nec prætextu cuiusuis mandati de expediendo huiusmodi literas gratis, & in officio eorumdem Abbreuiatorum quâuis consideratione per Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & sub quibusuis censuris, & pœnis ecclesiasticis, seu pecuniarijs, pro tempore concessi, ab huiusmodi taxæ exactione abstinere, & mandatis huiusmodi parere teneantur quoquo modo, nec sub censuris prædictis, vigore dictorum mandatorum comprehendantur, præterquàm nostrorum, & dicti Roderici, & pro tempore existentis Vicecancellarij familiarium, continuorum commensalium, ac illorum, qui ex priuilegijs hactenus obseruatis, vel consuetudine gratis expedire consueuerunt.

§. 13. Supplicationes quoque per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices in nostra, & eorum præsentiâ, seu aliàs quomodolibet signatæ per Magistros, & Clericos registri earundem sub excommunicationis latæ sententiæ, & officiorum, quæ in eodem registro obtinent priuationis pœna, eò ipso incurrendâ, ad prædictum Rodericum Episcopum, & pro tempore existentem Vicecancellarium, vel eius absentiâ, dicti Vicecancellarij Locumtenentem deferantur, & per eum, si hoc facere voluerit, vel per Distributorem per dictum Vicecancellarium, pro tempore ex numero dictorum septuaginta duorum deputatum, cum salario sex ducatorum similium, iuxta rerum difficultates, & materiarum exigentiam sub excommunicationis pœna, & dicti salarij sui priuatione dictis septuaginta duobus Abbreuiatoribus, & non alij seruatâ iustitiâ, & æqualitate, iuxta formam perceptionis emolumentorum, videlicet, quando vni ex alijs, duæ Abbreuiatori de Prima Præsidentia, tres tantùm supplicationes distribuantur, & Abbreuiatoribus, quibus distributæ fuerint, omni fraude, & dolo cessantibus consignentur, descriptis prius, & annotatis dictis distributionibus in duobus libellis, per ipsum Distributorem deputatum, quorum vnum in domo dicti Vicecancellarij, vbi dicta Cancellaria pro tempore tenetur, vt omnibus patere possit, alterum apud se tenere, & conseruare debeat; declaratio tamen, quòd ipse Distributor, pro tempore, sibi ipsi minimè distribuere possit.

§. 14. Et

§. 14. Et vt Abbreuiatores ipsi, tam de Parco Minori, quàm de Prima Visione ad huiusmodi exercitium examinandi faciliùs alliciantur, quòd de qualibet litera, quàm in Prima Visione examinauerint vnum turonem accipere possint, & habere debeant pro labore, ita tamen quòd gratiosa, & executoria desuper literæ, quoad hoc, pro vna Bulla reputentur, & vnus dumtaxat grossus duobus ex eis, illas signantibus, exoluantur.

§. 15. Item statuimus, & ordinamus, quòd nullus dictorum Abbreuiatorum, tam Maioris, quàm Minoris Præsidentiæ ab aliquo Abbreuiatore minutas suas per se conficiente, nisi minuta ipsa sit omnino malè composita, vel difficilis ad modum correctionis, pro correctione cuiuslibet minutæ, & illius iudicaturâ, ac expeditione vltra tres grossos recipere non debeat. Ita tamen, quòd expeditionem eius non audeat quouis modo, sine rationabili causa recusare, & tam literæ gratiosæ, quàm executoriæ, vt sunt, pro vnica minuta, & expeditione computentur. De prouisionibus verò Consistorialibus consuetum duorum similium florenorum de taxa ipsis Abbreuiatoribus, vt supra soluenda, & computandorum, Abbreuiatores de Prima Præsidentia præfati pro ipsarum minutis, & expeditione percipient salarium.

§. 16. Et quia sine diuina gratia nihil feliciter procedere potest ad illam impetrandam, quòd omnes Abbreuiatores de numero septuaginta duorum huiusmodi habeant vnam Capellam, & Altare portarile, super quo in domo Vicecancellarij, in loco ad hoc congruo, & honesto, Missam omnibus diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, cum collecta semper pro Romano Pontifice, quæ incipit. Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum Sixtum &c. celebrari faciant.

§. 17. Quòdque Abbreuiatoribus, qui cedentibus, vel decedentibus aliquibus ex infrascriptis, quos in Abbreuiatores literarum prædictarum hâc vice, vnà cum Roderico Vicecancellario recipimus, & Collegio prædicto iuxta ordinem descriptionis eorum, quæ infrà fiet aggregamus, & alijs qui pro tempore erunt Abbreuiatoribus dicti Collegij eorum loca, & officia aliâs quomodolibet dimittentibus, illi, qui ad Collegium ipsum loco cedentium, vel decedentium, aut dimittentium admittentur. Quatuor florenos auri de Camera pro dicta Capella, seu Capellano, & præter illos pro iocalibus, & eorum receptione ad officium ipsum ducatos sex, quorum duos Vicecancellarius, & reliquos quatuor ducatos Distributor, & deputati præfati ad pecunias colligendas, similiter quilibet vnum percipiant. Et similiter pro concessione eiusdem officij, quam à Nobis, vel Sede Apostolica, vel Vicecancellario pro officijs, quæ ad eius dispositionem spectabunt obtinebunt, dum per liberam resignationem illa obtinentium vacabunt, medietatem eius, quod pro simili concessione officij scriptoriæ, Scriptores persoluunt Romano Pontifici, aut Vicecancellario, à quo concessionem ipsam habebunt, idest florenos similes quinquaginta dumtaxat soluere, & non vltra teneantur.

§. 18. Et tam illi, quàm primitus admissi etiam de eadem Maiori Præsidentia, de eorum emolumentis, & officijs, prout Scriptores huiusmodi de suis disponunt, disponere, illaque resignare liberè, & licitè possint. Nosque, & Successores nostri, ac ipse Rodericus, & Vicecancellarius pro tempore existens, resignationes, siue cessiones huiusmodi admittere, & illis, in quorum fauorem resignationes, siue cessiones ipsæ factæ fuerint de huiusmodi officijs prouidere teneantur.

§. 19. Et insuper, quòd omnes, & singuli tam Præsidentes, quàm de Minori Parco, & Ordinarij Abbreuiatores huiusmodi, omnibus, & singulis Constitutionibus, statutis, ordinationibus, priuilegijs, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, declarationibus, prærogatiuis, antelationibus, concessionibus, fauoribus, & indultis quibuscumque gaudeant, potiantur, & vtantur pariformiter, & absque vlla differentia, sicuti dictarum literarum Scriptores præfati, etiam quoad hoc, vt familiares nostri, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum perpetuò, & in quibuscumque literis Apostolicis tales etiam Magistri nominentur, & pro talibus vbilibet habeantur, & literæ Apostolicæ Gratiam, & Iustitiam concernentes pro duodecim Præsidentibus de

Parco

Parco Maiori iuxtà eorum Priuilegia, pro A dictis verò de nouo creatis septuaginta Abbreuiatoribus, gratis etiam in omnibus officijs, pro personis ipsorum dumtaxat expediantur, sicut, & eo modo, quo expediuntur literæ eorumdem Scriptorum, extendentes ea omnia ad præfatos septuaginta duos Abbreuiatores, & mandantes, & sub pœnis, & censuris in illis contentis, etiam quoad prædictos septuaginta duos Abbreuiatores firmiter obseruari in omnibus, & per omnia, ac si illa dictis septuaginta duobus Abbreuiatoribus de verbo ad verbum concessa forent.

§. 20. Concedentes insuper plenam, & liberam facultatem, ac de vberioris dono gratiæ indulgentes, dictorum septuaginta duorum Abbreuiatorum Collegio, statuta, & ordinationes, ac quæcumque alia ipsius Collegij, & Abbreuiatorum eorundem commodum, decus, quietem, & directionem pro tempore concernentia condendi, & ordinandi. Decernentes harum serie huiusmodi ipsorum Abbreuiatorum, ordinationes, & statuta (licita tamen, & honesta) pro tempore facta, plenam roboris firmitatem perpetuis tempo- C ribus obtinere, & ab ipsis omnibus firmiter obseruari debere.

§. 21. Et quòd transumptum, siue tenor præsentium literarum, & cuiuslibet partis earundem, & priuilegiorum Scriptorum prædictorum pari modo, quo tenor literarum Cancellaræi indigentibus detur, & illi in iudicio, & extra, prout regularum earundem, stari consueuit.

§. 22. Liceatque singulis Abbreuiatoribus prædictis, in sacris Ordinibus non constitutis, pro tempore existentibus matrimonium etiam cum viduis, absque alia D dispensatione, seu licentia Sedis prædictæ liberè contrahere.

§. 23. Porrò quia de taxa literarum Apostolicarum, quæ expediuntur per Cameram, præfatam septuaginta duo Abbreuiatores notitiam forsan habere non poterunt plenariam volumus, quòd literæ prædictæ, de quibus taxa huiusmodi soluenda esset sine subscriptione infra plicam Bullæ circa medium, per dictos correctores pro tempore deputatos expeditæ viribus careant. Districtiùs inhibentes tam Referendarijs, Secretarijs, Plumbatoribus, Registratoribus, Magistris in registro, Scribis, & Notarijs etiam Cameræ Apostolicæ, quam alijs quibuscumq; Officialibus nostris, & dictæ Sedis pro tempore existentibus, sub excommunicationis latæ senteutiæ, à qua absolui non possint, nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo constituti, satisfactione præuiâ, & emolumentorum suorum officiorum priuationis, pœnis, & literas huiusmodi sic, vt præfertur non signatas nullatenus admittant, siue expediant, sed illas illico ad deputatos prædictos signandas remit- B tant.

§. 24. Et cùm prædictus Rodericus Episcopus, & Vicecancellarius, qui eiusdem Ecclesiæ Vicecancellariatùs officium multis annis eximia virtute, solertissima, & exactissimâ diligentiâ laudabiliter gubernauit, & Ecclesiam ipsam pluries etiam proprijs facultatibus non parcendo adiuuit, ac cuius personam, ob eius præclara merita, in Nos, & dictam Sedem collata, etiam in hac temporum difficultate alijs in rebus, prout Nobis, & eisdem venerabilibus Fratribus nostris visum est peramplius recompensare intendamus, pronunc tamen, ne ex ordinatione huiusmodi, in quam ipse, vt præfertur consensit, nimium dispendium patiatur eius indemnitati aliqualiter consulere volentes, & ne pro eo, quia ad eumdem Rodericum Episcopum, & Vicecancellarium etiam ex concessione nostra omnium dictæ Cancellariæ officiorum, Correctoriæ, & Scriptorum ipsarum literarum, necnon Notariorum eiusdem Sedis, officijs dumtaxat exceptis, libera dispositio pertinere dignoscatur, contingat in dubium reuocari, an ipse de huiusmodi Abbreuiatoriæ officijs vtpotè nouiter, modo prædicto, per Nos ordinatis post factam sibi per Nos cõcessionem prędictam disponere debeat, prouidere volentes. De similibus consilio, & assensu Fratrum prædictorum, volumus, & auctoritate prædictâ etiam statuimus, & ordinamus, quòd ipsius Roderici Episcopi, & Vicecãcellarij in Cãcellaria prędicta Locumtenens, qui expeditioni earundem literarũ vacat, & ipsius Roderici Episcopi, & Vicecancellarij plerumque ad id vacare impediti, in ipsa expeditione vices gerit, vnum ex Referendarijs causarum commissionum, qui commissiones

nes

nes ipsas examinat diligenter, & illarum vim, & effectum eidem Roderico Episcopo, & Vicecancellario fideliter refert, & de eius nomine, & vice nonnumquam signat, & signatarum per Nos commissionum, seu in præsentia nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis signaturas extendit nunc, & pro tempore existentes, aliud ex dictis septuaginta duobus Abbreuiatoriæ officijs pro quolibet eorum, obtineant, & percipiant vnam pro quolibet portionem emolumentorum earumdem, æqualem alijs portionibus aliorum, præterquam de Prima Præsidentia Abbreuiatorum prædictorum, possintque ab officij, & emolumentorum perceptione huiusmodi pro solo ipsius Roderici Episcopi & Vicecancellarij, aut alterius, ad hoc ab eo specialiter deputati, nutu amoueri, & alij eorum loco subrogari toties, quoties sibi videbitur, & placebit.

§. 25. Et quòd dilectorum filiorum Magistrorum Ioannis de Borgia Correctoris, Nicolai de Castello, Ferrarij de Gualdis, Gregorij de Puteo, Nicolai Bregeonis, & Alberti Roch, numero sex de Maiori Præsidentia, ac de Minori Parco septem scilicet Lodouici Podocatharis, Laurentij de Mancinis, Ioannis Andreæ de Regio, Iacobi Botafoco, & Stephani de Cacijs, Ioannis Victor, & Francisci de Arianis de Parma; necnon octo examinãtium in prima visione, scilicet Francisci de Maximis, Hieronymi Pauli, Iacobi Tiella, Ioannis de Rio, Petri Leopardi, Iacobi Casanoua, Ioannis Lopis, & Francisci Gausi Abbreuiatorum earundem literarũ, Abbreuiatoriæ officia, & loca, dum per cessum, vel decessum, aut promotionem, priuationem, seu quamuis dimissionem prædictorum, & aliorum quorumcumque, qui officia, & loca ipsa, pro tempore, obtinebunt, ad liberam ipsius Roderici Episcopi, &, pro tempore, existentis Vicecancellarij dispositionem pertineant, possitq; & debeat ipse Rodericus Episcopus, &, pro tempore, existens Vicecancellarius, aut per eum ad hoc specialiter deputatus, illorum resignationes recipere, & admittere, ac per suas literas, suo sigillo pendente, munitas de illis, dum, pro tempore, qualitercumque vacauerint, per se ipsum, seu eius Locumtenentem, seu ad hoc, ab eo

A speciale mandatum habentem, personis idoneis prouidere, & exigentibus personarum meritis, & sufficientia super earundem personarum, quibus ipse prouiderit de huiusmodi officijs, & locis requisitarum qualitatum defectibus, cùm sibi placuerit, aut deputando huiusmodi dispensare, & eisdem personis ad ipsa officia, & loca obtinenda. Non obstantibus prædictorum Benedicti, & Callisti literis præfatis sufficienter habilitare, & illi, quibus de eisdem officijs, & locis ipse Rodericus Episcopus, & pro tempore existens Vice-

B cancellarius, seu deputandus, duxerit suis literis prouidendum ad officia, & loca ipsa, absque aliqua alia prouisione recipiantur, & admittantur. Ita, quòd dictæ literę prædicti Roderici Episcopi, seu ad hoc ab eo specialiter deputandi, vel pro tempore existentis Vicecancellarij, quas absque aliarum literarum Apostolicarum desuper conficiendarum expeditione, perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus, ijs, quibus officia ipsa, & loca concesserit, & assignauerit, plenissimè, & per omnia valeant, & suffragentur, ac si super ijs offi-

C cijs, & locis, literæ Apostolicæ confectæ, & expeditæ fuissent. Quòdque recepti ad officia, & loca, ad quæ recepti fuerint suo ordine collocentur. Sicque continuò per ipsum Rodericum Episcopum, & pro tempore existentem Vicecancellarium, absque contradictione quâlibet obseruetur.

§. 26. Decernentes de similibus consilio, & assensu fratrum prædictorum, quicquid secus super ijs, ad prędicti Roderici Episcopi, &, pro tempore, existentis Vicecancellarij dispositionem, vt præmittitur spectantibus officijs, etiam à Nobis,

D aut Successoribus nostris Romanis Pontificibus, pro tempore existentibus, absque expresso prædicti Roderici Episcopi, &, pro tempore, existentis Vicecancellarij consensu contingeret attentari, irritum, & inane, nulliusque roboris, vel momenti existere.

§. 27. Reliquorum verò, quorum nomina, & cognomina &c. & eorum loco, per quamcumque vacationem, seu aliam dimissionem ad huiusmodi officia substituendorum officiorum, & locorum Abbreuiatoris, & literarum huiusmodi dispositio ad Nos, &, pro tempore, existentem

Ro-

Romanum Pontificem pertineat. Itaut A idem Rodericus Episcopus, & Vicecancellarius, etiam prætextu per Nos sibi dudum generaliter concessæ facultatis prædictę disponendi de locis, ac officijs Cancellariæ prędictæ, de ipsorum reliquorum Abbreuiatorię officiorum ad Nos, vt præfertur pertinentium, dum vacabant, dispositiones nequeat impedire. Non intendentes tamen facultati prędictæ propter hoc, aut ex eo, quòd ipse Rodericus Episcopus, & Viceeancellarius eâ forsan hactenus vsus non foret in aliquo derogatum censeri, immò licere sibi cùm voluerit, eâ, B quam prędentium tenore sibi pro potiori cautelæ suffragio, iuxta literarum nostrarum desuper continentiam, atque formam de eorundem fratrum consilio, & assensu, etiam de nouo ad veriorem cautelam concedimus, cùm sibi placuerit liberè vti.

§. 28. Et, vt præmissa omnia, saltem metu pœnę, firmiùs, & validiùs obseruentur omnibus, & singulis, quos præsens tangit negotium, etiam sub pœna excommunicationis, prędipimus, & mandamus, quatenus prędmissa omnia, & singula prout superiùs continentur, sublatâ eis quâcun- C que alia interpretandi facultate, & auctoritate inuiolabiliter obseruentur.

§. 29. Mandantes ipsi Roderico Episcopo, &, pro tempore, existenti Vicecancellario, vt omnia prędicta sub pœnis arbitrio suo ferendis faciat ab omnibus inuiolabiliter obseruari.

§. 30. Decernentes prędentibus nostris literis, & earum singulis, per quascumque alias literas, seu mandata Apostolica, nullatenus in aliquo derogatum censeri, nisi literæ, & mandata derogatoria huiusmodi consistorialiter, de simili fra- D trum nostrorum consensu, fuerint expedita.

§. 31. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis, & priuilegijs Scriptoribus ipsis concessis voluimus non obstare, cæterisque contrarjs quibuscumque. Nulli ergo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1478. Tertio Idus Ianuarij Pontificatus nostri Anno Octauo.

Griffus Sinolphus à tergo registrata in Camera Apostolica G. Blondus.

CAP. VIII.

De Abbreuiatorum munere.

ABundè iam supra in relatis Constitutionibus ostensum esse putamus, quale olim fuerit Abbreuiatorum munus. At cùm longa annorum series non saxa solùm, & dura marmora, sed metalla ipsa durissima, sui ipsius progressu secum deferat, & consumet, multò faciliùs verò hominum mores, & ritus, quæ instabilia sunt, alterat, & immutat. Quare cùm idem Abbreuiatorum munus, ex longa temporis intercapedine iam sit immutatum, prout est in præsenti describemus.

Ex supra allata extrauaganti Ioannis XXII. Summi Pontificis, quæ incipit: *Cùm ac Sacrosancta in cap.* 4. expresè elicitur Abbreuiatores fecisse notas, quæ idem cum illis sunt, quas hodie minutas appellamus, vt ex Constitutionibus Martini V., aliorumque sequentium Pontificum.

At quia Abbreuiatorum dignitas in dies magis, magisque creuerit, & crescat, cùm huiusmodi Collegium, tam in literis, quàm in muneribus, ac dignitatibus Ecclesiasticis Illustrium Virorum Seminarium, iure dici possit, vt in fine huius operis ostendimus, ideo ipsi Abbreuiatores alijs occupationibus distracti, quidam ad Litigantium causas iudicandas detenti, quidam ad Gubernia Ciuitatum destinati, quidam verò ad sublimiora munera euecti, ad huiusmodi minutas conficiendas, pacato animo, quandoque applicari minimè valeant: propterea in laborum leuamen, ac vt rectiùs omnia fiant, huiusmodi minutarum curam, delectis ad hoc ex Cancellaria Apostolica peritioribus Viris, quos Substitutos appellant, committunt, ac etiam conferendi Bullas cum supplicationibus, an ad formam minutarum exaratæ fuerint, studium etiam relinquunt, qui quidem conferendi actus Iudicatura denominatur, ac an in eisdem Bullis appositæ sint clausulæ, ad terminos iuris, gratiam restringentes; ac omnium Officialium Cancellariæ, ad quos spectat, manus, idest subscriptionis appositæ fuerint diligenter inspiciant.

Mo-

Modernorum igitur Abbreuiatorum munus est, singulis Cancellarijs in Parco interesse; vbi antequam ipsi ad aliquem actum se accingant, Abbreuiator in admissione iunior, stans nudo capite, prout etiam omnes alij Abbreuiatores, recitat Orationem sequentem.

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo congregati, veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris; doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius Filio nomen possides gloriosum; non nos patiaris perturbatores esse Iustitiæ, qui summam diligis æquitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris, vel personæ corrumpat; sed iunge nos efficaciter, solito tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, vt sicut in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis Iustitiam, vt etiam hìc à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futurum pro benè gestis consequamur præmia sempiterna. Amen.

Quâ absolutâ incipit Bullarum in Parco expeditio, quam nolumus integram describere, sed tantùm illam, quæ ad nos Abbreuiatores spectat.

Bulla igitur, postquam per diuersa transiuit officia, per vnum RR.DD. Abbreuiatorum Substitutum defertur ad Parcum, in quo quatuor sunt libri, in quibus describitur, prout materies in ea contenta exigit, vt infra demonstrabitur.

Primus enim liber, qui maior est omnibus in duas diuisus est partes, in quarum prima annotantur omnes Bullæ beneficiales, sequenti formâ. In cuiuslibet mensis initio ipsius mensis appellatio seorsim inscribitur hoc modo. *Ianuarius 1689.* Sub mensis appellatione exaratus dies, & Cancellariarum ordo, scilicet: *Die Martis 4. Cancell. prima.*

Sub hoc annotantur Bullæ expediendæ: nimirum nomen Diœcesis, & qualitas gratiæ. Vtpotè *Colimbrien. Per obitum*, A *Venetiarum simile*, *Vlixbonen. certo modò*, *Senen. indultum*, *Florentin. dispensatio*, & sic de singulis gratijs. Hoc autem notandum, quòd hæ Diœceseon, & gratiarum descriptiones non scribuntur continuato ordine, sed subsequenti, videlicet perpendiculari. Exempli gratia.

Colimbrien per obitum.
Venetiarum simile.
Vlixbonen. certo modo.

In altera verò libri parte annotantur gratiæ Dispensationum, quas Matrimoniales appellamus; appositâ verò prius no- B tâ mensis, anni, diei, & Cancellariæ, vt nuper diximus; postea scribuntur Diœcesis, & Oratorum nomina, videlicet: Sipontin. Franciscus, & Anna, eodem perpendiculari ordine obseruato. Si verò Bulla expedienda sit pro pauperibus, quæ non est taxata, sed expedita gratis pro Deo: tunc scribitur in libro tantùm nomen Diœcesis, & post Diœcesim duæ fiunt Cruces hoc pacto Segobien. XX.

Secundus liber continet alias Dispensationes matrimoniales, quæ expediuntur per officium Minoris Gratiæ. In isto igitur C libro solummodo nomen Procuratoris Minoris Gratiæ, qui bullas expedit, & ipsarum Bullarum numerus annotatur: factâ tamen prius in libro solitâ annotatione mensis, anni, diei, & Cancellariæ, vt diximus, in primo libro.

Tertius liber est omnium minimus, in quo itidem inscriptis mense, anno, die, & Cancellaria, signatur numerus supplicationum, & resignationum, quæ Notario Cancellariæ traduntur, vt eas Substitutis pro conficiendis Minutis distribuat, & hæc memoria fit, vt in cuiuslibet men- D sis fine possit conferri numerus annotatus à RR. Abbreuiatoribus, cum numero annotato ab ipso Notario, ne irrepserit error, & æqualis diuisio inter ipsos Abbreuiatores fiat.

Quartus liber continet materias Consistoriales, in quo videlicet signantur Ecclesiæ, & Monasteria Consistorialia, ac Pallia, & Retentiones hoc pacto. In prima libri parte (cùm iste etiam in duas diuisus sit) scribuntur nomen Abbreuiatoris, ex numero septem illorum Antiquiorum, qui de eisdem materijs, quæ per Consistorium expediuntur participant, &

nomen Ecclesiæ; postea in margine charactere latino notatur taxa ipsius minutæ; scilicet e.g.

Vicentinus Maceraten. VI.

Si fuerit Monasterium simili modo exaratur, prout etiam Pallium.

Retentiones verò Beneficiorum, vel Pensionum annotantur simpliciter. *Retentio vnius, vel duorum &c.*

Disseruimus hucusque de libris, & materijs illis, quæ in eis signantur; modò ad praxim descendamus.

Scriptâ in libro Bullâ, illam Substitutus suo Abbreuiatori porrigit. Iste à tergo, & in calce, medioque ipsius Bullæ suum apponit nomen, scilicet *I. D. Parraccianus*, & si Substitutus proprius non fuerit, sed alterius Abbreuiatoris, quia ipse Abbreuiator tunc temporis in Cancellaria minimè fuerit præsens; tunc additur pro D. N. scilicet *I. Ciampinus pro Domino Thomato*, & sic de singulis. Hoc autem duplici ex causa; primò, quia apparere debet quisnam concinnauerit Minutam, Bullamque iudicauerit, vt si fortasse aliquis in ea error irrepserit, cui huiusmodi lapsus, seu sphalma tribuendus sit innotescat. Secundò, cùm æquitati minimè consentaneum sit, propter vnius Abbreuiatoris in Cancellaria non assistentiam, ad aliam Cancellariam Bullarum expeditionem differri, quod in magnum partis detrimentum quandoque cederet: ideo, vt huic occurratur malo, supplere Abbreuiator præsens solet subscribendo *pro* &c.

Primâ subscriptione peractâ, quæ denotat à quo Substituto Minuta confecta fuerit. Bulla sic subscripta traditur Sollicitatori, qui eam defert ad Officiales aliorum Collegiorum, vt eam subscribant. Postea illam, sic subsignatam Sollicitator alteri Substituto tradit, vt eam cum supplicatione conferat; factâ collatione, Substitutus suo Prælato porrigit, vt eam subscribat loco, & formâ, superius descriptis.

Aliquoties accidit, quòd Regens Cancellariæ graui negotio, siue infirmitate detentus ipsi Cancellariæ interuenire nullo modo valeat. Tunc verò suum impedimentum Abbreuiatoribus solet notificare; ac Decanus Abbreuiatorum, seu ex illis antiquior sedet in loco Regentis, & omnia, ad Regentem spectantia munia,

A adimplet illius supplendo vices, tam in subscribendis supplicationibus, quàm in apponendis signis in Bullis: prout etiam in recipiendo iuramentum Prælatorum, electorum ad regimen Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliarumque dignitatum, pro quibus iuramentum præstandum sit.

Quanta igitur Romanorum Pontificum cura fuerit, vt tales Electi solitum iusiurandum præstarent, multis possemus demonstrare auctoritatibus; attamen cùm hæc ad institutum nostrum minimè spectent, contenti sumus solummodò legem

B referre, quę Reuerendissimo Regenti, ac nobis Abbreuiatoribus peculiariter iniungitur, vt eorundem prouisorum solitum recipiamus iuramentum, cuius legis tenor, ex Quinterno Cancellariæ desumptus pag. 394. vbi sic se habet.

De Iuramento Prælatorum.

Motu proprio Dilectis filijs nostris S. R. E. Vicecancellario in virtute sanctæ obedientiæ, ac Cancellariam nostram Apostolicam Regenti, necnon Secretarijs

C nostris Abbreuiatoribus de Parco Maiori, dictæ Cancellariæ Custodi, & literarum nostrarum Apostolicarum Summatori, & alijs quibuscumque Officialibus, ad quos spectat, tam Cancellariæ, quàm Cameræ Apostolicæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandamus, quatenus literas Apostolicas super prouisione, vel Commendâ, seu Coadiutoriâ, vel administratione quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, seu Cathedralium, vel Monasteriorum, Consistorialium, pro personis in Romana

D Curia præsentibus, nullatenus expediant, vel expediri faciant, aut permittant, neque etiam Episcopi, aut alij Consecratores de mandato nostro, etiam viuæ vocis oraculo deputati, alicui munus consecrationis, aut benedictionis impendere præsumat, nisi prius eis per relationem vnius ex Clericis cæremoniarum Capellæ nostræ constet, quòd persona huiusmodi, quæ Ecclesiæ præfertur, aut Monasterio, vel cui Ecclesia, seu Monasterium huiusmodi commendatur, aut si fortè Coadiutor detur, vel Administrator, iuramentum debitæ fidelitatis in forma, ad hoc ordina-

ta

ta præstiterint, pro absentibus verò forma iuramenti huiusmodi, vnà cum literis expediatur, & ad partes transmittatur.

Placet,& mandamus I.Io:Goz.Dat.

Hunc autem Pontificem ex antecedentibus, & subsequentibus scripturis, in eodem Quinterno exaratis colligimus fuisse Iulium II., antea Iulianum denominatum, vt demonstrat litera subscriptionis cedulæ motus proprij, & si diuinari potest, quo tempore promulgata fuerit, colligo ex dictis scripturis fuisse anno 1509.

Cùm Regentis Cancellariæ supra meminerimus, quòdque Abbreuiatores illius ab eadem Cancellaria absentis vices supplere debeant, non incongruum hic erit, si addamus, quòd ipsi Abbreuiatores nouum Regentem admittere, & recipere teneantur, propterea alteram cedulam motus proprij eiusdem Iulij Pontificis anno 1511. promulgatam, & in prædicto Quinterno pag.404.descriptam referamus, tenoris sequentis.

Deputatio Regentis per Papam.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia dilectis filijs Abbreuiatoribus literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Rescribendario, Scriptoribus earundem literarum Officialibus Cancellariæ Apostolicæ, & alijs, ad quos spectat committimus, & mandamus, quatenus in locum quondam Dominici della Porta, quem olim pro dilecto filio nostro Sixto tituli Sancti Petri ad Vincula, Presbytero Cardinali, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, in dicta Cancellaria Locumtenenti, deputaueramus, dilectum filium Magistrum Franciscum de Parma, Decretorum Doctorem, literarum earundem Correctorem, & Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorem, Notarium, & Referendarium nostrum, ad officium Regentis Cancellariam prædictam, etiam in extendendis, & signandis commissionibus, & supplicationibus distribuendis, ipsiusque officij exercitium liberum, necnon honores, onera, & emolumenta quæcumque, omni contradictione cessante, recipiant, & admittant, ac recipi, & admitti faciant, prout Nos ipsum Franciscum ex nunc recipimus, & admittimus, ac admitti volumus, & mandamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

A

Placet motu proprio,& ita mandamus I.

Lectum, & publicatum fuit suprascriptum mandatum Romæ, in Cancellaria Apostolica,die tertiâ mensis Ianuarij,Anno Incarnationis Dominicę Millesimo,Quingentesimo, Vndecimo. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris Domini Iulij Papæ II. Anno ... Io:de Gottifredis Custos.

Licèt in Cancellaria Dominorum Protonotariorum sedile sit, quod in dignori loco, nempe prope Parcum, extra Cancellos tamen situm, ac in eo ijdem Protonotarij pro subscribendis Bullis prouisionum Ecclesiarum, & Monasteriorum residere deberent. Attamen hodie, cùm in Cancellaria, propter varia negocia, interesse minimè valeant proprij Collegij à secretis mittunt, vt expeditionibus Ecclesiarum, & Monasteriorum Collegio assignata emolumenta percipiat. Et cùm ipse à secretis minimè præditus sit facultate, suam in Pontificijs Diplomatibus apponendi manum: ideo rogat vnum ex Abbreuiatoribus, vt nomen proprium in Bulla ponat subscribendo. *Pro &c.* quæ subscriptio à tergo Bullæ fit in sinistra parte, & in medio, sequenti formâ.

B

C

Pro RR. DD. Protonotarijs Apostolicis I. Ciampinus.

Vltra supradictam in Bulla subscriptionem, quæ solutionem Iurium debitorum ipsi Collegio denotat, Abbreuiator subscribit schedulam infrascripti tenoris.

Reuerendissime Domine. Expediantur Bullæ Ecclesiæ N. vacantis per obitum (vel per translationem) *R.P.D.N.ad Ecclesiam N. in personam R.P.N. electi in forma solita, quibuscumque contrarijs non obstantibus.*

D

Hæc est antiqua forma, à Protonotarijs ad Vicecancellarium directa, quando ipsimet conficiebant Minutas, vt apparet ex subscriptione alterius schedulæ, factâ ab Abbreuiatore, sequentis tenoris.

Expeditæ fuerunt pro Reuerendissimo Domino Vicecancellario I. D.Thomato.

Sub hac subscriptione, ipsius Collegij à secretis fidem facit, solutionis Iurium competentium suo Collegio, ratione Ecclesiæ, quæ expeditur sequenti formâ.

Die &c. mensis &c. anni &c. fuerunt

expedita Bulla supradicta Ecclesia taxata ad flor. & solutum officio nostro Ducatos de Camera &c.

Pro RR. DD. Protonotarijs de numero Participantium eorumdem Collegij Secretarius NN.

Supradictam facultatem apponendi subscriptionem, loco Protonotarij, concessam fuisse Abbreuiatoribus apparet, ex cedula motus proprij Alexandri VI., quæ in dicto Quinterno registrata reperitur sub pag. 384., illius tamen tenorem, tamquam minus necessarium, duximus omittendum.

Ijdem Abbreuiatores etiam Auditoris Contradictarum vices supplent; cùm enim in aliquibus Bullis quandoque aliquis exprimatur intrusus in Beneficium: tunc apponitur clausula *Vocatis &c.*

Quando igitur huiusmodi adest clausula: in summitate Bullæ, super literas maiusculas, Abbreuiator, in dextra parte eiusdem Bullæ, sic ponit: *Lecta in Audientia Contradictarum pro D. Auditore NN. scilicet idem Abbreuiatoris nomen.* Quando verò clauditur Rota, & indictæ sunt feriæ, siue vacationes, tunc mutatur subscriptio in sequentem formam. *Affixæ fuerunt literæ ad Valuas Cancellariæ pro Domino Regente NN.* Pro huiusmodi subscriptione, qui Bullam porrigit signandam: eodem tempore Abbreuiatori tradit paruam schedulam, ab vno ex Procuratoribus Contradictarum subscriptam; exempli gratiâ sequentis tenoris.

Die: Mensis: Anni 1688.

Mutineu. certo modo habui vnam Cancellariam NN.

Vltra supra expressa munia, quæ in Cancellaria Abbreuiatores exercent. Illis Antiquior tenetur interesse in Signatura Gratiæ, ex Constitutione 2. Pauli V., vt in §. 4., quam integram infra in Capite de Priuilegijs referemus.

Quando nouus creatur Pontifex, tunc Vicecancellarius post multos, ab illius creatione, dies Sanctissimum accedit, secumque Abbreuiatores de Parco ducit, vt ij ipsius Pontificis pedem deosculentur, è cuius conspectu ipse Vicecancellarius, sedens in paruo scamno, ac Abbreuiatores genuflexi in coronæ formam stant; tunc Decanus, siue antiquior Abbreuiator breuem habet orationem in Pontificis laudem, eidemque Collegium commendat, vt illud benigno fauore semper prosequere dignetur.

Hic tamen animaduertendum est, quòd Abbreuiatores, tam in accessu, quàm in recessu Pontificis pedem deosculantur.

Vt autem Abbreuiatores in futurum ad plenum de omnibus, quæ agere debent, edocti sint, luculentam orationem apponimus, habitam ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Ioanne Augustino Vicentino, Collegij nostri dignissimo Decano, coram Sanctissimo Innocentio PP. XI. tenoris sequentis.

Ad pedes Sanctitatis vestræ humillimè reuoluti, ea tribuimus profundissimæ deuotionis obsequia, ac reuerentissimæ congratulationis officia, quæ paria sunt tanto Pontifici. Gaudemus de Sanctitate Vestra, ad supremum Ecclesiæ fastigium sublimiter eleuatâ; & quis non gaudebit de tanto Principe Nobis à Cœlo dato, cuius si vitæ cursum inspicimus, vndique trophæa munificentiæ, probatissimi mores, virtutes præeuntes annos. Vidit Roma illustris monumenta pietatis, & inter illustres pietate viros Sanctitatis Vestræ coniunctos sanguine collocatos. Vidit tot virtutum triumphos, & gratulata est, vt Sanctitas vestra Capitolio imperaret, videbit & nunc, tamquam in speculo, ideam fortitudinis, innocentiæ Asylum, qualitates enimuerò Sanctissimi Moderatoris, sed raro insimul coëuntes, qui dum fortis, & innocens extiterit, dat pacem populis, præmia benemerentibus, ac proindè quis dubitet, quin Sanctitas Vestra benè compertum habeat ab optimo Principe, in muneribus distribuendis, imitandam esse naturam, quæ non nisi per gradus à leuioribus ad perfectiora transcendit; hinc factum est, vt ab antiquis philosophis, vel perspicacissimis in ista rerum Regina, nihil, aut vanum, aut incongruum reperiretur; vanum esset requirere harmoniam in sphæris, nisi debitâ proportione connecterentur. Stat machina ista Terrarum suis librata ponderibus, quibus dissolutis, antiquum repeteret Chaos. Decet ergo Principem nostrum, amantissimum populi sui, amantissimum Ecclesiastici illius Ordinis, qui tot laboribus insudat Sanctitati Vestræ æquâ lance librare merita. Interim

rim nos, quibus datum est tanto Principi inseruire, auguramur Sanctitati Vestrę perpetuos, & felicissimos annos, & supplices consecramus occupationes Collegij, quòd sicut sic antiquitate, & excellentiâ in Apostolicis rebus plurimum pollet, ita Sanctitatis Vestræ potentissimam protectionem plurimum meretur. Sanè sub auspicijs Reuerendissimi Cardinalis Vicecancellarij, virtute insignis, in nostris explendis muneribus plurima dabimus illibatæ fidei, & exactissimæ diligentiæ argumenta.

Pariter in principio Pontificatus regulæ Cancellariæ renouantur, & antequam huiusmodi fiat renouatio, vna, quandoque plures Congregationes haberi solent, in quibus interuenit Datarius, Subdatarius, Officialis per obitum, & aliquis ex Cancellaria, & Dataria practicus. Intersunt etiam eâdem in Congregatione duo Abbreuiatores de Parco, cuius rei testis sum; cùm in Congregatione, factâ in principio Pontificatus recol. mem. Innocentij XI. cum Illustrissimo Domino meo Collega Thomato interfuerim.

Solebant etiam antiquitus Abbreuiatores de Parco respondere dubijs Causarum Beneficialium, à Rotâ propositis, vt testantur Paulus Barchin. in sua Praxi Cancellariæ, ac Ludouicus Gomes in suis Commentarijs. Ambos hosce Auctores retulimus supra in præsentis operis Præliminari.

CAP. IX.

De Residentia DD. Abbreuiatorum in Cancellaria facienda.

DIsseruimus hucusque de Abbreuiatorum munere, sed discutere omisimus, an eis liceat absque vrgenti causa Cancellarię minimè interesse, cùm ipsi sint, qui eandem Cancellariam dirigant, & informent. Qua de re quicquid ad illorum in ipsa Cancellaria residentiam faciendam, spectans inuenimus, in vnum collegimus, vt Abbreuiatores minimè ignorent, Pontifices, necnon Vicecancellarios ipsam residentiam necessariam æstimasse; propter

A quam nonnullas pœnas contra Transgressores iniunxerunt, quas recensere longum esset: cùm supra in Cap. 3. ac Constitutione primâ Martini V. §. 7. & in altera 2. eiusdem Martini §. 4. necnon in alia Eugenij IV. §. 3. integrè retulerimus, ibique legi valeant. Atquia à nonnullis forsan obijci posset, supra allatas Constitutiones editas fuisse ante erectionem factam à Sixto IV. sanctissimæ memoriæ; ideo sub silentio prætereundum esse minimè censeo peculiare Decretum, super hac residentia editum à bo: mem: Alexandro Cardinali

B Farnesio, S.R.E. Vicecancellario circa annum 1594. quod in sæpè relato Quinterno Cancellariæ registratum, reperitur pag. 474. cuius est tenor.

Alexander, miseratione Diuina, S. Laurentij in Damâso, Diaconus Cardinalis, S. R. E. Vicecancellarius.

Cùm sicut Nos experientia docuit, ex duodecim Abbreuiatoribus, qui etiam ex forma iuramenti, per eos præstiti, in expeditione literarum Apostolicarum, in Cancellaria Apostolica, Nobis assistere tenentur. Multi ex eis, plerumque etiam

C legitimâ causâ cessante, omnino deficiant, aliqui ante finem Cancellariæ, licentiâ minimè petitâ, recedant, ac reliqui minus grauiter in expeditione huiusmodi assistant, & frequenter priuatorum more, per Cancellariam vagentur. Exinde fit, quòd expeditiones literarum huiusmodi, cum non mediocri Partium incommodo, & iacturâ, diutius protrahantur, eorundem Abbreuiatorum auctoritas non sine animi displicentia muniatur, ac demum obloquendi contra Romanam Curiam, etiam apud exteras nationes, non modi-

D ca occasio tribuatur. Nos igitur, qui & Cancellariæ, & Collegij Abbreuiatorum huiusmodi Caput existimus, volentes indignitati rei huiusmodi congruam, vt decet, adhibere medelam, hâc perpetuò valiturâ Constitutione sancimus. Quòd de cętero omnes, & singuli Abbreuiatores debeant horâ consuetâ, seu per Nos, aut Regentem nostrum deputandâ, in qualibet Cancellaria interesse, & si fuerint legitimo impedimento detenti, teneantur impedimentum huiusmodi, coram Nobis, aut Regente præfato allegare. Quòd si defecerint, vel impedimentum huiusmodi

modi admissam non fuerit, careant distributione sequentis Cancellariæ, quæ præsentibus, & deseruientibus accrescat, & si sæpiùs contrauenerint, arbitrio nostro puniantur, teneanturque Bullas eis ad reuidendum distributas quietè, & accuratè reuidere, ac reuisas fideliter referre, & vsquequo Bullis relatis per Nos, aut Regentem præfatum manus apposita, & dictæ Bullæ Plumbatori consignatæ fuerint, debeant grauiter, & honestè in suis locis sedentes assistere, aliàs careant distributionibus, vt supra, debeantque insuper minutas super supplicationibus eis distributis, vt tenentur conficere. Et illas, si materia patiatur, per Cancellariam expedire, aliàs careant distributionibus, vt supra. Quòd materiæ, quæ propter aliquam difficultatem indigent disputatione, amotis omnibus alijs, non iurgijs, sed rationibus, inter ipsos Abbreuiatores discutiantur, & quilibet in loco suo, votum rationi consonum præbeat, & iuxta votum maioris partis ipsorum, expediantur, aliàs careant distributionibus, vt supra.

A. Cardinalis de Farnesio Viceeanc.

CAP. X.

Quid in admissione noui Abbreuiatoris peragatur.

IN vnaquaque Congregatione, siue Ecclesiastico ordine neminem admitti, mos est, nisi omnibus, aut maiori saltem illorum parte consentientibus. Postea verò ipsius receptionis, seu in ordinem admissionis, solennes actus, aliquâ pompâ celebrantur. Ita etiam in hoc nostro illustri Collegio obseruari vidi; moremque hunc etiam antiquitus obseruatum fuisse, & scripturæ, & vetusta traditio confirmant. Et ne in posterum de hoc actu, ac cæremonijs, in illo obseruandis, aliquo modo dubitari contingat, quæ Ipse expertus sum, & ab alijs experiri animaduerti, scriptis tradam, ne in seculorum tenebris memoria delitescat.

Admissionis die, & horâ destinatis, omnes Abbreuiatores, in Vrbe præsentes, ad Cancellariam accedunt, ibique solito Cu-

A cullo induti, simulque congregati ad Eminentissimi Viceeancellarij cameras se conferunt, ac eodem Eminentissimo Viceeancellario salutato, illum excipiunt, ac vsque ad Parcum comitantur, vbi solium præparatum, cum baldachino, paruâque mensâ, holosericâ mappâ damascenâ, rubei coloris, ornatâ, atque sella itidem holoserica est. In mensa parata sunt atramentarium, & vas, in quo arena continetur, omnia argentea, itidem calami ad scribendum. Eminentissimus Viceeancellarius, postquam ad hunc locum peruenit, thronum ascendit, ac in eadem sella, ibi præparatâ sedet; necnon Regens Cancellariæ ad dextrum latus, ac mensæ caput se confert, ibique nudato stans capite, accipit supplices libellos, quos Viceeancellarius signat, ac arenam super illos spargit. Abbreuiatores verò in Parcum se conferunt, obseruato sessionis ordine; accedit posteà nouus Abbreuiator solitis vestibus Clericalibus nigris indutus, & ingreditur Parcum è conspectu Viceeancellarij (de loco, in quo præcisè se confert, dicemus in sequenti Capite de Abbreuiatorum in Parco ordine, atque sessione sub litera S) ibique stans, ac nudo capite, Abbreuiatoribus verò birrettâ coopertis, breuem recitat orationem in Viceeancellarij, Collegijque laudem, quòd ipse in eiusdem Nobile, ac Illustre Collegium admitti meruerit. Absolutâ oratione à Parco recedit, ad Viceeancellarij cameras se confert, vbi nigris vestibus depositis, Prælatitijs se induit, violacei coloris, cum Cucullo, reditque in Parcum, quo tempore leguntur per iuniorem Abbreuiatorem literæ concessionis officij noui Collegæ. Hæc tamen vestium mutatio in eodem admissionis die facta, est contra Statuta Collegij, cùm in sequenti Cancellaria fieri debeat, vt ex sequenti Capite, vbi de Statutis Collegij agetur, videre est. Quare si vestes mutandæ sunt, in eodem admissionis die, oportet, vt dispensatio Viceeancellarij præcedat, de consensu tamen Abbreuiatorum. Dumque eiusdem vestis mutatio fit, Viceeancellarius supplicationes signat, suum in calce earundem apponendo nomen, eo scilicet loco, in quo apponit nomen suum Regens, qui tunc munus minimè exercet, cùm Maiori locum cedat; subscriptio au-

tem

tem abbreuiatè fit, nempe *P. Vicecan.'*, idest Petrus Vicecancellarius.

Reuersus ad Parcum nouus Abbreuiator ad Vicecancellarij pedes accedit, ibique genuflexus, solitum iusiurandum præstat, cuius tenorem referemus in Cap. XVI. de Statutis. Absoluto iuramento surgit, ac primò Regenti, postea omnibus Abbreuiatoribus, seruato Antianitatis, scilicet Antiquitatis ordine (in futurum hac Antianitatis voce, pro maiori intelligentia vtor) pacem dat, qui in accipienda pace surgunt. Hâc cæremoniâ peractâ, nouus Abbreuiator vadit ad locum suum ad sedendum in Parco, qui locus sub num. 12. in sequenti Capite demonstratur; ibique idem nouus Abbreuiator incipit exercere sui officij munus; nam Bullas, quæ ab Abbreuiatoribus subscribuntur, accipit, ac Regenti tradit; Regens verò porrigit Vicecancellario, qui eas tribus signat literis maiusculis, scilicet L, C, P; quæ denotant: Lecta, Correcta, Petrus; ad ostendendum, quod Bulla antequam ad plumbum transmittatur, est diligenter lecta, & si in aliquo erat errata, fuit correcta. Loca autem, in quibus hæ literæ apponuntur sunt; litera L ponitur in sinistra parte Bullæ, habitâ ratione ad Scribentem, litera C in medio, & litera P in dextera parte.

Absolutâ Cancellariâ, Vicecancellarius ad suas redit cameras, & omnes Abbreuiatores eundem comitantur, ipsique de honore, Collegio impartito, in huiusmodi functionis assistentia, rependunt grates.

Vt autem Lectoris eruditioni magis indulgeam: duas orationes (vnam à me, alteram verò ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. de Effectibus) habitas, occasione admissionis appono; mea sic se habet.

Encomium illud, Illustrissimi, & Reuerendissimi Patres, quo apum singularia munia perstrinxit vates:

Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus.

huic vestro celeberrimo præclarissimorum Virorum Collegio adaptari non inficiabitur, quicumque & tanti Consessus, & tanti Principis, & Rectoris Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Francisci Barberini S.R.E. Vicecancellarij, ac Cardinalis Amplissimi præclara gesta, & egregias dotes rimari non dedignabitur. Erga me be-

A neficia gradibus semper creuisse expertus sum; cui enim bona olim contulit, meliora semper largiri non destitit. Fuerunt apes futuræ felicitatis, & gloriæ etiam infantibus non obscura prænuntia. Mihi verò huiusmodi eximiæ apes, non tantùm signa, sed & causæ extitere, sub quarum faustis auspicijs sanctiss. me. Clemens IX. me ad Præfecturam Minutarum Breuium Iustitiæ, ac ad Magisterium Minutarum Breuium Gratiæ euexit, & nunc felicissimo omine SS. D. N. Clementis diuina prouidentia PP. X. in numerum tam insignis Collegij B immerentem adscribere, & cooptare dignatus est. Verùm, cùm ad tantæ beneficentiæ munera recolenda voces non sufficiant; hæc quæ nec eloquijs, nec gestis æquare valeo, perpetuis studijs, & grati animi votis, & obsequijs pro viribus celebrare conabor.

Altera verò D. de Effectibus est:

Principum magnificentia nec valet, quia semper vult subditos suos ad æthera tollere: tollitur & tulit, vt talibus irradiata beneficentiæ fulgoribus magis, ac magis C hæc magni amoris magnitudine clarescat. Nunc vix ipse noscerem, ni aspicerem Vos, ò Sapientissimi Præsules, quorum mentibus Patria regitur, & spiritu respirat, ni dixero Stellæ manentes in ordine suo, errantem me lucernam in vestro luminis consortio adscripturum, vt in ipso sub felicissimis summæ, ac ter maximè Regnantis Innocentiæ auspicijs eius, & gloria augeatur in dies, & quanto magis ex minimo me nosco, nascatur, & suæ clementiæ maximum. Vobis igitur, quorum radio luminis incrementum non despero, me ipsum bis D dono, semel resigno, æternum sacro &c.

Superest, vt pro huius Capitis coronide referam, quòd, dum nouus Abbreuiator in Vicecancellarij cameris pro induendis Prælatitijs vestibus se confert, interim distribuuntur iocalia pro eius admissione, quæ sunt Ducatorum quinque pro vnoquoque Abbreuiatore, & si aliquis absfuerit, illius portio inter præsentes diuiditur.

CAP.

CAP. XI.

De Abbreuiatorum in Parco ordine, atque ſeſſione.

SEræ poſteritati ea, quæ hoc tempore in noſtro celebri Collegio aguntur, memoriæ tradenda arbitramur, ne ipſius temporis ſeries in obliuionis tenebris illa demergat, cùm omnia ſuo progreſſu, & duratione immutet, turbetq; . At quoniam in omnibus rebus ordinem ſeruare oportet, non incongruum hic erit, qualis in Parci ſeſſione ordo obſeruetur, oſtendere, cùm plurimi eiuſdem Parci ignorentur ritus.

Neminem latet quâlibet in Vniuerſitate, ſiue Collegio, tam in ſeſſione, quàm in Proceſſionibus, & quibuſcumque alijs actibus, præſertim publicis, inter Adſtantes quandam eſſe prærogatiuam dignioris loci, quæ duplici ex cauſa cuilibet competere ſolet; videlicet ex priori in Vniuerſitatem admiſſione (quæ vulgò Antianitas dicitur) cùm regula Iuris ſit: *prior in tempore, potior in iure*: aut ex dignitate competit, ſcilicet ratione officij, ſeu muneris, vt videre eſt in Capitulis, vbi Archidiaconus, Decanus, Scholaſticus, Cantor, & huiuſmodi dignitates obtinentes, alios Canonicos præcedere ſolent; id etiam in Regularium Cœnobijs obſeruatur, vbi Abbates, Priores, Guardiani &c. omnes ſuos Cœnobitas præcedunt. In noſtro autem Collegio prærogatiua, ratione Antianitatis, competit, excepto Reuerendiſſimo Regente, qui ratione dignitatis in Cancellaria tantùm ſuper omnes Abbreuiatores, præeminentiam habet, quomodo autem iſta inter omnes, in ſeſſione ſeruetur, Scenographicam, & Ichnographicam tabulas apponimus, vt ex illis faciliùs dicenda percipi valeant.

Tab. 1. Scenographica ipſum Parcum repræſentat, vbi lit. A denotat Vicecancellarium, B Regentem, CCCC Abbreuiatores ad Menſam pro literis examinandis, & ſubſcribendis ſedentes, DDDD Subſtitutos eorundem Abbreuiatorum, qui examinandas, & ſubſcribendas literas porrigunt, EE Cancellos Parci.

Tabula Ichnographica exhibet idem, ac ſupra, nempe A B C D totum ambitum

A Parci denotant. A B, B D ſunt duo muri, qui conſtituunt duo latera Parci A C, C D ſunt Cancelli, ſiue Balauſtia, quæ alia duo latera ipſius Parci formant; G eſt oſtium Parci, E F ſunt duæ feneſtræ, quæ Parcum illuminant, HH eſt area lignea, ſiue ſuppedium, ad quod per duos gradus aſcenditur, vbi ſtare ſolet Vicecancellarius, quando Cancellariæ interuenit. I ſedem denotat, in qua ipſe Vicecancellarius ſedet, K paruam menſam ante ſedem, in qua ipſe Vicecancellarius ſcribit; L magnam menſam figuram elypſis, ſeu oualis,
B in cuius circuitu ſtant Abbreuiatores expedientes Bullas. MMMM quatuor ſunt magna ſubſellia cum ſuppedijs, in quibus ipſi Abbreuiatores ſedent. Ordo verò qui ab ipſis in ſedendo obſeruatur, ipſi numeri demonſtrant; nam numerus 1. denotat Regentis locum; 2. Decani; 3. Subdecani; & ſic de ſingulis, habitâ ratione ad temporis prærogatiuam. Si verò aſſiſtat Vicecancellarius, tunc ordo immutatur; nam Regens ſtans, ipſi Vicecancellario aſſiſtit in loco ſignato N, ac ipſi ſupplicationes, & Bullas ſignandas porrigit, & poſt ſignum
C à Vicecancellario poſitum: nigrum ſabulum in illas ſpargit; In numero verò 1. ſedet Decanus, & ſic de ſingulis, eâdem temporis prærogatiuâ obſeruatâ. Litera S locum denotat, vbi noui Abbreuiatores orant, antequam in Collegium admittantur; literæ O P, O Q ſubſellia ſunt pro Subſtitutis; R S ſunt duo parua Archiua, vbi libri, & alia pro Collegio neceſſaria à Cancellariæ Procuſtode aſſeruantur.

Relatus autem ordo, quando Vicecancellarius non interuenit, ſtrictè non obſeruatur, ſed vnuſquiſque ſedet, vbi libuerit.

D Quod autem diximus de ordine ſeſſionis in Parco ſeruando, quando interuenit Vicecancellarius, idem dicendum de ordine in quibuſcumque alijs congreſſibus, & Proceſſionibus, vbi Recentiores præcedunt, Seniores verò ſequuntur, quorum vltimus, ſcilicet Decanus, digniorem occupat locum. Et hæc ſatis de Præcedentijs.

CAP.

Tab I Scenographica

D C D D C D
C C
E E
B A

O P
Tab II Ichnographica
E
M M
L
H H
N
K I
H H
W W
F
Q G
C D

CAP. XII.

De Abbreuiatorum assistentia in Cappellis Pontificijs, alijsque solennioribus functionibus.

T omnis actio hoc in nostro Collegio Tyronibus nota sit, non incongruum hìc fore existimamus, si ordinem, atque sessionis locum, tam in Cappellis, quàm Processionibus, prout etiam Vestes, quibus ipsi Abbreuiatores in eisdem vtuntur functionibus, describamus.

Ex concessione sanctæ mem. Gregorij Papæ XIII., qui etiam Abbreuiator fuit, honore assistendi Cappellis Pontificijs nostrum gaudet Collegium, vt fusiùs in sequenti Cap. xv. dicemus. Locus igitur Abbreuiatoribus in eisdem Cappellis assignatus, in Presbyterij gradibus est. In primo gradu proximiori pauimento sedent Auditores Rotæ; deinde Sacri Palatij Apostolici Magister; postmodum Clerici Cameræ; successiuè Votantes Signaturæ, quos sequuntur Abbreuiatores. Si autem gradus iste ad omnes excipiendos capax non sit, ad tertium ascenditur gradum, secundo intermisso: eodem tamen ordine, ratione Collegiorum, semper obseruato. Dignior igitur locus ille est, qui solio Pontificio proximior; quare si interdum accidat, quòd Prælati in paruo sint numero: tunc omnes in primo gradu sedent tamquam omnium capaci, & hæc de loco in Cappellis Pontificijs; modò de Vestibus, quibus ipsi Abbreuiatores in Cappella induuntur.

In omnibus functionibus Rocchetto, & Cappâ violacei coloris superpelliceo albo ornata Abbreuiatores vtuntur, excepto die solennitatis Sanctissimi Corporis Christi, in quo, cùm post Missam solennis incipiat Processio, loco Cappæ, induunt se Rocchetto, & Cottâ. Item in Cappellis Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, ac Dominicæ Palmarum, & in die Cœnæ Domini, cùm in illis diebus alia solennis fiat Processio, si Summus Pontifex adsit, tunc in eadem Processione vtuntur Rocchetto, & Cottâ, postmodum hâc dimissâ induunt se Cappâ. In ipsa

A die Cœnæ Domini, prout etiam in solennitate Sanctissimi Corporis Christi, si Votantes non sint numero sufficientes in seruitio Altaris, nempe in Candelabrorum delatione, quando Summus celebrat Pontifex, illorum nos supplemus vices.

Quando aliqua fit per Vrbem solennis Processio, vtpote ratione Iubilęi. Si Abbreuiatores ad interessendum vocati fuerint, tunc induunt se Rocchetto, & Mantelletta. Ordo autem in procedendo inter ipsos seruatur, vt semper Iuniores Senioribus antecedant.

B In Cappellis, cùm à Sacro Eminentissimorum Cardinalium Collegio, Apostolicâ Sede vacante, in Choro Basilicæ Vaticanæ defuncto Pontifici iusta soluuntur: Abbreuiatores Rocchetto, & Mantellettâ pullâ induti intersunt, sedentque in subsellijs Beneficiatorum Capituli S. Petri, post Signaturæ Votantes, à cornu Epistolæ, cùm in Canonicorum subsellijs Eminentissimi Cardinales sedeant.

CAP. XIII.

C *De solennibus Equitatibus, quibus Abbreuiatores intersunt, ac Vestibus, quibus amiciuntur.*

NTER varias, quæ à sublimibus viris solennes functiones celebrantur, iure connumerandos esse puto publicos Equitatus, ac neminem, qui hoc ambigat, esse existimo, cùm hisce Equitatibus Proceres, Regumque Magnates, alijque Nobiles, ac
D Dignitatibus insigniti Viri interesse soleant; vnde ex vestium diuersitate, Equorum phaleris, alijsque ornamentis, splendor maximus enitet, ipsique Equi ob suam generositatem, visui iucunditatem simul, admirationemque pariunt. Huiusmodi Equitatus in Romana Curia aliquando fiunt, & Magnates, Nobiles, ac Prælatorum Hierarchicus ordo intersunt, in quo etiam Abbreuiatores de Parco Maiori connumerantur.

Primus igitur solennis Equitatus, qui à Pontifice nouiter creato celebratur in ipsius Pontificatus initio, est, cum è Palatio

Vaticano, vbi Conclaue peractum fuit, ad Lateranensem Ecclesiam se confert, illius possessionem, ratione sui Episcopatus, adepturus.

Hæc cæremonia antiquitus valde admirabilis erat, vt in vetusto Rituali manuscripto Cencij Camerarij legitur; quâ formâ nunc peragatur, in nostro supplemento Pontificiorum Numismatum, quod, si Deus nobis Vitam concesserit, in lucem emissuri sumus, narrabimus. In hac igitur solennitate Abbreuiatores debent habere mulas, à quibus vehuntur, nigris dorsualibus ornatas, ac Cucullum cum antiquo pileolo, vt deferunt Episcopi, ac Protonotarij, cæterique Ecclesiastici Ordinis deferre debent, tantummodo in ornatu Abbreuiatores dispares sunt; quoniam horum pileolus ornatus, nigri coloris est.

Secundus, ac solennis Pontificis Equitatus, singulis quoque annis (si ipse Pontifex infirmitate, vel aliâ causâ detentus non sit) die Cinerum celebratur; cùm Pontifex è Palatio Pontificio, cum tota ferè Curia S. Sabinæ Ecclesiam adit, vbi solennem functionem benedicendi cineres peragit, quos Adstantium postmodum capitibus imponit.

Solennis verò tertius Equitatus est, die Sanctissimæ Annunciationis, cùm idem Pontifex è Pontificio Palatio se transfert ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ supra Mineruam, ibique celebrationi Missæ assistit, quâ absolutâ, multis pauperibus Virginibus Religiosam vitam profiteri, siue virum in matrimonium ducere cupientibus, singillatim crumenam consignat, in qua schedula est dotalis subsidij, quod, ob præcitatas causas Sanctissimæ Annunciationis Societas, in eadem Ecclesia fundata, eisdem Virginibus erogat.

Præter hos Equitatus quandoque alij celebrari solent, vtpote, cùm aliquis Cardinalis solenniter ab Vrbe, ad suam Legationem discedit, vel in Vrbem ex eadem Legatione reuersus, pariter cum pompa ingreditur.

Idem etiam in solenni ingressu alicuius Regis, vel Reginæ seruatur.

Solent etiam Abbreuiatores equitare in comitando cadauere defuncti Viceeancellarij ad Ecclesiam, vbi iusta eidem per-

A solui debent. Ratio autem huius comitatus est, quia ipse Viceeancellarius ipsorum Abbreuiatorum Caput erat, quare eandem ob causam idem peragunt Reuerendissimi Domini Auditores Rotæ.

Nolo hic sub silentio præterire erratum, quod accidit in comitatu Cadaueris bo: mem. Francisci Cardinalis Barberini S. R. E. Vicecancellarij, ac Collegij Eminentissimorum, ac Reuerendissimorum DD. Cardinalium Decani, qui cùm longam 47. annorum vitam in Vicecancellarij munere protraxisset, cæremoniarum
B Magistri huiusmodi ritus erant ignari, cùmque ijdem Reuerendissimi Auditores Rotæ, secuto ipsius Vicecancellarij obitu, ad Collegij memoriales libellos recurrissent, in ijsdem inuenerunt, quid in huiusmodi actu peragere deberent, quam ob causam, absque aliqua Magistri cæremoniarum denunciatione, ad Cancellariæ Palatium cum solitis vestibus, in similibus Equitatibus adhiberi solitis, mulisque, parafrænis ornatis, se contulerunt, ac cæremoniarum Magistri ijsdem discedendi licentiam impartiti fuere, asserendo se inspexisse cæ-
C remoniarum Diaria, in quibus erant annotati obitus bon: memor: Cardinalium Lantes, & Romæ, qui itidem Decani fuerunt, & in huiusmodi Equitatibus ipsi Auditores non interuenere; bonâ tamen ipsorum Magistrorum cæremoniarum veniâ, ipsi minimè animaduerterunt, quòd ambo illi Cardinales minimè Vicecancellarij, sed solummodo Collegij Cardinalium Decani erant; quare in personam bo: mem. Cardinalis Barberini duæ concurrebant releuantes qualitates, Decanatus scilicet, & Viceeancellariatus, ex
D quarum postrema non solùm pertinebat, imò conueniens erat tam ipsis Auditoribus Rotæ, quàm nobis Abbreuiatoribus in huiusmodi comitando cadauere equitare, cùm Viceeancellarius, vt nuper diximus, amborum Collegiorum Caput existat. Pro hactenus dictorum firmanda sententia, quicquid in Diarijs à Paulo ab Alaleone cæremoniarum Magistro diligentissimo descriptum reperi, hic referam, videlicet.

Sabato die 4. Mensis Martij 1589. de mane, ante prandium fuerunt facta funeralia circa Corpus Illustrissimi D. Alexandri

dri

dri Farnesij S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostieñ, ac Veliterñ, Decani Sac. Collegij Cardinalium, Vicecancellarij, Legati Patrimonij, Protectoris Aragoniæ, Lusitaniæ, & Poloniæ, & Archipresbyteri S. Petri, in Palatio Cancellariæ, suæ habitationis, in Aula depicta, vbi fit Cancellaria, in qua fuit portatum Corpus eius, indutum omnibus paramentis Pontificalibus violaceis, ac si viuus esset, pontificaliter celebraturus, cum Mitra ex damasco albo, supra lectum mortorium coopertum panno aureo, cum eius insignibus aureo insectis, & hinc inde funalia accensa erant, & ad pedes lecti parua mensa, cooperta tobaleâ albâ, cum duobus Candelabris, & Candelis accensis, Cottâ, Stolâ, & Pluuiali nigro, libro pro absolutione, vase cum aqua benedicta, & thuribulo cum nauicella incensi; desuper tempore conuenienti Religiosi per vices cantarunt Officium mortuorum, præsentibus XXXVIII. Cardinalibus, cum Cappis Violaceis ex Cameloto, qui ante pedes lecti, sicuti veniebant ex libro: Pater noster &c. A porta inferi &c. & Orationem; & hæc fuit introductio Socij mei, qui dixit se inuenisse in quodam libro Paridis Crassi, olim Magistri cæremoniarum, hunc vsum meo tempore, & Auunculi mei, nunquam inueni; sed tantùm orabant aliquantulum memoriter, & deindè ibant ad sedendum. Cardinales steterunt, & sederunt in tertia Aula, vsque dum Corpus fuit delatum extra Palatium. Illustrissimus Cardinalis Sfortia, Nepos dicti Illustrissimi Cardinalis bo:mem:non interuenit, quia voluit tenere visitationes lugubres. Finito Officio mortuorum Corpus fuit delatum à dicta Aula, vbi erat, vsque ad Portam supradicti Palatij, à Canonicis S.Laurentij in Damaso, & consignatum Canonicis Basilicæ S. Petri, cuius dictus Cardinalis erat Archipresbyter, qui illud tulerunt vsque ad Ecclesiam Societatis Iesu, supra lectum coopertum panno aureo, & non supra feretrum, præcedentibus aliquibus Societatibus secularibus, Religiosis Vrbis, & multis Presbyteris, Capitulo S. Laurentij in Damaso, & Capitulo Basilicæ S.Petri, adiuuarunt dictos Canonicos ad portandum Corpus aliqui Parafrenarij induti Vestibus lugubribus

A dicti Cardinalis bo: mem., post Corpus pedester iuerunt familiares dicti Illustrissimi Cardinalis lugubribus vestibus induti, & post hos equester, Magister Domus Papæ, cum Assistentibus Pontificaliter, cum Mantellonibus induti, omnes Auditores Rotæ cum Mantellonibus, Abbreuiatores de Parco Maiori, & familia Papæ vestibus rubeis induta, itum fuit per viam Pellegrini vsque ad Zeccham veterem, deinde per Montem Iordanum, Parionum, Pasquinum, per Vallem, & ante Cæsarinos, & deinde intus Ecclesiam Societatis Iesu, ad fuernnt & Equestres ante Auditores Rotæ; duo Protonotarij de numero Participantium; Auditores Rotæ, & Abbreuiatores, interuenerunt vti membra Vicecancellarij, quia ad alios Cardinales non vadunt, fuerunt delata ducenta funalia accensa, quæ tulerunt pueri S. Spiritus, Orphani, Cathecumeni, & aliqui pueri; Pauperes Pontis Sixti, adfuerunt etiam Baiuli, induti saccis, cum saculonibus: Societates Sanctissimi Saluatoris, & Annunciatæ non interfuerunt, propter præcedentias, & aduertatur etiam pro alijs, ne inuitentur omnes Societates secularium ob præcedentias, quia semper impediunt Processionem. Capitulum S. Petri fecit ante se deferri Crucem contra nostram voluntatem, quia in mortuis sufficit tantùm vna Crux ante omnes Religiosos; officium in Ecclesia Societatis Iesu circa Corpus, fecit vnus ex Canonicis S. Petri; multi Artifices ornarunt suas Apothecas pannis nigris, significantes luctum, & in rei veritate, contristata est propter amissionem huius tanti viri, postquam Corpus fuit in D Ecclesia positum; fuit cantata Missa de Mortuis solenni à R.D. Curtio de Franchis, & Diacono, & Subdiacono Canonicis S.Petri, fuit facta distributio Cerei, & licetorum plus solito.

B (beside "sam Societatis Iesu")

C (beside "uertatur etiam")

CAP. XIV.

De Abbreuiatorum Vestibus in solennioribus festis diebus.

ICET Protoparentum nostrorum æuo pelliceæ tunicæ summi Creatoris ordinationi, potius ad verecundiam, quàm ad corporis nuditatem tegendam introductæ fuerint, vt ex Genesi cap. 3. vers. 21. Attamen temporis progressu etiam ad frigora, niues, pluuiasque arcendas vestium vsus inualuit, deinde sensim cæpit illarum distinctio; cùm in lege veteri Sacerdotalis vestis ab alijs ratione pretij, & formæ distincta esset. Hæc eadem distinctio etiam in Euangelij lege admissa fuit, ac varijs Sacris Canonibus, sacrisque legibus, ratione personarum Ecclesiasticarum decreta Quæ etiam inter laicos paulatim irrepsit. Quare Guglielmus Durandus, Speculator dictus, in suo speculo, ac titulo *De Aduocato* longè differit, quales vestes debeat habere Aduocatus, cuius occasione sequentia refert carmina, quæ etiam citantur à Gambara in suo Tractatu *De Auctoritate Legati de latere* pag. mihi 11.

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamuis idiota sit ille.
Si careat veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est laudis, quamuis sciat omne quod audit.

Ratione igitur pretij, formæ, & coloris Vestium hominibus debetur honor, vt ostendit Cassaneus in *Cathal. Glor. mun.* argum.1.par.1.considerat.23.Quamobrem Romani Pontifices nostrum Collegium insignibus, ac honoribus extollere volentes, Abbreuiatoribus peculiares Vestes à vulgaribus distinctas concesssere.

Has autem concessiones, iuxta nostrum consuetum stylum, seruato chronologico ordine, recensebimus. Pius enim II. in sua laudata Constitutione, quæ incipit: *Vices illius &c.* supra in Cap. V. relata, ibi in §. 16. Abbreuiatoribus de Parco Maiori concessit, vt in Processionibus quibuscunque, alijsque actibus solennibus, ac etiam tempore, quo in Parco sederent, deferrent Caputium foderatum, ad instar Aduocatorum Consistorialium Palatij Apostolici.

A De Vestibus autem nulla ibi fit mentio. Sed quod in hac Constitutione iste Pontifex omisit, in alia subsequenti suppleuit, quæ incipit: *Quò salubrius*. vbi §. 8. ordinauit singulos Abbreuiatores fore Clericos, necnon Togatos, ac honesto & condecenti habitu incedere debere.

Quod Pius in hac præcitata sua Constitutione ordinauit, idem etiam iussit Sixtus IV. sanc. mem. in noua Collegij erectione, vt ex eius Constitutione in Cap. VII. relatâ, vbi in §. 5. sic habetur: *Habitum honestum ad instar Scriptorum Apostolicorum* B *deferant*. Scilicet vltra medium cruris, vt ex ipsius Collegij Statutis apparet, vbi dicitur, quòd vltra vnam palmam à terra non distet; ac ex picturis in Palatio Vaticano, à celebri pictore Raphaele Vrbinate delineatis, argui potest, vbi etiam nonnulli Viri similibus vestibus induti visuntur; Prælatorum verò habitum vsque ad talos, prout de præsenti, fuisse extensum, ambigendum non est, & ex ijsdem picturis etiam conijcitur.

Et cùm in libris Decretorum Collegij infrascripta legatur annotatio: *Anno 1606.* C *Post nonnullos dies, à supradicto Illustrissimo D. Crescentio A.C. recepi infra dictas scripturas ad Collegium nostrum spectantes.*

Statuta Collegij.

Priuilegium deferendi vestes violaceas, & assistendi in Cappella Pontificia, ad instar Reuerendissimorum DD. Causarum Palatij Apostolici Auditorum, necnon Sedis Apostolicæ Acolytorum.

Bullam Priuilegiorum nouissimè per SS. D.N. Paulum PP. V. Collegio nostro concess- D *sam.*

Vlpius Secretarius.

Quæ annotatio nobis occasionem præbuit istud inquirendi priuilegium. Vnde à me factis tam in Supplicationum, quàm Bullarum, necnon Breuium Regestis indagationibus, nullum de huiusmodi vestibus inueni priuilegium. Quare ad cæremoniarum Magistros recursum habui, nempe ad D.Abbatem Cappellum, vnum ex præfatis cęremoniarum Magistris, virum admodùm eruditum, vt in eorum Diarijs inquirere placuisset, an in illis appareret, quo tempore

pore violaceæ vestes Collegio nostro concessæ fuissent. Huiusmodi meæ petitioni libenter indulsit, ac ab eo infrascriptum accepi responsum.

Cùm Abbreuiatoriæ munus de Maiori Parco antiquitus Prælatitiam Dignitatem secum, vt de præsenti, minimè annexam haberet, quoniam tam laicis, quàm vxoratis illud exercere fas erat, idque varijs auctoritatibus comprobari posset, præsertim ex cæremoniarum Magistrorum Diarijs. Nam ex ijsdem apparet sub die 2. Februarij anni 1574. sanctæ mem. Gregorium XIII. Abbreuiatoribus de Maiori B Parco Clericis tantùm (seclusis laicis, & vxoratis) concessisse, atque indulsisse, vt Pontificiæ Cappellæ cum Rocchetto, & Cappa, siue cum Rocchetto, & Cotta, vt sacræ functiones requirebant, ad Acolytorum instar interesse valerent. Quamobrem ijsdem Abbreuiatoribus tam in Cappella, quàm in Processionibus, alijsque publicis, & solennibus actibus immediatè, post eiusdem Cappellę Acolytos, locum concessit, ita tamen, vt deficientibus Acolytis, eorundem munus ipsi Abbreuiatores, quoties opus esset, adimplere deberent. Huiusmodi C concessionis Descriptor, ac tunc temporis cæremoniarum Magister Franciscus Mucantius, hæc expressè addit verba: *Hac tamen conditione adiecta, vt hoc Priuilegium Clericis tantùm competat, & non vxoratis.*

Ac profectò ipso mane, secundâ Februarij, in Pontificia Cappella interfuere, ac concessi loci possessionem adepti sunt nonnulli Abbreuiatores, qui Clerici tantùm erant, videlicet, Vincentius Fucherius, Alexander Glorierius, Alexander Canigianus, Ludouicus Bentiuolus, Ca- D millus Burghesius, necnon Petrus Paulus Torellus, vt expressè patet ex quadam fide huiusmodi concessionis vestium, & loci in Cappella, factâ à Ludouico Branca, & præmemorato Francisco Mucantio, ambobus cæremoniarum Magistris, quæ in Cod. M.S. in Bibliotheca Phebæa signato lit. H. num. 51. pag. 185. registrata reperitur. Huiusmodi fidem, vt nobis idem Abbas Cappellus earundem cæremoniarum dignissimus Magister, humanissimè communicarit, hìc inserendam duximus, videlicet.

A Nos Ludouicus Branca, & Franciscus Mucantius Romani Clerici, in Cappella SS. D. N. Gregorij diuinâ prouidentiâ PP. XIII. sacrarum cæremoniarum Magistri, vniuersis & singulis, ad quos spectat & pertinet, spectareque, & pertinere contigerit, quomodolibet in futurum, salutem in Domino.

Noueritis, quòd nuper pro parte Collegij Reuerendissimorum DD. literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorum, fuimus requisiti, de testimonio nostro, super concessione, & assignatione loci in dicta Cappella, per eundem Sanctissimum D. N. eis factâ, in scriptis perhibendo: vt illo, vbi & quando opus fuerit, ac toties, quoties duxerint opportunum, vti possint, & valeant. Vnde nos Ludouicus, & Franciscus præfati, attendentes honestum, & rationi consonum esse, testimonium perhibere de veritate, per præsentes ad omnium supradictorum notitiam deducimus, eisque attestamur, quòd die 2. Mensis Februarij, in festo Purificationis B. Mariæ Virginis, anni Domini 1574. Idem Sanctissimus D. N. ex sententia Illustrissimorum, & Reuerendissimorum S.R.E. Cardinalium, super sacris cæremonijs deputatorum, re prius inter ipsos maturè discussâ & examinatâ in dicta Cappella, Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. dictæ S. R. E. Cardinalibus ei, vt moris est assistentibus existens, prædictum Collegium, & eius erga Sedem Apostolicam benemerita, per amplius decorari, ac specialibus fauoribus, & gratijs prosequi desiderans, illud Prælatorum, & aliorum eidem Sanctissimo D. N. Gregorio, & pro tempore existenti, Romano Pontifici, in dicta Cappella Assistentium numero, & consortio, fauorabiliter, & gratiosè perpetuò aggregauit, recepit, & admisit. Ita quòd liceret eisdem Reuerendis Dominis Abbreuiatoribus, nunc & pro tempore existentibus, ex tunc, & de cætero perpetuis futuris temporibus, tam coniunctim, quàm diuisim, prout eis videbitur, ad dictam Cappellam dum inibi diuina officia celebrantur, in decenti habitu, videlicet Rocchetto, & Cappâ, seu Cottâ, ad instar Reuerendorum DD. Causarum Palatij Apostolici Auditorum, ac dictæ Sedis Acolytorum, liberè venire, &

acce-

accedere, ac ibidem stare, & permanere. Necnon ad huiusmodi effectum, eidem Collegio locum in dicta Cappella, ac Processionibus, & alijs publicis actibus, immediatè post dictos Acolytos perpetuò dedit, concessit, & assignauit. Ita tamen, quòd ijdem Abbreuiatores in eadem Cappella, alijsque publicis actibus, vices Acolytorum prædictorum, ac eorum Ministerium, ipsis Acolytis deficientibus, supplere teneantur, & debeant, & pro exemptione eorundem, dictâ die in Palatio Apostolico, & Aulâ paramentorum, assurgente Illustrissimo, & Reuerendissimo D Alexandro Episcopo Tusculano, S. R. E. Vicecancellario, Cardinali Farnesio nuncupato, ac assistente frequente Cardinalium Senatu, postquam eiusdem Collegij nomine RR. PP. DD. Abbreuiatores infrascripti; videlicet Vincentius Fuscherius, tunc D. Collegij Decanus, A. Gloricrius Romanus, A. Canigianus Florentinus, L. Bentiuolus Bononiensis, C. Burghesius Romanus, P. Torellus Foroliuiensis; Rochetto, & Cotta induti, prout eà die conuenit, deosculati sunt pedes eiusdem Sanctissimi D. N. eidemque pro tanto beneficio collato gratias egerunt. Nos, ad quos eius loci constitutio, & assignatio, de eiusdem Sanctissimi D. N. mandato, viuæ vocis oraculo, tunc nobis facto, ratione muneris, nobis iniuncti spectabat, & pertinebat. Eosdem Abbreuiatores, tam proprio eorum, quàm vniuersi eius Collegij nomine, in corporalem, realem, & actualem possessionem eiusdem loci, in eadem Cappella induximus, posuimus, ac instituimus de eodem, prout etiam ex dicta sua possessione, hactenus pacificè absque vllius contradictione, & molestiâ, continuata apparet. In quorum fidem, ac perpetuum testimonium, præsentes nostras literas testimoniales fecimus, & vtriusque nostrorum sigillis, quibus vtimur, communiri curauimus, easque proprijs manibus nostris subscripsimus. Datum Romæ in ædibus nostræ solitæ habitationis sub anno à Natiuitate eiusdem Domini. Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo octauo Indictione . . die verò . . Mensis Aprilis Pontificatus prælibati Domini nostri Anno Sexto.

Sed illo, vnde discesserat, redeat oratio.

A Addit laudatus Abbas Cappellus in suo ratiocinio, se pro certo habuisse, post huiusmodi prærogatiuam habitus, & loci in Cappella, alijsque publicis actibus, ad instar Acolytorum etiam Abbreuiatores Prælatitias vestes, violacei coloris, fuisse indutos, nisi in eisdem Diarijs animaduertisset, præcitatum Mucantium, in Equitatu ad S. Sabinam, eiusdem anni 1574. notasse: Abbreuiatores nigras induisse vestes, licèt decentiùs, violacei coloris, eas deferre debuissent, vt talibus verbis scriptum reliquit: *Præcesserunt Valisarij &c.* B & post plura: *Abbreuiatores cum eorum habitu quotidiano nigri coloris, sed fortasse decentiùs incessissent habitu violaceo, quemadmodum & Acolyti.*

Et licèt post huiusmodi habitus, & loci in Pontificia Cappella concessionem, ex Diarijs minimè appareat, à Clericis, Abbreuiatoris officium tantummodo obtineri solitum, eique Prælatitiam Dignitatem vnitam, atque annexam fuisse: attamen id patenter, ex supra allata fide apparet, vbi hæc leguntur: *Prædictum Collegium ob eius erga Sedem Apostolicam benemerita, per* C *ampliùs decorare, ac specialibus fauoribus, & gratijs prosequi desiderans, illud Prælatorum, & aliorum eidem Sanctissimo Domino Nostro Gregorio, & pro tempore existenti Romano Pontifici in dicta Cappella Assistentium numero, & consortio fauorabiliter, & gratiosè perpetuò aggregauit, recepit, & admisit.*

Idque expressè comprobatur; dum paulò post à sæpè laudatæ concessionis elapsis annis, Abbreuiatores omnes in Prælatitia Dignitate constituti erant, attestante id Seraphino in sua Decisione Romana D præeminentiarum in ordine *la* 716. occasione controuersæ præcedentiæ inter Correctorem, & ipsos Abbreuiatores emanatæ anno 1585. vbi num. 12. sic fatur: *Secunda est, quia cùm illis temporibus DD. Abbreuiatores essent laici, & multi ex eis vxorati, decentiæ gratia, datus fuit dignior locus D. Correctori Prælato. Absurdum enim fuisset eum sedere post laicos, & vxoratos, quòd si hoc idem non obseruatur, respectu Dominorum Protonotariorum, qui sunt de Collegio, nihil mirum cùm hodie DD. Abbreuiatores sint ipsi quoque Prælati.*

Et licèt pro certo haberi possit, quòd ab eodem

eodem Equitatus tempore ad S.Sabinam, A
præfati Anni 1574. ab eodem Mucantio admonitos Abbreuiatores, violaceas induisse vestes, ijs non obstantibus ab eisdem cęremoniarum Magistris huiusmodi extra Cappellam habitus nulla fit mentio, nisi ad annum 1590. quoniam Ioannes Paulus Mucantius, alter cęremoniarum Magister, ac præfati Francisci germanus, in descriptione Equitatus ad S. Ioannem Lateranum habiti à fa:me: Gregorio XIV. die 13. Decembris eiusdem anni 1590. narrat Abbreuiatores induisse Pręlatitium habitum violacei coloris, hisce verbis: B
Præibat Centurio Equitum &c. Tum Prælati Curiæ inferioris, videlicet Secretarij, Abbreuiatores, & Acolyti, vestibus violaceis, cum Rocchetto, & Mantelletta induti: Auditores Rotæ cum latis magnis Mantellis nigris &c.

Cùmque postmodum fa:mem:Paulus V. speciali suâ Constitutione, infra referendâ, Abbreuiatores eò ipso, ac ad huiusmodi officium electi fuerint, suos, ac pro tempore existentium Romanorum Pontificum, in vtraque Signatura Referendarios, creauerit. Ac Vrbanus VIII. fel. rec. eisdem C
indulserit, vt infra etiam ostendemus, vt si post decennium, ipsi Abbreuiatores officium dimisissent, violaceas vestes, retinere valerent. E' quibus hactenus dictis, certè argui potest,ab eadem Gregorij concessione, ac postquam officium in Clericos transiuit, omnes violaceas desumpsisse vestes. Hoc est Abbatis Cappelli ratiocinium, quod, quàm veritati consonum sit, nemo non videt. Propterea nihil addere scimus, præter quàm supra insertam Magistrorum cæremoniarum fidem eandem esse, quæ in præfatis libris Decretorum D
Collegij nominatur *Priuilegium deferendi vestes violaceas, & assistendi in Cappella Pontificia, ad instar RR. DD. Causarum Palatij Apostolici Auditorum, necnon Sedis Apostolicæ Acolytorum*. Quod deperditum est, ac factis omnibus diligentijs inuenire minimè potuimus, & in hac fide tandem reperimus.

Notandum tamen est, Acolytos à fa: mem: Alexandro VII. suppressos fuisse, & in illorum locum, Signaturæ Iustitiæ Votantes esse suffectos.

CAP. XV.

De Priuilegijs Abbreuiatorum de Parco Maiori.

PRÆMIA condigna factis recipere virtutis est opus, cùm illa non impartiantur, nisi his, qui legitimè certauerint: qualia autem præmia sint Abbreuiatoribus attributa, nostrum est hìc demonstrare, vt inde appareat, quanti eorundem Abbreuiatorum Collegium Romani Pontifices æstimauerint, quantique Abbreuiatores ipsi de huiusmodi titulo, ac honore gloriari iure possint.

Licèt multa priuilegia in supra allatis Pontificijs Constitutionibus, ac sparsim enunciata fuerint, nihilominus hìc illa repetere, alijsque infradicendis annectere, loci oportunitas poscit,ne lector in eisdem perquirendis vagari cogatur,sed ante oculos vnico contextu, quod quærit, in promptu habeat.

Cùm à laudandæ semper mem. Sixto IV. nostrum Collegium stabilitatem, & firmamentum sumpserit,in enarrandis Priuilegijs, ab eodem Pontifice exordiar; cùm de alijs ab Antecessoribus Pontificibus concessis dubitari forsan posset, ob Collegij suppressionem, à præmemorato Paulo II. factam.

Sixtus Pontifex in sua Constitutione supra in Cap. VIII. relata multa nostro Collegio priuilegia concessit, quæ cùm ibidem ad longum expressa sint, incassum hìc repetere, ideoque tantummodo summatìm referam.

In §. igitur 6. eiusdem Constitutionis idem Pontifex declarat, Abbreuiatorum officia compatibilia esse cùm quibusuis alijs officijs Romanæ Curiæ.

In §. 8. concedit, vt possint deferre vestes ad instar Scriptorum Apostolicorum.

In §. 16. Cappellam in Cancellaria Apostolica Abbreuiatores habere decreuit, vt in ea singulis diebus Cancellariæ, missam audire possent.

In §. 18. concessit Abbreuiatoribus, vt eorum officia essent resignabilia.

In §. 19. vt ipsi Abbreuiatores gauderent omnibus indultis Scriptoribus Apostolicis

ſtolicis conceſſis, ac Magiſtri denominarentur.

In §.20. Quòd poſſent condere ſtatuta, pro felici regimine, & gubernio Collegij.

In §.21. Tranſumptis ſupradictę Conſtitutionis, ac etiam Priuilegiorum Apoſtolicorum credatur, ac ſi Originales literæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

In §. 23. Declarauit, quòd literæ Apoſtolicæ per Cameram expediendæ, ab Abbreuiatoribus non ſignatæ, nullius eſſent roboris.

Hæc quoad Priuilegia ab eodem Sixto conceſſa, modò ad alios Pontifices accedamus.

Leo X. recol. mem. mirum in modum indulta, & gratias, ſiue priuilegia, ab alijs Pontificibus noſtro Collegio impertita, ampliauit. Dixi ab alijs Pontificibus impertita, quia in eius Conſtitutione, quæ habetur in Bullario in ordine *la* 14. legimus vltra eumdem Sixtum IV. etiam Innocentium VIII. Alexand. VI. & Iulium II. etiam Romanos Pontifices indulta, & gratias noſtro Collegio pariter conceſſiſſe; huiuſmodi autem Leoninæ Conſtitutionis tenor ſequens eſt.

LEO EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

SVMMI Bonorum omnium Largitoris Dei, qui laborum participes, præmiorum etiam cenſuit eſſe conſortes, verbo, atque exemplo inſtructus verus eius Vicarius Romanus Pontifex, & in ſubſtinendis pro vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, cuius cura ſibi imminet generalis, gubernatione, laboribus continuè aſſiſtentes, ac in requiſitis ad hoc officijs indefeſſis viribus laborantes, priuilegijs ſpecialis prærogatiuæ proſequi, & diſtributione gratiarum debet quibuſuis cæteris anteferri.

§ 1. Cùm itaque dilecti filij literarum Apoſtolicarum Abbreuiatores, ſint Nobis, & Apoſtolicæ Sedi in literis eiuſdem dictandis, atque formandis, nedum vtiles, ſed etiam neceſſarij, Nos ipſos, & eorum quemlibet ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequentes, ac à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cen- A ſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quâuis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Motu proprio, non ad eorundem Abbreuiatorum, vel alicuius alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certâ ſcientiâ, ac poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, tenore pręſentium omnes, & ſingulas, tam a fel. rec. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. B ac alijs Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, quàm à Nobis, & dicta Sede, & ipſorum Abbreuiatorum, ſeù officij eorundem fauorem, vtilitatem, vel commodum, principaliter, vel acceſſoriè, aut alias quomodolibet emanatas literas, illarum omnium tenores, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam Iuris, quàm Facti defectus, etiam ſubſtantiales, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem, ac ab omnibus inuiolabiliter obſer- C uari, & ſecundùm eas vbique iudicari debere, decernimus, atque mandamus.

§. 2. Et nihilominus potiori pro cautela, omnia, & ſingula in eiſdem literis contenta de nouo, & eiuſdem Sixti Prædeceſſoris veſtigijs inhærentes, & vt falſitatibus magis aditus præcludatur, omnes, & ſingulas literas Minoris, aut etiam abſque Signarura, Maioris Iuſtitiæ, & illis, ex quibus ipſis Abbreuiatoribus nihil, & dilectis filijs Secretarijs noſtris, aut Cancellariæ Apoſtolicæ Seneſcallo, aliàs Cuſtodi, integra, ſicut dilectis filijs D literarum earundem Scriptoribus, ſecunda taxa debetur dumtaxat; & nullis alijs exceptis, literas Apoſtolicas per Abbreuiatores ad id deputatos non ſubſcriptas iuribus omnino carere, & de nihilo ſuffragari, nulliuſque roboris, vel momenti, tam ipſas, quàm in eis, ac ſupplicationibus, & Signaturis deſuper factis quomodolibet contentas gratias, ac Signaturas ipſas penitus, & omnino exiſtere.

§. 3. Ac omnes, & ſinguli quicumque ſint illas ſollicitantes, ac illis quomodolibet vtentes, omnes, & ſingulas ſen-

ſententias, cenſuras, & pœnas in Apoſtolicarum literarum falſarios quomodolibet promulgatas incurrere eò ipſo decernimus, ſtatuimus, & ordinamus.

§. 4. Ac omnes, & ſingulos modernos, & pro tempore, tam de Maiori Præſidentia, quàm de Minori Parco, & primâ viſione. Abbreuiatores huiuſmodi, Clericos verò noſtros, & dictæ Sedis (ſine præiudicio tamen de numero participantium Notariorum) Notarios, & tam Clericos, quàm laicos Abbreuiatores eoſdem Nobiles, ac Sacri Palatij Apoſtolici, & Aulæ noſtræ Lateran. Comites, & Milites creamus, facimus, conſtituimus, deputamus, ac gratioſè recipimus, nobilitamuſque, & Nobilitatis titulo inſignijs, & armis decoramus, ac aliorum nobilium, ac noſtrorum, & Palatij, ac Aulæ, necnon dictæ Sedis Comitum, Militum, & Notariorum numero, & conſortio huiuſmodi quoad vixerint, etiam poſtquam Abbreuiatores eſſe deſierint.

§. 5. Necnon dictæ Sedis, ac noſtros, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum antiquos ab eodem momento, quoad Apoſtolatûs apicem, diuinâ fauente clementiâ aſſumpti fuimus, & Succeſſores noſtri huiuſmodi aſſumentur, familiares continuos commenſales eſſentialiter, ac omni fictione ſemotâ verè, & indubitanter eſſe.

§. 6. Ac omnibus, & ſingulis exemptionibus, exceptionibus, priuilegijs, prærogatiuis, antelationibus, fauoribus, facultatibus, indultis, & gratijs, quibus alij de nobili etiam militari, ac Comitum, & Illuſtrium genere ex vtroque parente eſſentialiter procreati, ac noſtri, & Succeſſorum noſtrorum, ac Palatij, & Aulæ, ac Sedis huiuſmodi Milites, & Comites, ac Notarij, necnon etiam verè, & eſſentialiter noſtri, & Succeſſorum eorundem familiares continui commenſales antiqui, & qui omni priuilegio, fictione, lege, & gratiâ ceſſantibus, nedum poſt, ſed etiam ante aſſumptionem noſtram, & Succeſſorum noſtrorum huiuſmodi actu Nobis, & Succeſſoribus noſtris huiuſmodi, non tantùm in Romanæ Curiæ, ſeu Eccleſiæ officijs, ſed in proprijs etiam immediatè noſtris, & Succeſſorum noſtrorum huiuſmodi rebus priuatis, & A domeſticis actu ſeruiêrunt, & ſeruiêrint, ac in domibus habitationum noſtrarum, & Succeſſorum eorundem perſonaliter habitârunt, & habitauerint, & propterea ad effectum, vt quibuſcumque cæteris præferantur per Nos, & Succeſſores noſtros huiuſmodi, in certis noſtris, & Succeſſorum noſtrorum huiuſmodi literis in primæua eorum confectione, characteribus, & ſignis, ac per ſingulorum eorundem nomina, & cognomina, ac alias deſignationes ſpeciales actualiter deſcripti fuerint, & quicunque alij etiam amB plioribus priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus, gratijs, & antelationibus fungentes de iure, conſuetudine, priuilegio, vel aliàs, tam quoad aſſecutionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel gratijs expectatiuis, earumque collationum mutationibus, extenſionibus, ac reualidationibus eis pro tempore conceſſis comprehenſorum, quàm quoad quæcumque alia, etiam longè maiora, & quæ niſi in indiuiduo exprimantur non venirent, quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudere poterunt quomodolibet in futuC rum, ipſos quoque Abbreuiatores, & etiam ſingulos, etiam ante literarum deſcriptionem huiuſmodi confectionem pariformiter, & abſque vlla penitùs differentia in omnibus, & per omnia, ac quibuſuis fictione, & diuerſitate ſemotis, æque, principaliter, verè, & eſſentialiter, vti, potiri, & gaudere.

§. 7. Ac omnibus, & ſingulis perſonis, etiamſi veri familiares noſtri, continui commenſales, ac cuiuſcumque generis, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, ac quibuſcumque, D tam Eccleſiaſticis, quàm mundanis dignitatibus, & excellentijs præfulgeant, ac prærogatiuis, deſcriptionibus, exceptionibus, gratijs, & antelationibus quantumcumqne efficaciſſimis, & inſolitis, ac ex quibuſuis etiam iuſtiſſimis, & quæ neceſſariò exprimendæ eſſent cauſis fungantur, illis, qui Nobis, & Succeſſoribus noſtris huiuſmodi, vt præfertur etiam Cardinalatus, ac vacationis beneficiorum huiuſmodi temporibus ſeruierunt, & ſeruierint, ac omnino tales in dictis habitationibus nabitârunt, & habitauerint, ac in dictis deſcriptorum literis

descripti, vt præfertur fuerint dumtaxat, & nullis alijs etiam eis omnino adæquatis, parificatis, ac etiam longè magis priuilegiatis, & prærogatiuis, & dignis, ac indiuiduam, & certis modis, quos necnon omnia alia ad effectum præsentium etiam præcisè, & de necessitate exprimenda, præsentibus pro sufficientissimè expressis habemus, qualificatam expressionem requirentibus, acceptis anteferri posse, atque debere, ac in dictis descriptionum literis, quoties eas confici contigerit inter sic seruientes inhabitantes descriptos, & exceptuatos huiusmodi, videlicet post eorum primum, & ante vltimum describi, & adnotari debere declaramus, decernimus, & mandamus. Ac potiori pro cautela Nos eosdem Abbreuiatores, & eorum singulos in ipsis descriptionum literis inter primum, & ante vltimum prædictos in præcisè omnimodæ, & totalis paritatis, ac fraternizationis signum harum serie, etiam quoad Successores nostros huiusmodi, eorumque gratias quascumque perpetuò describimus, & adnotamus; necnon descriptionem, & adnotationem per præsentes huiusmodi easdem vim, efficaciam, atque essentiam, quas descriptio, & adnotatio seruientium, inhabitantium, descriptorum, & exceptuatorum prædictorum in dictis literis descriptionum pro tempore factæ habent, & habere poterunt quomodolibet, in omnibus, & per omnia absque vlla penitus differentia, diuersitate, seù fictione habere, & eiusdem naturæ, atque essentiæ esse, ipsosque Abbreuiatores vbicumque eisdem modis, ac formis, & clausulis, in omnibus, & per omnia quibus seruientes, & inhabitantes, ac descriptos; & exceptuatos esse, & censeri debere perpetuò declaramus.

§. 8. *In hoc §. Abbreuiatoribus conceditur, quòd fruantur gratijs expectatiuis, quæ cùm fuerint reuocatæ à Concilio Tridentino sess.24. cap.19. ideo contenta in dicto §. omittuntur.*

§. 9. Ac ipsos Abbreuiatores, & eorum singulos quoad vixerint, eorumque familiares, Vicarios, & Officiales, necnon Clericos subditos quosuis, ac beneficia, & bona quæcumque ad eos in totum, vel in partem, aut aliàs quomodo- A libet spectantia, ac in omnibus, & singulis, & in quibus, necnon prout dictos Scriptores exemimus, & liberauimus, ac Scriptores ipsi exempti, & liberi quomodolibet existunt eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberos, necnon Nobis, & Successoribus nostris huiusmodi immediatè subiectos esse declaramus. Ac quibusuis personis etiam si ordinariâ, delegatâ, vel mixtâ, ac Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, Regali, Reginali, & aliâ quàuis Ecclesiasticâ, vel mundanâ auctoritate, dignitate, B & excellentiâ præfulgeant, & fungantur, sub excommunicationis latæ Sententiæ, & priuationis omnium, & singulorum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, secularium, & quorumuis Ordinum Regularium, ac Regnorum, Dominiorum, terrarum, & bonorum, quæ à Romana, & quibusuis alijs Ecclesijs, Monasterijs, & locis Ecclesiasticis, aut pijs in titulum, vel Commendam, seu feudum, Vicariatum, vel aliàs quomodoli- C bet obtinent, & in posterum obtinebunt pœnis, quas contrafacientes, eisque ad hæc auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes incurrere, ipsaque beneficia alijs liberè posse conferre, & bona concedi volumus eò ipso, ne ipsos Abbreuiatores, & alios, quorum fauorem præsentes quomodolibet concernunt, vel eorum aliquem modo aliquo molestare, inquietare, aut perturbare, nec aliquid intentare contra earundem præsentium tenorem præsumant, aut aliquis eorum præsumat districtiùs inhibe- D mus.

§. 10. *Doctores, Notariosque creandi, & bastardos legitimandi auctoritas datur; quæ gratiæ, cùm fuerint reuocatæ in Constit.60. bea: me: Pij V. & in Constit.45. Pij IV. ideo iste §. etiam omittitur.*

§. 11. Ac vnus ex familiaribus singulorum eorundem Abbreuiatorum ensem per Vrbem ad Patroni sui libitum deferre liberè, & licitè valeat.

§. 12. Omniaque, & singula in eis, ac exemptionis, liberationis, & subiectionis prædictarum, necnon quibusuis alijs literis Apostolicis Scriptorum eorundem,

eò

eò quod Scriptores existunt, honorem, exemptionem, præeminentiam, prærogatiuam, commodum, fauorem, vel vtilitatem, quomodolibet concernentibus à Nobis, & quibusuis alijs Roman. Pontificibus Prædecessoribus, & Successoribus nostris, ac Sede huiusmodi pro tempore emanatis contenta, illarum omnium, & singularum totos tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, eisdem Abbreuiatoribus, & eorum singulis iuxta omnium, & singularum literarum earundem continentiam, & tenorem, ac vt B absque aliqua alia signatura desuper obtinendâ. Omnes, & singuli Abbreuiatores huiusmodi nullâ signaturâ, aut compositione, seu quâuis re aliâ desuper requisitâ, sed pro eorum libito liberè, super omnibus, & singulis hìc contentis simul, vel seorsum etiam super eorum quolibet, nec non tot, & tales, quot, & quales, & prout Scriptores ipsi, eò quod Scriptores existunt, possunt, & in futurum poterunt quomodolibet expedire, ac pro eis confici facere literas Apostolicas, cum omnibus, & singulis clausulis, C & alijs in eis contentis de verbo ad verbum Scriptoris in Abbreuiatoris, ac nomine, & cognomine dictorum, & qualitatibus personarum, quæ mutanda fuerint dumtaxat mutatis expedire, & confici facere, liberè, & licitè possint, & valeant concedimus. Ac omnibus, & singulis ad quos literarum Apostolicarum expeditio quomodolibet spectat, & spectare poterit, vt illas quotiens desuper per aliquem ex ipsis Abbreuiatoribus requisiti fuerint absque mora, aut excusatione aliqua totaliter expedire debeant, D & expediant sub dictis pœnis mandamus. Necnon vt etiam omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, prærogatiuis, exemptionibus, exceptionibus, Indultis, fauoribus, & gratijs quouis modo nuncupentur, quibus dicti Scriptores, eò quod Scriptores existunt quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum ipsos Abbreuiatores, & eorum singulos pariformiter æque, principaliter, & absque vlla penitus differentia, diuersitate, aut fictione vti, potiri,

A & gaudere (sine tamen eorundem Scriptorum præiudicio) quoad illos de Minori, quoad alios verò de Maiori Parco Abbreuiatores non minus eis, quàm dictis Scriptoribus per præsentes, & alias quascumque literas nostras, quoad antelationum prærogatiuas concessum fuisse, aut concedere noluisse, vel concedere, sed priuilegia, & antelationum prærogatiuas per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, tàm Abbreuiatoribus de Maiori Parco, quàm Scriptoribus huiusmodi, eorumque Collegijs hactenus concessis, eis hinc inde salua fore, illamque per easdem singulas literas nostras, eisq; minimè derogatum fuisse, aut esse decernimus, & declaramus. Ac vbicumque Scriptores ipsos quomodolibet excipi contigerit, etiam dictos Abbreuiatores exceptuatos esse. Necnon eorundem Abbreuiatorum, quibus qui præmissis quoad assecutionem beneficiorum Ecclesiasticorum in proprijs personis gaudere non poterunt, seu noluerint singuli ad singulas, seu vnum ad duas, vel omnes tres collationes prædictas Ecclesiam, vel dictorum quem, vel quos maluerit loco sui nominare, & sic nominatos pro tempore omnibus, & singulis antelationum prærogatiuis, & gratijs, quibus in assecutione beneficiorum huiusmodi si Abbreuiatores actu essent gaudere possent, gaudere in omnibus, & per omnia perinde ac si Abbreuiatores, etiam Scriptores, & nominati huiusmodi Abbreuiatores literarum Apostolicarum huiusmodi essentialiter, & verè, omni fictione semotâ, essent, liberè, & licitè valere atque debere.

§. 13. Necnon præmissa omnia, & singula vim præcisæ obligationis, & stipulati contractùs hinc inde obligatorij, & omnino irreuocabilis, inter Nos, & Successores nostros, & Sedem huiusmodi, ac Abbreuiatores ipsos initi, & facti, ad cuius obseruantiam Nos, Successoresque nostros huiusmodi obligatos testamur semper habere. Ac sub nullis reuocationibus, cassationibus, annullationibus, suspensionibus, modificationibus, aut limitationibus sub quibusuis verborum formis, & clausulis, quantumcumque efficacissimis, & insolitis à Nobis, & Successoribus nostris, & Sede huiusmodi

pro tempore quo modolibet emanatis, nisi de eorundem Abbreuiatorum consensu, & consistorialiter editæ fuerint, & in eis nomina, & cognomina, gradus, & qualitates, ac beneficia, & officia omnium, & singulorum, tunc existentium Abbreuiatorum actualiter, & indiuidualiter, & nominatim sint scripta comprehendi, nec dissuetudine, seu inobseruantiâ quâuis, vel aliter aboleri, tolli, minui, aut abrogari, seu eis in aliquo derogari posse, neque debere, & quotiens ea reuocari, & annullari, aut eis in aliquo, etiam quantumcumque minimo derogari contingat, totiens ea in pristinum, & eum, in quo de præsenti existunt, & ante reuocationem, & derogationem huiusmodi existebant statum plenariè, & absque vllis diminutione, aut defectu, reposita, restituta, atque reintegrata, prout Nos harum serie reponimus, restituimus, & plenariè reintegramus, esse. Ac præmissa omnia & singula ex nunc nullâ probatione more vtentium, vel aliàs introducta, seu publicatione, & promulgatione, aut re aliquâ aliâ desuper requisitâ, aut expectatâ plenum effectum sortita esse.

§. 14. Ac omnes, & singulos, quos concernunt ad suorum obseruantiam omnino obligare, & non aliter, quàm secundùm præsentibus contenta, omnia, & singula per quoscumque etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Sacri Palatij Apostolici Causarum Auditores, & alios, tam ordinariâ, quàm delegatâ, & mixtâ auctoritate fungentes Iudices, & personas sub excommunicationis sententia, per contrauenientes eò ipso incurrendâ, vllo vmquam tempore cognosci, iudicari, & decidi debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, cognoscendi, decidendi, & interpretandi facultate. Nec non irritum, & inane, quicquid secus super præmissis, seu eorum aliquo, à quoquam, quauis auctoritate, etiam per Nos, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ac statuimus, & ordinamus.

§. 15. Et nihilominus vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, eorumque Vicarijs, & Officialibus, & alijs quibusuis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac

A Canonicis Cathedralium, etiam Metropolitanarum Ecclesiarum vbilibet existentibus, præsentium tenore mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati fuerint, eisdem Abbreuiatoribus quoad vixerint, & per eos nominatis, necnon eorum familiaribus, Vicarijs, Officialibus, ac Clericis subditis huiusmodi, & eorum singulis in præmissis quotiens per eos, seu pro eorum parte fuerint quomodolibet requisiti, efficacis defensionis præsidio assistentes, non

B permittant, eos contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, aut perturbari. Ac quibus eis videbitur etiam sub censuris, & pœnis quibusuis inhibeant, & citandos citent, ac causas super contentis præsidentibus pro tempore occurrentes cum suis annexis, connexis, dependentijs, incidentijs, & emergentijs audiant, decidant, & fine debito terminent, & exequantur, facientes, quod decreuerint firmiter obseruari. Contradictores quoslibet, quos etiam si dignitate, & excellentiâ præmissis præful-

C geant, ac fungantur, excommunicationis sententiam eo ipso incurrisse decernimus, etiam per declarationem incursûs huiusmodi, & aliarum sententiarum, & pœnarum, ac alia iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, inuocato etiam ad hoc quotiens, & quando eis videbitur auxilio brachij secularis. Et nihilominus legitimis super eis habendis seruatis processibus contra illos, quos censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse eis constiterit eas totiens, quotiens opus fuerit, iteratis iuribus aggrauare procu-

D rent. Cæterùm si per summariam super ijs per eos habendam informationem eis constiterit, quòd ad loca, in quibus contradictores, molestatores, perturbatores, seu inquietatores huiusmodi existunt pro monitionibus de ipsis faciendis tutus non pateat accessus, vel eorum copia commode haberi non possit. Nos eis citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis publicis affigenda, & in partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quòd ad eorundem citatorum, & monitorum notitiam peruenire valeat faciendi plenam, & liberam conce-

cedi-

cedimus facultatem. Ac volumus, & decernimus, quòd citationes, & monitiones huiusmodi perinde ipsos monitos, & citatos arctent, ac si eis personaliter insinuatæ, & intimatæ fuissent.

§. 16. Et quia difficile foret præsentes, & illarum vigore conficiendas literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret deferre, etiam volumus, & decernimus, quòd ipsarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ munitis in iudicio, & alibi vbicumque opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem originalibus literis si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 17. Non obstantibus de certo Notariorum numero, etiamsi ad eum deuentum non sit, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac quibusuis Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam circa priuilegia, prærogatiuas, & antelationes editis, & etiam per Successores nostros huiusmodi edendis, necnon piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui illa præsertim, quâ cauetur ne quis extra suam Ciuitatem & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices a Sede deputati prædictâ, extra Ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac Innocentij Quarti Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum contra exemptos, quæ incipit: Volentes, & quibusuis alijs Apostolicis, necnon tam in Prouincialibus, quàm Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac legibus Imperialibus, & municipalibus, statutisque, & consuetudinibus quarumcumque Ciuitatum, & locorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Monasteriorum, Hospitalium, Militiarum, & aliorum locorum Ecclesiasticorum, & piorum, corumque Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel A quâuis firmitate aliâ roboratis, necnon priuilegijs, indultis, & literis Apostolicis, ac quibuscumque prærogatiuis, antelationibus, facultatibus, aut descriptionibus, & gratijs à Sede prædicta in quorumcumque commodum, ac motu, scientiâ, & potestate similibus, & quibusuis alijs etiam totiens, quotiens restitutorijs, reintegratorijs, declaratorijs, derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis, ac cum plena facultate illas latissimè extendendi clausulis, irritantibusque decre- B tis, ac per viam legis, ordinationis, ac statuti perpetui, ac pacti, & stipulati, etiam vt præfertur, contractus, alijsque etiam longè efficacioribus vijs, modis, ac verborum formis, & clausulis quomodolibet, & ex quibusuis etiam fidei Catholicæ, ad magis, & quantumcumque pijs, vrgentissimis, & efficacissimis causis emanatis, & in futurum emanandis quomodolibet, quibus etiamsi in nullis caueatur expressè, quòd illis nullatenus etiam consistorialiter, vel aliàs in aliquo derogari possit, ac pro illorum sufficienti de- C rogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, necnon certis nominibus, cognominibus, & alijs indiuidua, ac de verbo ad verbum, & litera ad literam nullis signis, aut characteribus, vel alijs omissis mentio, & expressio habenda, aut exquisita, & specialis forma seruanda, & insertio facienda foret tenores, ac omnia, quæ exprimenda essent huiusmodi præsentibus pro sufficienter, ac de verbo ad verbum, & eisdem modis, quibus exprimenda, & inserenda forent expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis D aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expressè derogamus, & quæ ex ea parte, quâ ipsis Abbreuiatoribus, præsentibus, & futuris, aut alicui eorum in præmissis, vel aliquo ex eis præiudicent, aut præiudicarent, seu aliquando in futurum quoque modo præiudicare possent, vel videantur, omnino reuocamus, cassamus, & annullamus, ac viribus vacuamus, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac quotiens aliquid præmissis in aliquo obijciens, aut contrarium pro tempore emanare, apparere, aut reperiri contigerit, totiens absque signatu-

ra

ra aliâ, desuper obtinendâ, sub præsentium, vel alterius, quâ eisdem Abbreuiatoribus placuerit datâ, literas Apostolicas, in quibus eisdem contrarijs, & obstantibus latissimè derogetur, & quicquid præmissis in nullo obstent faciendum fuerit etiam per omnes, & singulos, ad quos id quomodolibet spectat, & spectare poterit, fiat ad simplicem eorundem Abbreuiatorum, & eorum cuiuslibet instantiam, & libitum confici, ac totaliter expediri posse, atque debere declaramus, ac omnibus illis, quæ in singulis Scriptorum prædictorum fauorem, vel commodum concernentibus pro tempore literis expressum est, & pro tempore fuerit, non obstare contrarijs quibuscumque. Aut si omnibus, & singulis prædictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium trahi, seu contra eos modo aliquo procedi non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & literis Apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum sit in nostris literis mentio specialis.

§. 18. Volumus autem, quòd vigore vnius gratiæ, expectatiuæ, illiusque mutationis, collationis, reualidationis, & extensionis vltra vnum Beneficium reseruatum obtinere non possit. Quodque nominandi per Scriptores, vel Abbreuiatores huiusmodi in assecutione Beneficiorum eisdem Abbreuiatoribus postponatur.

§. 19. Et quòd quilibet ex Abbreuiatoribus prædictis ensem, & alia arma per Nobiles, & Milites deferri solita, etiam per Vrbem liberè deferre, & tres per eum eligendas personas Nobilitatis, & Militari titulo decorare, ac Nobiles, & Milites aureatos creare, & facere, eisque insignia, & arma in similibus dari solita dare, atque concedere, ac eos numero, & consortio aliorum Nobilium, & Militum aureatorum fauorabiliter aggregare, omniaque alia, & singula in similibus fieri solita, & opportuna racere, liberè, & licitè possit, & valeat &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, Decimo septimo Kal. Augusti, Pontif. nostri Anno Tertio.

Animaduertendum est §. 9. supracitatæ Constitutionis, à Laërtio Cherubino adnotatum fuisse exemptionem à quorumcumque Ordinariorum iurisdictione, & superioritate per hanc Constitutionem concessam, limitatam fuisse à Concilio Trident. sess. 24. cap. 11. de reformat. idemque dixisse Choellium in sua notitia Cardin. cap. 22. vbi agit de Abbreuiatoribus vtriusque Parci.

Censeo propterea sub huiusmodi verborum generalitate Abbreuiatores omnes comprehensos minimè esse, sed tantùm duodecim Collegij nostri de Parco Maiori exemptos esse, quia sumus verè familiares Pontificis, ac vti tales non possumus esse subiecti alteri iurisdictioni, cùm regula Iuris sit; *vbi maior, minor cessat*; nec nobis obijci valet, quòd simus familiares ex priuilegio; quoniam veri familiares sumus mente, & dente, & ipsius Pontificis à secretis, cùm eiusdem literas concinnemus, & expediamus, & in Aula Paramentorum, in Signaturæ Iustitiæ Votantium defectu, sacras vestes porrigamus Cardinalibus, qui eisdem Pontificem induunt. In Cappellis verò Pontificijs, alijsque functionibus Ecclesiasticis, Acolytorum suppressorum officium adimpleamus, quare cùm familiaritatem exerceamus actu, panemque quotidianum à Palatio Apostolico percipiamus, propterea nullo modo negari potest, nos verè Pontificis familiares existere, & si verè sumus, oritur proinde à quocumque Ordinario exemptio, quæ erat demonstranda contra supracitatorum Auctorum assertionem. Sed de his satis; modò aliorum Priuilegiorum huic nostro Collegio concessorum narrationem prosequimur.

Paulus V. piæ semper mem. qui ex Abbreuiatorum gremio fuit, Collegij minimè immemor, sequentia eidem priuilegia elargitus est, vt ex infra notanda Constitutione, quæ in Bullario in ordine est *la* 2. & sic se habet.

PAVLVS

PAVLVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta, libenter intendit, vt personis, quæ plus laboris, & obsequij, in eiusdem Pontificis, & Apostolicæ Sedis honorem, ac vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem iugiter perferre, & impendere non desistunt, amplioribus etiam gratijs, & honoribus, ac dignitatum prærogatiuis decorentur.

§. 1. Quapropter dilectos filios literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, qui in concessionibus gratiarum, quas pro tempore ab eiusdem Pontificis benignitate emanare contigit, interpretandis, dilucidandisque egregias operas, quod Nos, etiam minoribus constituti, dum Abbreuiatoris earumdem literarum munere fungeremur, plurium annorum experimento cognouimus, sollicitis studijs nauare noscuntur, vt quò specialibus fauoribus, & gratijs se nouerint prosecutos, eò alacriores ad similia, & indies maiora, pro nostro, & Sedis prædictæ incremento perferenda reddantur, condignis honoribus confouere, beneuolentiæque nostræ perpetuum testimonium eis præbere volentes, eosdemque Abbreuiatores, ac eorum singulares personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel causâ latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon omnium, & singulorum Priuilegiorum, exemptionum indultorum, & gratiarum, tam Abbreuiatoribus, quàm vtriusque Signaturæ Romani Pontificis Referendariorum Collegijs quomodolibet concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes.

§. 2. Motu proprio, non ad ipsorum Abbreuiatorum, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis Nobis desuper oblatę petitionis instantiam, sed de nostris merâ liA beralitate, certâque scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eosdem Abbreuiatores modernos, videlicet ex nunc, si nondum sint, futuros verò, si ante eorum ad officium Abbreuiatoriæ literarum huiusmodi receptionem, & admissionem non erunt, in nostra & pro tempore existentis Romani Pontificis vtrâque Signaturâ Referendarij, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, cùm primum ad officium Abbreuiatoriæ huiusmodi recepti, atque admissi fuerint, & quo ad Signaturam Iustitiæ solitum in illius Præfecti pro tempore B existentis manibus præuio examine iuxta formam Constitutionis à fel. record. Sixto Papâ V. Prædecessore nostro, super reformatione Referedariorum vltimo editæ faciendo, iuramentum præstiterint in vtriusque Signaturæ huiusmodi Referendarios, quoad vixerint, etiamsi Abbreuiatores esse desierint, dummodo in officio Abbreuiatoriæ huiusmodi saltem per triennium se exercuerint, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium creamus, constituimus, & deputamus, ac dilectorum filiorum aliorum vtriusque Signaturæ huius- C modi Referendariorum numero, & consortio fauorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis, & non fictis vtriusque Signaturæ Referendarijs haberi, & reputari volumus, & mandamus.

§. 3. Ac eisdem Abbreuiatoribus, vt omnibus priuilegijs, exemptionibus, & immunitatibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus, honoribus, fauoribus, indultis, facultatibus, concessionibus, & gratijs tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus cæteri Referendarij vtriusque Signaturæ huiusmodi de iure, D statuto, consuetudine, seu aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti potiri, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, tam in iudicio, quàm extra, vbicumque locorum absque alia prorsus differentia, non ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa ipsis Abbreuiatoribus, nunc & pro tempore existentibus, eorumque Collegio, & personis specialiter, & expresè per præsentes literas concessa fuissent, vti, frui, potiri, & gaudere.

§.4. Quòd-

§. 4. Quòdque vnus ex Abbreuiatoribus prædictis, qui in receptione, & admiſſione huiuſmodi antiquior fuerit, ſeu, eo abſente, vel impedito, alius ex eiſdem Abbreuiatoribus, ad id ab eorum Collegio huiuſmodi, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ Regente, pro tempore deputandus, ſingulis noſtris, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Signaturis, nomine huiuſmodi Abbreuiatorum, continuò interuenire, & aſſiſtere poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus.

§. 5. Præterea ſingulis Abbreuiatoribus prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus vnam portionem panis, ex Palatio Apoſtolico dietim habendam, percipiendam, & conſequendam, quæ æqualis, & prorſus conformis exiſtat ei, quam dilecti filij cauſarum dicti Palatij Auditores, ex eodem Palatio habere, & percipere conſueuerunt, ſimiliter perpetuò aſſignamus, & concedimus.

§. 6. Decernentes præſentes literas ſemper validas, & efficaces eſſe, & fore, neque eoſdem Abbreuiatores, tam præſentes, quàm futuros, nec quemquam alium eorum nominibus ad illas in Camera Apoſtolica, iuxta Conſtitutionem piæ mem. Pij Papæ IV. etiam Prædeceſſoris noſtri ſub Dat. videlicet octauo Kal. Auguſti Pontificatus ſui anno ſexto editam, qua inter alia cauetur, quòd quæcumque gratiæ eiuſdem Cameræ intereſſe quomodolibet concernentes, in ipſaCamera, infra certum, tunc expreſſum tempus præſentari, inſinuari, & regiſtrari debeant, alioquin nullius roboris, vel momenti exiſtant, præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum minimè teneri, nec ad id vllâ vmquam ratione, vel neceſſitate cogi poſſe, neque propterea eaſdem præſentes viribus carere, ſed Abbreuiatoribus prædictis, eorumque ſingulis in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi iuxta Conſtitutionem Pij Prædeceſſoris huiuſmodi præſentatæ, inſinuatæ, & regiſtratæ, omniaque alia, ad id neceſſaria, plenè adimpleta fuiſſent ſuffragari.

§. 7. Sicque per noſtros S. R. E. Vicecancellarium, & Camerarium, nec non vtriuſque Signaturæ huiuſmodi, ac etiam noſtræ, & pro tempore exiſtentis Romani A Pontificis Domus Præfectos, dictæque Cameræ Theſaurarium, Clericos, Præſidentes, Commiſſarium generalem, dilectos filios, alioſque Miniſtros pro tempore exiſtentes, necnon quoſcumque Iudices, Commiſſarios, & Delegatos quâuis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij, & generales Cameræ huiuſmodi Auditores, necnon eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, quicB quid ſecus ſuper his à quoquam, quâuis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ Camerario, Theſaurario, Clericis, Præſidentibus, & Commiſſario prædictis, eorumque ſingulis, quatenus eaſdem præſentes, ſi deſuper requiſiti fuerint, in dicta Camera admittant, & in illius libris deſcribi, & regiſtrari, ac debitæ executioni demandari, patenteſque literas, & ſcripturas, ac mandata opportuna deſuper expediri. Non permittentes ipC ſos, vel eorum quempiam deſuper, per quoſcumque contra eorundem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, impediri, aut inquietari. Nec non tam illis, quàm Vicecancellario, Camerario, Præfectis, & Auditoribus prædictis, vt ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem Abbreuiatoribus in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant, præſentes literas huiuſmodi, ac in eis contenta quæcumque ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ac pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ipſoſD que Abbreuiatores illis omnibus, & ſingulis, eorumque vſu, & commodo pacificè frui, & gaudere. Contradictores, & rebelles quoslibet per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, auctoritate noſtrâ prædictâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, eaſdem ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio.

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, ac Pij, & Sixti Prædeceſſorum huiuſmodi, necnon

necnon, quatenus opus sit, de rebus Ecclesiæ non alienandis, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ Vrbis, & Palatij prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, vsibus, decretis, & reformationibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Officialibus, & Ministris, cæterisque personis, ius, & interesse in præmissis, vel circa ea, aut eorum aliqua, nunc, & pro tempore quomodolibet habentibus, & prætendentibus, per prædictos, & quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, Sedemque, & Cameram prædictas, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam vim contractus ritè, & legitimè stipulati habentibus, seu inducentibus, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ, & obseruatâ inserti forent; præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat, harum serie specialiter, & exprefsè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 10. Volumus autem, quòd earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo prædicti Vicecancellarij, seu Regentis, aut alterius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Romanæ Curiæ Prælati munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quàm extra, vbique adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c. si quis autem hoc attentare &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Sexcentesimo quinto. Kal. Iulij Pontificatus nostri Anno Primo.

Cùm nostrum Collegium, Clarissimorum Virorum Seminarium verè appellari valeat, vt infra ex apponendis Catalogis demonstrabimus, ideo ab ipsis, ad maiores dignitates euectis, varijs priuilegijs locupletatum fuit, vt supra ostendimus, & infra etiam ostendemus. Sanctiss. igitur mem. Vrbanus VIII. qui itidem Collega fuit, ad Pontificatus apicem assumptus, Collegij non immemor, gratum erga illud animum exhibuit, infrascripta eidem impartiendo Priuilegia, videlicet:

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

CONsueuit Romanus Pontifex in supremo Apostolicæ dignitatis solio, ex præpotentis Dei, cuius vices in inferiori hoc Orbe gerit, prouidentiâ constitutus, studium paternæ beneuolentiæ suæ in personas, quæ continua obsequia, & labores in eiusdem Pontificis honorem, & Apostolicæ Sedis vtilitatem perferre, & impendere non desistunt, peculiari affectu, & curâ conuertere, ac prout eorum merita, & commissa sibi eiusdem Sedis officia promereri videntur, easdem condignis amplioris fauoris, & gratiæ titulis, ex Apostolicæ liberalitatis munificentia decorare.

§. 1. Cùm itaque dilecti filij literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, in quorum numero Nos, olim in minoribus constituti, adscripti fuimus in literis gratiarum à Romano Pontifice concessarum dirigendis, atque formandis, ne dum vtilem, sed etiam necessariam operam assiduis laboribus præ-

stare noscantur; Nos Collegium Abbreuiatorum huiusmodi, vt ipsi, ac pro tempore existentes literarum earundem Abbreuiatores, aliquod nostræ in eos eorumque Collegium gratitudinis, & beneuolentiæ monumentum reportasse lætari possint, ac in posterum in expeditione literarum huiusmodi studiosiùs inuigilent, specialis gratiæ fauore prosequi volentes, ac dilectos filios Magistros Marianum Petrum Vecchiarellum, Marcum Antonium Bartholum, Martium Ginnettum, Cyriacum Roccium, Ioannem Nicolaum Canarium, Ioannem de Angelis, Ascanium Riualdum, Ioannem Baptistam Gauottum, Curtium Ferruccium Ferrum, Benedictum Curtum, & Mutium de Rosis modernos dd. literarum Abbreuiatores, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon omnium, & singulorum priuilegiorum, exemptionum, indultorum, & gratiarum, d. Collegio quomodolibet concessorum, tenores pro expressis habentes, Motu proprio, non ad ipsorum modernorum Abbreuiatorum, vel alicuius alterius pro eis, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac certâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Abbreuiatoribus nunc, & pro tempore existentibus, vt ipsi, ac eorum singuli pensiones annuas, Apostolicâ eis auctoritate, super quibusuis fructibus Ecclesiasticis reseruatas, & pro tempore reseruandas, vsque ad summam centum ducatorum auri de Camera, in fauorem vnius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum, seù Clericorum, & aliorum pensionum huiusmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, & Testibus, ac aliorum Prælatorum, seu personarum, in dignitate Ecclesiastica constitutarum, dummodo tempore eorum obitus, officia Abbreuiatorum dictarum literarum adhuc obtinuerint, transferre.

§. 2. Necnon in Oratorijs, seu Cappellis in eorum ædibus benè, & decenter A constitutis, ac rebus omnibus, ad Missæ Sacrificium requisitis, instructis, Missam per se ipsos si Presbyteri fuerint, celebrare, sin autem, per alium quĕcumque Presbyterum secularem, vel cuiusuis Ordinis regularem, ab Ordinario approbandum, quandiu tamen officia huiusmodi obtinuerint, non autem illis dimissis, celebrari facere.

§. 3. Necnon dimissis officijs, habitum Prælatorum Romanæ Curiæ, coloris violacei, perinde ac si sua Abbreuiatorum huiusmodi officia adhuc retinerent, quan- B diu vixerint, dummodo tamen per decennium officia prædicta obtinuerint, etiamsi illa elapso d. decennio dimiserint, & non aliàs, deferre liberè, & licitè valeant, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu notari, seù impugnari, aut alterius quomodolibet infringi, vel retractari, aut etiam reuocari, suspendi, restringi, limitari, aut eis in aliquo de- C rogari, nullatenus vnquam posse, sed illas semper perpetuò validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari debere, nec etiam sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, derogationibus, & alijs contrarijs cum dispositionibus, etiam desuper in genere, vel in specie pro tempore quomodolibet, & d. Apostolicâ auctoritate factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, re- D positas, & plenariè reintegratas, ac etiam de nouo sub quacunque posteriori Data, pro tempore existentes earundem literarum Abbreuiatores, & pro tempore eligendos concessas fore, & censeri, ac eis etiam suffragari debere; sicque ab omnibus, & singulis censeri, & ita per quoscumque Iudices, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac R. E. Cardinales, & de latere Legatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quâuis aucto-

auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quocirca dilectis filijs eiuſdem S. R. E. Vicecancellario, & Camerario, ac Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, Abbreuiatoribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant coniunctim, vel ſeparatim, auctoritate noſtrâ, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari. Ipſoſque Abbreuiatores, nunc, & pro tempore exiſtentes, illis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere non permittentes, ipſos, vel eorum quempiam deſuper per quoſcumque, contra earundem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque, ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, eaſdem ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo tertio: Tertiodecimo Kal. Aprilis Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mnemoſynon infraſcriptum Eminen-A tiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Palutius Cardinalis de Alterijs, qui & ipſe Abbreuiator extitit, noſtro Collegio relinquere voluit, cùm fel. rec. Clemens Papa X. ad Petri ſolium euectus, ipſius Cardinalis operâ in maximis, ac arduis Pontificatus negocijs, ob eius ſummam Iuris peritiam, prudentiam, atque dexteritatem vſus fuerit, propterea infraſcripta priuilegia ab eodem Pontifice impetrauit.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

B CReditæ Nobis diuinitus diſpenſationis ratio poſtulat, vt illos, qui laudabilem in grauibus noſtris, & Apoſtolicæ Sedis miniſterijs operam impendunt, peculiari paternæ charitatis affectu proſequentes, gratias, & priuilegia eis in præmium laborum ſuorum à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris prudenti liberalitate conceſsâ, vberiori benignitate ampliemus, ſicut eorum meritis conuenire arbitramur.

§. 1. Dudum ſiquidem felic. recordat. C Vrbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter tunc, & pro tempore exiſtentibus Abbreuiatoribus literarum Apoſtolicarum Maioris Præſidentiæ in Cancellaria Apoſtolica perpetuò conceſſit, & indulſit, vt ipſi, & eorum ſinguli penſiones annuas Apoſtolicâ auctoritate eis ſuper quibuſuis fructibus Eccleſiaſticis reſeruatas, & pro tempore reſeruandas, vſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera, ad fauorem vnius, ſeu plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, ſeu Clericorum, ac aliàs penſionum huiuſmodi capacium, etiam D in mortis articulo coram Notario, & teſtibus, ac cum alicuius Prælati, ſeu perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, interuentu, dummodo tempore eorum obitus officia Abbreuiatorum dictarum literarum adhuc obtinerent, transferre, nec non in Oratorijs, ſeu Cappellis in eorum ædibus benè, ac decenter conſtructis, ac rebus omnibus ad Miſſæ Sacrificium requiſitis inſtructis, & ab omnibus domeſticis vſibus liberis, Miſſam per ſe ipſos celebrare, ſeu per alium quemcumque Presbyterum ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis Regularem, ab Ordina-

rio approbandum, quamdiu tamen offi- A
cia huiusmodi obtinerent, non autem il-
lis dimissis celebrari facere, nec non di-
missis officijs huiusmodi habitum Præla-
torum Romanæ Curiæ coloris violacei
perinde, ac si sua Abbreuiatorum officia
adhuc retinerent, quandiu viuerent, dum-
modo tamen per decennium officia huius-
modi obtinuissent, etiamsi elapso decen-
nio dimisissent, & non aliter deferre libe-
rè, & licitè valerent, & aliàs, prout in
ipsius Vrbani Prædecessoris litteris, sub
plumbo, desuper Anno Incarnationis Do-
minicæ 1623. tertio decimo Kal. Aprilis B
expeditis literis quarum tenorem præsen-
tibus pro plenè, & sufficienter expresso,
ac de verbo ad verbum inserto, haberi vo-
lumus, vberiùs continetur.

§. 2. Nunc autem Nos ad præclara
dilectorum filiorum modernorum Abbre-
uiatorum literarum Apostolicarum Maio-
ris Præsidentiæ huiusmodi merita pater-
næ dirigentes considerationis intuitum,
ac benignè perpendentes, quantum ex eo-
rum Collegio Romanæ Curiæ decoris,
quantumue ex sedulo illorum labore Ec-
clesiæ Catholicæ proueniat vtilitatis, eos- C
que proindè, ac illorum Successores, vt
eò alacriùs fidem, operam, industriam,
atque sedulitatem in huius Sanctæ Sedis
obsequium adhibere studeant, amplioris
fauore gratiæ prosequi volentes, & ipso-
rum modernorum Abbreuiatorum singu-
lares personas à quibusuis excommunica-
tionis, suspensionis, & interdicti, alijsque
Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœ-
nis à Iure, vel ab homine quâuis occasio-
ne, vel causâ latis, si quibus quomodo-
libet innodatæ existunt, ad effectum præ-
sentium dumtaxat consequendum, ha- D
rum serie absoluentes, & absolutas fore
censentes. Motu proprio, ac ex certa
scientia, & merâ liberalitate nostris, de-
que Apostolicæ potestatis plenitudine præ-
dictis modernis, & pro tempore existen-
tibus literarum Apostolicarum Abbreuia-
toribus Maioris Præsidentiæ in Cancella-
ria supradicta, vt ipsi dimissis Abbreuia-
torum huiusmodi officijs, dummodo ta-
men illa per quinquennium exercuisse,
seu obtinuisse reperiantur, facultate trans-
ferendi pensiones annuas, vsque ad sum-
mam centum ducatorum auri de Came-
ra, ac licentiâ celebrandi, seu celebrari
faciendi Missas in priuatis eorum Orato-
rijs, seu Cappellis à memorato Vrbano
Prædecessore per suas literas prædictas,
vt præfertur, concessis vti, frui, & gau-
dere, nec non habitum Prælatitium viola-
cei coloris huiusmodi deferre, & gestare
liberè pariter, & licitè possint, & valeant
in omnibus, & per omnia, perindè, ac si
eorum Officia Abbreuiatorum huiusmodi
adhuc obtinerent, & vsque ad eorum obi-
tum retinerent, tenore præsentium conce-
dimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes
literas, & in eis contenta quæcumque
nullo vnquam tempore de subreptionis,
obreptionis, aut nullitatis vitio, seu in-
tentionis nostræ, aut interesse habentium
consensu, alioue quolibet etiam quan-
tumuis magno, & substantiali defectu no-
tari, impugnari, retractari, infringi, seu
ad terminos Iuris reduci, aut in contro-
uersiam reuocari, aut aduersùs illas ape-
ritionis oris, restitutionis in integrum,
aliudue quodcumque Iuris, facti, vel gra-
tiæ remedium impetrari, vel intentari,
aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ,
& potestatis plenitudine paribus conces-
so, vel emanato, quempiam in iudicio,
vel extra illud vti, seu se iuuare posse.
Neque ipsas præsentes literas sub qui-
busuis similium, vel dissimilium gratia-
rum reuocationibus, suspensionibus, li-
mitationibus, alijsque contrarijs disposi-
tionibus, etiam per Nos, vel Romanos
Pontifices Successores nostros, & Sedem
prædictam in genere, vel in specie, aut
aliàs quomodolibet, & quandocumque
faciendis comprehendi, vel comprehen-
sas censeri, sed semper ab illis exceptas,
& quoties illæ emanabunt, toties in pri-
stinum, & validissimum statum restitutas,
repositas, & plenariè reintegratas, ac
etiam de nouo, sub quacumque posteriori
Data per eos, ad quos pro tempore spe-
ctabit eligenda concessas intelligi, firmas-
que, validas, & efficaces existere, & fo-
re, ac illis, ad quos spectat, & pro tem-
pore, quandocumque spectabit in om-
nibus, & per omnia plenissimè suffra-
gari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis
per quoscumque Iudices ordinarios, &
dele-

delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosue quoslibet, quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his, à quoquam quâuis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quocirca dilectis filijs nostris eiusdem S.R.E. Vicecancellario, ac Camerario, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictorum Abbreuiatorum, seu alicuius eorum, vel aliorum, interesse in præmissis pro tempore habentium, desuper fuerint requisiti, solenniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostrâ, ipsas præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, ipsosque modernos, & pro tempore existentes Abbreuiatores, & alios, quos easdem literæ concernent; in futurum præsentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacificè, frui, & gaudere, non permittentes illos, seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

§. 6. Non obstantibus, quòd ea, quæ præsentibus aduersantur supradictis Vrbani Prædecessoris literis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1670. Pontificatus nostri Anno Primo.

At hìc rei opportunitas poscit, vt ea, quæ in §. 3. supra relatæ Constitutionis Pauli V. De Gratijs, & Priuilegijs nostro Collegio ad instar vtriusque Signaturæ Referendariorum concessis, indicata sunt, in medium proferantur, ideo ante oculos illa breuiter pono, vt exinde nostri Collegij dignitas non solùm appareat; verum etiam magis, magisque effulgeat.

Sanctissimæ igitur mem. Paulus Papa III. peculiari suâ Constitutione, quæ incipit *Debita consideratione pensantes*, ac in Bullario est in ordine la 23. diuersa priuilegia, & gratias Prælatis Referendarijs vtriusque Signaturæ Romani Pontificis concessit, scilicet.

In §. 1. & 2. Referendarios, qui Præsules non erant, in suos, & Sedis Apostolicæ Notarios gratiosè recepit, eosque, & alios, qui Præsules erant, ac eorum singulos, in Sacri Palatij, & Aulæ Lateranensis Comites, nec non, qui Nobiles non erant, Nobiles fecit, & in signum honoris, & Nobilitatis huiusmodi, eis, & eorum cuilibet Concessit, vt pro insignibus, ipsis, & ab eis descendentibus Pontificijs armis vti liceret.

In §. 3. 4. 5. Pariter concessit facultatem creandi Notarios, legitimandi Nothos, ac doctorandi: quæ gratiæ postmodum per Beatæ mem. Pium V. abrogatæ fuerunt.

In §. 6. Vt illi Referendarj, qui Monasteria in Commendam obtinebant, ac ipsorum Monasteriorum Abbates, qui ex Priuilegio Apostolico, vel aliàs, Mitrâ, & alijs Pontificalibus insignijs vti consueuerant, etiam si ipsi Referendarij, tantùm Commendatarij essent, eisdem Pontificalibus insignijs in ipsis Monasterijs vti possent, nec non solennem benedictionem post Missarum, aliorumque Diuinorum Officiorum solennia elargiri valerent.

In §. 7. Concessit etiam, vt ipsi Referendarij, & eorum duo familiares, Apostolicas,

cas, & alias expeditiones gratis obtinerent. A

In §.8. Vt vini gabellam Riparum Vrbis pro sex vegetibus non soluerent.

In §.9. Exemit tam ipsos, quàm eorum familiares, ac Beneficia ab Ordinariorum iurisdictione.

In §.10. Vt gratias expectatiuas,& plura beneficia consequi possent, similiter concessit: quam concessionem Beatus Pius V. abrogauit.

In §.11. Vt in quibuscumque Prouincijs Beneficia retinere possent, ac si in illis nati essent, indulsit. B

In §.12. Vt absentes Pontificis iussu,aut studij occasione, fructus Beneficiorum percipere valerent.

In §.13. Vt ad residentiam ratione Beneficiorum non tenerentur: quæ gratia per Pium IV. fuit abrogata.

In §.14. Vt Confessorem sibi eligerent, qui in casibus,in eadem Constitutione expressis, nonnulla vota commutare valeret.

In §. 15. Facultatem concessit habendi Altare portatile, & celebrandi in locis, Interdicto suppositis. C

In §.16. Vt Indulgentias Stationum Vrbis consequerentur, visitando Altaria per eos eligenda.

In §.17. Vt in Quadragesimalibus, & alijs temporibus, quibus esus carnium, ouorum, casei, & lacticiniorum de iure, vel consuetudine est prohibitus, eisdem ouis, caseo, butyro, & alijs lacticinijs, ac de vtriusque Medici consilio carnibus, absque conscientiæ,& scrupulo vesci possent.

In § 18. Vt horas canonicas, postpositis horis,recitare possent. D

In §.19. Quòd testari valerent de bonis acquisitis ex Beneficijs, prout Auditores Rotæ.

In §.20. Resignandi, & permutandi Beneficia facultatem pariter concessit.

Hæc breuiter sint dicta, cùm latiùs in eadem Constitutione videri possint.

CAP. XVI.

De Abbreuiatorum Statutis, atque Decretis.

V M lex sit recti præceptio, prauique depulsio, secundùm Cic. lib. 2. de nat. Deor. seu (vt Diuus Thomas 1.2. qu. 90. artic. 1. eam definit) regula, & mensura actuum agendorum, vel omittendorum; ideo Sapientissimi Patres, scilicet antiqui Abbreuiatores, quasdam leges, pro rerum varietate occurrentes, secundùm dictamen rationis practicæ, sanciuerunt, vt per eas tam ipsi, quàm posteri, quid agendum scirent, & quid prohibendum non ignorarent. Quas autem leges fecerint, quoue tempore ipsæ editæ fuerint,ex infra referendis habebis illasque prout iacent ex Autographis scripturis transcripsimus, videlicet.

Initium Sancti Euangelij secundùm Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.

Se-

Sequentia Sancti Euangelij secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Vndecim autem Discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus loquutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem seculi. Deo gratias.

Sequentia Sancti Euangelij secundùm Marcum.

IN illo tempore Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde, & introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ: & obstupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum. Surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerunt eum sed ite, dicite discipulis eius, & Petro quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Deo gratias.

Sequentia Sancti Euangelij secundùm Lucam.

IN illo tempore: Pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbũ, quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph & Infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum est illis de puero hoc. Et omnes, qui audierant, mirati sunt: & de ijs, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat A omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant sicut dictum est ad illos. Deo gratias.

Iuramentum Reuerendissimorum DD. Abbreuiatorum.

Ego N. Maioris Præsidentiæ Abbreuiator promitto & iuro, quòd Constitutiones, ordinationes, decreta, & statuta Collegij Reuerendissimorum DD. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorum hactenus edita, & pro tempore edenda, obseruabo. Iura, B honores, priuilegia ipsius Collegij, pro viribus defendere, & tueri conabor. Secreta, quæ ratione dicti Collegij mihi fuerint credita, in præiudicium ipsius Collegij scienter nemini pandam. Literas Apostolicas, siue earum Minutas, quæ per me, aut aliquem ex Dominis meis Abbreuiatoribus, seu meum, vel eorum Substitutum, iuxta ipsius Collegij Statuta qualificatum, confectæ; & per me, seu eosdem duos Abbreuiatores recognitæ, & subscriptæ non fuerint, ac mihi, vel DD. Abbre- C uiatoribus præfatis de emolumentis, ratione dictarum Minutarum, solui solitis: super quibus cum meo, vel alio Substituto, aut quâcumque aliâ personâ, minimè paciscar; satisfactum fuerit minimè iudicabo, neque iudicari curabo. Et si aliquis ex Substitutis aliorum Dominorum Abbreuiatorum, ab eorum seruitijs discesserit, ad mea seruitia non conducam, nisi de consensu Domini Abbreuiatoris, à cuius seruitijs discesserit, & tali Substituto ab ipso Collegio approbato. Sic me Deus adiuuet, & hæc D sancta Dei Euangelia.

Cupientes infrascripti RR.PP.DD. literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores rebus eorum Collegij prospicere, ac negocijs pro tempore occurrentibus, aliquam formam præscribere, infrascriptas Constitutiones, & ordinationes per eos, ac pro tempore existentes Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores inuiolabiliter, sub periurij, & alijs pœnis obseruandas, ediderunt.

1. In primis statuerunt, & ordinârunt, quòd pro tempore admittendus ad officium Abbreuiatoriæ de Maiori, teneatur accedere

dere ad domum singulorum DD. Abbreuiatorum, tunc in Vrbe præsentium, ac ab eis humiliter petere, vt illum in eorum Collegium recipere dignentur. Quo acto, in prima sequenti Cancellaria Domini prędicti circa idoneitatem personæ colloquantur, ac postea in Parco, Illustrissimo Vicecancellario, seu Cancellariam Regenti literas concessionis officij præsentabit, & aliquo eleganti sermone, suum desiderium declarabit. Postmodum vltimus DD. Abbreuiatorum ibidem præsentium, easdem literas, altâ voce legat: quibus lectis, mandetur admittendum exire, & inter DD. Abbreuiatores, clauso ostio Cancellariæ, iterum habeatur colloquium, super illius admissione. Et si Domini iudicauerint, quòd sit admittendus, vocetur, ac illi iniungatur, vt in sequenti Cancellaria in habitu Prælatitio redeat. In sequenti Cancellaria præstabit iuramentum in manibus Illustrissimi D. Vicecancellarij, seu Reuerendissimi D.Cancellariam Regentis, & assignato ei Capucio violacei coloris, factâque per eum eidem Viccecancellario, vel Regenti reuerentiâ, omnes Domini Abbreuiatores illum ad osculum recipiant, assigneturque ei, per Custodem Cancellariæ locus in Parco, post vltimum Abbreuiatorem. Quòd si talis admittendus fuerit frater germanus, vel nepos ex fratre, alicuius ex DD. Abbreuiatoribus, tunc existentibus, vel qui iam fuerunt, omnia seruentur vt supra, sed in vna tantùm Cancellaria fiant.

2. Item statuerunt, & ordinârunt, quòd Abbreuiator pro tempore nouiter admissus, in prima Congregatione DD. Abbreuiatorum de Maiori, post eius admissionem faciendam, teneatur præstare iuramentum in manibus Domini Decani, seu antiquioris Abbreuiatoris, ibidem præsentis de obseruandis statutis, ordinationibus, & decretis ab eorum Collegio pro tempore editis. Iniungaturque illi, vt per sex menses à voto decisiuo abstineat, debeatque Decanus, vel alius Abbreuiator, ad id deputatus, annotare in libro decretorum iuramentum præstitum.

3. Item statuerunt, & ordinârunt, quòd pro tempore recipiendi, & admittendi non possint aliquem Mensariatum habere, nisi integer Turnus ipsorum Dominorum Abbreuiatorum, post eius admissionem, completus fuerit. Quòd si Dominus Decanus fuerit Mensarius, Turnus intelligatur integer, ita vt nouiter admissus de illo possit participare suo loco, dummodo in principio mensis, quando illi tangit, Mensariatus adsit, neque alius ex Dominis illum inchoauerit, & per quindecim dies mensis exercuerit dictum Mensariatum, alioquin emolumentum non percipiat.

4. Item statuerunt, & ordinârunt, quòd singulis mensibus, die per Dominum Decanum statuendâ, fiat Congregatio in illius domo, in qua de rebus, ad Collegium spectantibus, tractandum, consulendum, & deliberandum sit, resolutionesque, & decreta, desuper facienda, per vnum ex DD. Abbreuiatoribus, ad id deputandum, in libro, ad id confecto, notentur. In qua Congregatione Dominus Decanus, seu antiquior Dominorum Abbreuiatorum, ibidem præsentium, præsidere debeat, ac singulis DD. Abbreuiatoribus, ibidem præsentibus, soluantur per Mensarium iulij decem, ex massa dispensationum, in tertio extrahendi.

5. Item statuerunt. & ordinârunt, quòd quotiescumque agendum erit de aliqua re, ad ipsum Collegium spectante, vel quæ aliquem ex Dominis Abbreuiatoribus quomodolibet tangat, id secretis suffragijs, semoto ad partem interesse habente, fiat, & quod pro maiori parte Dominorum Abbreuiatorum, ibidem præsentium, resolutum fuerit, omnino seruetur; qui verò ex tali resolutione se grauatum senserit, possit per viam recursus adire Illustrissimum Dominum Viceeancellarium, siue Reuerendissimum Dominum Cancellariam Regentem, vt de grauamine, breui manu, auditis alijs Dominis Abbreuiatoribus, cognoscat.

6. Item statuerunt, & ordinârunt, quòd Domini Abbreuiatores debeant accedere ad Cancellariam, & sedere in Parco cum Capucio violacei coloris, vt moris est, nec in Parco, absque dicto Capucio, aliquo pacto intrare, nec sedere possint, etiamsi propter obitum suorum propinquorum, aut alio habitu lugubri vtantur, sub pœna pro qualibet vice, iuliorum trium, ex sua portione dispensationum, in tertio extrahendorum, & pauperibus statim, per Dominum Mensarium, erogandorum.

Item

7. Item statuerunt, & ordinarunt, A quòd in Vrbe præsentes, non venientes ad Cancellariam per mensem continuum, nisi fuerint infirmi, aut aliquâ aliâ legitimâ causâ, per Reuerendissimum Dominum Regentem declarandâ, impediti, ac etiam abeuntes ab Vrbe, absque licentia, ab ipso Collegio concessâ, vltra tres menses non participent de emolumentis, ad eos prouenientibus, exceptâ tassâ Abbreuiatorum de Minori, neque eorum Minutæ, præter eorum distributiones, ab alijs iudicentur. Si verò licentiam ab ipso Collegio per aliquod tempus obtinuerint, B tempusque ipsum lapsum fuerit, nec etiam supplicationes resignationum eis distribuantur.

8. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd quilibet ex Dominis Abbreuiatoribus habere debeat Substitutum fide, & experientiâ commendatum, in propria ipsius D. Abbreuiatoris domo, proprijs Abbreuiatoris sumptibus, & cum menstruo salario retentum, debeantque omnes Substituti, nunc, & pro tempore existentes, ab eisdem DD. Abbreuiatoribus in eorum congregatione approbari, nec aliquis, C nisi ex approbatis, officium Substituti exercere possit, & si aliquis illorum à seruitijs Abbreuiatoris discesserit, non possit ab alio conduci, nisi de consensu Abbreuiatoris, à cuius seruitijs discesserit, ac habitâ licentiâ, & propriâ approbatione, vt præfertur faciendâ, ac singulis sex mensibus in eadem Congregatione mores, & idoneitas singulorum Substitutorum examinentur, & an aliquis eorum ab officio amouendus sit deliberetur; teneanturque dicti Substituti, postquam approbati fuerint, præstare iuramentum fidelitatis D in manibus Domini Decani in Congregatione eorundem DD. Abbreuiatorum; aliter ab exercitio omnino repellantur.

9. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd si aliquis ex DD. Abbreuiatoribus Substitutum domi retentum habere noluerit, non possit iudicare aliquas Minutas, nisi eius proprias distributiones, quarum, ac etiam distributionum Abbreuiatorum, ab vrbe absentium, Minutæ omnino conficiantur ab aliquo ex Substitutis, à Collegio approbatis, & ab alio confectæ nequaquam iudicari possint.

10. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd DD. Abbreuiatores non possint iudicare aliquas literas Apostolicas, quarum Minutæ, à proprio Substituto confectæ, & per eosdem Dominos Abbreuiatores recognitæ, vel saltem subscriptæ non fuerint, nec super illorum emolumentis aliquam pactionem, vel concordiam cum aliquo facere possint.

11. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd D. Mensarius Cancellariæ, & duo alij DD. Abbreuiatores, vltimo loco pro tempore admissi, teneantur accedere ad Cappellam Sanctissimi, dum illa habetur, & ibidem cum Rocchetto, & Cappâ, seu Cottâ, ad instar Dominorum Auditorum Rotæ, assistere sub pœna iuliorum quinque pro qualibet Cappella. Et quando Sanctissimus solenni pompâ, & vt dicitur pontificaliter equitat, ijdem tres DD. Abbreuiatores, vnà cum tribus alijs DD. Abbreuiatoribus, qui vltimo loco ingressi fuerint, in numero septem antiquiorum teneantur equitare cum vestibus violaceis, & capello supra biretum, sub pœna iuliorum decem pro quolibet, & quâlibet vice, quæ pœnæ extrahantur ex portione dispensationum in tertio deficientem tangente, & inter inibi interessentes, vt præfertur, obligatos diuidantur. Quòd si nullus ex obligatis interfuerit, inter interessentes non obligatos omnino diuidatur, nec aliqua gratia de eis fieri possit. Quòd si nullus fuerit etiam non obligatus, ibidem præsens detrahatur pœna, ex portione obligatorum non interessentium, & de ea arbitrio Collegij disponatur. Possint tamen obligati ad interessendum alium ex dictis Abbreuiatoribus non obligatis, in eorum locum ad id surrogare, & ita huic statuto satisfecisse intelligantur.

12. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd in die Processionis Pontificiæ Sanctissimi Corporis Christi omnes dicti Abbreuiatores teneantur eidem Processioni collegialiter interesse cum Rocchetto, & Cottâ, ac inter ibidem præsentes diuidantur duodecim scuta monetæ, ex massa dispensationum, in tertio per dictum Mensarium, statim, finitâ Processione, persoluenda. Quòd si aliquis ex dictis Abbreuiatoribus ratione alterius maioris, seu dignioris officij, vel dignitatis, non cum

ipsis Abbreuiatoribus, sed in alio ipsius Processionis loco incesserit, pro præsente ab eisdem Abbreuiatoribus omnino habeatur, ita vt de dicto emolumento participare debeat.

13. Item statuerunt, & ordinarunt quòd is, qui ad numerum septem antiquiorum DD. Abbreuiatorum ascenderit in Turno materiarum consistorialium non admittatur, nisi Turnus inceptus, & alius postea sequens completus fuerit, & interim nec de Turno reuisionum, nec de emolumentis Minutarum participet, sed postquam dicti duo Turni completi fuerint, cùm primum ei contigerit reuisio alicuius Minutæ, ex tunc de dictis emolumentis participare incipiat. Et si dum aliquis locus ex septem antiquioribus vacauerit, & qui in ordine prior, iuxta illius antiquitatem, ad numerum septem antiquiorum ascendere debet, ab Vrbe absfuerit non participet, nec Turni currere incipiant, nisi à die, quo ad Cancellariam accesserit.

14. Item statuerunt, & ordinarunt, quòd omnia emolumenta ex confectione Minutarum, super materijs consistorialibus prouenientia, dicto Mensario, ad id ex septem antiquioribus Abbreuiatoribus per Turnum, cum salario trium ducatorum auri, ex eisdem emolumentis extrahendorum, deputato ab eo, qui Minutam confecit, vna cum Minuta consignentur. Idemque Mensarius reuisionem Minutæ, iuxta Turnum cum illius emolumento dicto Abbreuiatori, in Turno existenti consignabit, ac in prima Cancellaria cuiuslibet mensis dictis Abbreuiatoribus, in numero septem antiquiorum existentibus, eadem sic congregata emolumenta æqualiter distribuat, hâc tamen ratione, vt non solùm in primis honorarium suum inde detrahat, sed etiam pro qualibet Minuta, qualiscumque sit, Abbreuiatori, qui eam confecit, qui tamen ex eisdem septem antiquioribus omnino esse debeat, itaque alij quinque moderni Abbreuiatores dictas Minutas conficere, nec sub nomine alicuius, ex septem antiquioribus, expedire, neque de dictis emolumentis aliquo pacto participare possint, ducatum vnum auri ex eisdem trahat, ac residuum æqualiter diuidat. Quòd si illo mense non contigerit expediri aliqua materia, consistorialis expediatur. Ita vt non intelligatur, quòd fuerit Mensarius, nisi occurrerit eo mense emolumentum Minutarum, ex quo eius honorarium extrahi possit.

Iuramentum Substitutorum RR. DD. Abbreuiatorum.

Ego N. Substitutus Reuerendissimi Domini mei N. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoris iuro, quòd officium substitutionis Abbreuiatoriæ mihi commissum bene, & fideliter exercebo, ac in eo pro posse omnem puritatem, sinceritatem, & fidelitatem eidem Reuerendissimo D. meo, cæterisque RR. DD. Abbreuiatoribus in omnibus, quæ ad exercitium officij Abbreuiatoriæ, & Collegium ipsorum RR. DD. Abbreuiatorum spectant, & pertinent seruabo. Bullas super Minutis à me confectis, vel saltem reuisis scriptas, nec alias iudicandas feram, nec præsentabo. Dolum, seù fraudem aliquam circa dictum exercitium non committam, nec committenti consentiam, & si sciam aliquem dolum, vel fraudem commisisse, talem committentem eidem Reuerendissimo D. meo, ac ipsorum RR. DD. Abbreuiatorum Reuerendissimo Decano, quanto citius potero reuelabo. Literas, quæ per Cancellariam, iuxta ipsius Cancellariæ stylum, poterunt expediri, malitiosè non impediam, nec impediri faciam, quin per Cancellariam expediantur. Nihil pro labore, vltra solita regalia, à Partibus, seù ipsarum literarum Sollicitatoribus exigam, nisi aliquid ab eis sponte oblatum fuerit, seu difficultas in conficiendo, vel reuidendo Minutam, aut grauitas materiæ id exegerit, quod arbitrio ipsius Reuerendissimi Domini mei remittatur. Quæ omnia supradicta spondeo atque promitto attendere, & obseruare sine dolo, & fraude. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

15. Vt autem ordinationes, & statuta præinserta firmiùs subsistant, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruentur nos infrascripti Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores humiliter supplicamus Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Alexandro Sancti Laurentij in Damaso Diacono Cardinali de Monte alto nuncupato, Sanctæ Roma-

manæ Ecclesiæ Viceecancellario, Domino nostro Colendissimo, vt dignetur auctoritate sui Vicecancellariatus officij, illa approbare, & confirmare, ac suæ auctoritatis patrocinio communire, ac vt à singulis modernis, & pro tempore existentibus RR. DD. Abbreuiatoribus perpetuò obseruentur, decernere, & mandare.

Ego Hier. Auila approbo, & ita iuro.
Ego Io: A. Scappius approbo, & iuro.
Ego A. Castaneus approbo.
Ego B. Portus approbo, & iuro.
Ego M. Vecchiarellus approbo, & ita iuro.
Ego Io: Besel approbo, & ita iuro.
Ego Hier. Serlupius approbo, & iuro.
Ego Zaffirus Farratinus approbo, & iuro.
Ego M. Antonius Viperescus approbo, & iuro.
Ego Ho: Mattheius approbo, & iuro.
Ego Melchior Crescentius approbo, & iuro.

Nos Alexander, miseratione diuinâ, Sancti Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis de Monte alto nuncupatus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, habitâ super præmissis, ex relatione Nobis factâ per Admodum Reuerendum in Christo Patrem D. Bartholomæum Episcopum Amerin., nostrum in Cancellaria Apostolica Locumtenentem, sufficienti informatione, ac de singulorum statutorum suprascriptorum continentia certiorati, auctoritate nostri Vicecancellariatus officij, ac aliàs omni meliori modo, singula præinserta statuta perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque omnia per singulos RR. DD. modernos, & pro tempore existentes Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, & alios, quos illa concernunt, & concernent in futurum sub pœnis in eis contentis, & alijs arbitrio nostro imponendis, quâcumque contradictione cessante, & omnino postpositâ, perpetuò inuiolabiliter obseruari volumus, & mandamus, ac ita mentis nostræ esse declaramus, & in fide illa in manu nostra subscripsimus. Dat. Romæ in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicę MDLXXXXIII. die verò . . mensis Februarij Pontificatus Sanctissimi in Christo

A Patris, & Domini Nostri Domini Clementis diuinâ prouidentiâ PP. VIII. Anno Tertio.

A. Vicecancellarius.

Iuramentum DD. Substitutorum RR. DD. Abbreuiatorum, vltimo loco decretum.

Ego N. Substitutus Reuerendissimi D. mei N. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoris iuro, quòd officium substitutionis Abuiatoriæ mihi commissum bene, & fideli-
B ter exercebo, ac in eo pro posse omnem puritatem, sinceritatem, & fidelitatem eidem Reuerendissimo D. meo, cæterisque RR. DD. Abbreuiatoribus in omnibus, quæ ad exercitium Abbreuiatoriæ, & Collegium ipsorum RR. DD. Abbreuiatorum spectant, & pertinent, seruabo. Minutas à meipso, seu Amanuensi meo confectas, & postea à me reuisas, & non ab alijs, & manu Reuerendissimi D. mei Prælati, seu aliorum ex eisdem RR. DD. Abbreuiatoribus subscriptas, iuxta formam motus proprij fel. rec. Pauli V. iudicari faciam, ne-
C que illas conficiam, seu conficere faciam à dicto meo Amanuensi absque consueta solutione iuliorum trium pro qualibet Minuta sine vlla quouis prætextu, & titulo donationis, defalcatione, vel sub quouis quæsito colore restitutione, & idem seruabo in confectione Minutarum perpetuarum, & consistorialium, ex quibus emolumenta debita integraliter, vt supra recipiam, & si debitam peritiam, siue notitiam de literis non habuero, Reuerendissimos D. meos consulam, & iuxta illorum iudicium emolumenta recipiam,
D dolum, seu fraudem aliquam circa dictum modum exercendi non committam, nec committenti consentiam, sub pœna suspensionis pro prima vice, & pro secunda vice priuationis meæ substitutionis, & si sciam aliquem dolum, vel fraudem commisisse, talem committentem eisdem Reuerendissimis D. meis, ipsorumque Reuerendissimorum Abbreuiatorum Reuerendissimo Decano quanto citius reuelabo sub eadem pœna, vt supra contenta, exceptis tamen distributionibus de Maiori, vt sunt resignationes, permutationes, cessiones, & concordiæ, dummodo tamen à me fue-

rint reuisæ, & recognitæ, & ab vno ex Socijs meis confectæ. Literas, quæ per Cancellariam, iuxta ipsius stylum, poterunt expediri non impediam, neque impediri faciam, quin per Cancellariam eandem semper, nunquam autem per Cameram expediantur, & illas literas, quæ Reuerendissimo D. meo fuerint distributæ, prout meum concernit officium in sequenti Cancellaria omnino expediam. Nihil pro labore vltra solita regalia à partibus, seu ipsarum literarum Sollicitatoribus exigam, nisi aliquid ab eis sponte oblatum fuerit, seu difficultas in conficiendo, vel reuidendo Minutam, aut grauitas materiæ id exegerit, quod arbitrio ipsorum RR. DD. meorum remittatur. Quæ omnia supradicta spondeo, atque promitto attendere, & obseruare sine dolo, & fraude. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Iuramentum Secretarij, seu Cappellani.

Ego N. electus in Secretarium, Cappellanum denominatum, Collegij Illustrissimorum, & RR. DD. Abbreuiatorum de Maiori, & de Minori Parco iuro, quòd officium Secretariatûs, siue Cappellaniæ, mihi commissum, fideliter exercebo, dolum, vel fraudem aliquam circa ipsum officium non committam, neque committi consentiam, & si sciam dolum, vel fraudem aliquam commisisse, Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Regenti, siue antiquiori ex Illustrissimis Abbreuiatoribus, quanto citiùs potero, reuelabo. Taxationes per fel. rec. Sixtum Papam IV. Collegio concessas diligenter obseruabo; literas, quę expediri debent per Cancellariam, malitiosè non impediam, nec quantum in me fuerit impediri faciam. Scripturas, & libros ipsius Collegij mihi traditas, & tradendas diligenter asseruabo, nec quicquid vltra pro meis laboribus assignatum ab expeditoribus, seù alijs indebitè exigam, secreta, & alia ipsius Collegij, quæ secreta esse cognouero, secretè tenebo, eaque scienter nemini pandam. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Retulimus huc vsque, quæ à RR. Collegis anno Domini 1593. & mense Februarij sancita, ac à bo: mem: Alexandro Cardinali Farnesio S.R.E. Vicecancellario approbata fuere.

Ea igitur, quæ post illud tempus ab alijs Successoribus pro rerum, ac temporum varietate, & vsque ad præsentem diem, fuerunt decreta, etiam huic Capiti duximus adnectenda, vt in Collegio nostro recenter admissi, quæ peragenda, & quæ vitanda sint, non ignorent.

Vtque hæc nostra legentes sinceriùs acquiescant, dicendisque robur accedat, illud hic mihi aperiendum est, nempè, ea quæ inferius addenda sunt, me desumpsisse ex duobus libris; illis scilicet, quorum vnus incipit ab Anno 1606. & annum 1654. non excedit; alter verò habet initium ab anno 1664. & continuat vsque in præsentem diem; reliqui verò libri, tam antecedentes, quàm ab anno 1654. vsque ad annum 1664. desiderantur.

Ea igitur, quæ decreta fuerunt, sic se habent;

Die 28. mensis Septembris 1606. RR. Domini mei Collegæ, videlicet Domini A. Castaneus, M. P. Vecchiarellus, M. A Viperescus, L. Vrsinus Viuarius, V. Robertus, L. Duccius, B. de Segnis, G. Bubalus, M.A. Bartolus, & ego V. Vlpius de mandato SS D.N prout oretenus nobis retulit Reuerendissimus D. Duccius, Reuerendissimum Dominum F. Nicolinum, de officio Abbatis Maioris Præsidentiæ, per resignationem Illustrissimi D. Crescentij A. C. vacañ, ab eodem Sanctissimo prouisum, per Procuratorem admisimus, quoad locum, & massam tantùm, ita vt in exemplum non transeat, & cùm primum ad Vrbem accesserit, de Statutis Collegij obseruandis solitum præstet iuramentum, & reliqua adimplenda adimpleat.

Die 14. Nouembris Reuerendissimi Domini mei A. Castaneus, M.P. Vecchiarellus, L. Vrsinus Viuarius, V. Robertus, H. Vidonus, B. de Segnis, M. A. Bartolus, F. Nicolinus, & ego, Reuerendissimum meum P. Aluarum Archiepiscopum Ragusinum, vigore literarum Illustrissimi, & Reuerendissimi D. mei Cardinalis Montalti, & de mandato Sanctissimi, mihi per Reuerendissimum D. meum Duccium oretenus facto, quòd RR. DD. meis in Parco retuli ad exercitium officij Regentis Cancella-

cellariæ, iuxta earundem literarum tenorem, admisimus.

Tenor verò dd. literarum, quæ à me de mandato RR. DD. publicè lectæ fuerunt, talis est.

Illustrissimo, e Reuerendissimo Signor come Fratello.

Perche fintanto che si risolua, se Monsignor Baldo Farratino hauerà da esercitare l'officio di Regente della Cancellaria, ò vero resignarlo ad' altra persona, è necessario deputare alcuno, che eserciti intanto quell'officio, acciò non habbia da patire detrimento. Io confidato nella solita bontà, & amoreuolezza di V.S. hò pensato di valermi di lei nel medesimo carico di Regentato di Cancellaria, in euento, che ella si compiaccia d'attenderci, come ne la prego, finche si faccia altra resoluzione, e così in virtù della presente le dò ogni facoltà, & autorità per tale effetto necessaria, & à lei di tutto cuore mi raccomando. Di Bagnaia alli 7. di Nouembre *1606*.

Di V.S. Illustrissima, e Reuerendissima
Come Fratello
Il Cardinal Montalto.

A tergo autem. *All'Illustrissimo, e Reuerendissimo Signor*.
Come Fratello
Monsig. Arciuescouo Aluaro. Roma.

1 6 0 8.

Die Iouis nonâ mensis Aprilis Illustrissimus Dominus D. Alexander Cardinalis Montaltus S. R. E. Vicecancellarius adduxit ad Parcum Maius R.P.D. Aloysium Gallum Auximanum, designatum Regentem Cancellariæ Apostolicæ, in locum R. P. D. Baldi Farratini. Primùm itaque lectæ fuerunt, per nouissimum Abbreuiatorem, literæ eiusdem Illustrissimi Domini Vicecancellarij super huiusmodi deputatione in Regentem; deinde solutâ duplici admissione, de mandato eiusdem Illustrissimi Vicecancellarij, sine præiudicio tamen iurium R. P. D. Aloysij, ex quo ipse, aut nullam, aut saltem simplicem admissionem dumtaxat soluere debere prætendebat, præstito ab eo, in manibus Illustrissimi Vicecancellarij, solito iuramento, & accepto ab eodem Vicecancellario Rocchetto RR. PP. DD. Abbreuiatores A M. Vecchiarellus, M. Viperescus, L. Vrsinus Viuarius, L. Duccius, B. de Segnis, G. de Bubalis, M. Bartolus, F. Nicolinus, M. Ginettus, E. Parauicinus, C. Roccius admiserunt præfatum R. P. D. Aloysium ad officium Regentis, quòd hactenus, videlicet à die XIII. mensis Nouembris *1606*. R. P. D. Aluarus Archiepiscopus Ragusin. à R. P. D. Baldo nunquam ad illud admissus fuerat. Postremò Illustrissimo D. Vicecancellario inde discesso idem R. P. D. Aloysius in loco Regentis nobis collocatus fuit, & B residuis Bullis, quas Illustrissimus Vicecancellarius incæperat, extremam manum de more apposuit, firmam spem omnibus præbens, se officium huiusmodi feliciter, ac cum Sedis Apostolicæ, & eiusdem Vicecancellarij, Collegijque nostri, ac aliorum Officialium gloria exerciturum &c.

1 6 0 9.

Die Iouis *16*. Iulij RR. DD. mei Abbreuiatores, videlicet R. P. D. Petrus Vecchiarellus Decanus, L. Vrsinus, V. Robertus, B. de Segnis, G. de Bubalis, M. Bartolus, F. Nicolinus, M. Ginettus, E. C Parauicinus, animaduertentes, nonnullos Sollicitatores sæpè in fine temporis, ad expediendum literas pensionum concessi, reportatâ fide præsentatæ in eisdem literis, ab aliquo ex meis Abbreuiatoribus illarum expeditionem ad multos dies, & menses malitiosè, in graue præiudicium Officialium protrahere. Propterea similibus fraudibus prouidè occurrere cupientes, statuerunt, vt in posterum præsentatâ huiusmodi, in prædictis literis pensionum per R. P. D. meum Regentem dumtaxat apponeretur, Sollicitatoribus verò ab eius D data, decem omnino dies ad totalem similium literarum expeditionem concesserunt &c.

1 6 1 1.

Nuper cùm R. P. D. Petrus Paulus Mignanellus Romanus literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiator, in vim Priuilegij Collegij RR. PP. DD. Abbreuiatorum eiusdem Præsidentiæ, per S. D. nostrum Paulum V. benignè concesso, se ad Signaturam Iustitiæ per Illustrissimum Dominum Cardinalem Barberinum, illius Præfectum, præuio examine, super eius, in proponendis, & referendis suppli-

supplicationibus, & commissionibus, habilitate, iuxta formam Constitutionis fel. recor. Sixti V. in §. qui incipit -- *Porro* -- præscriptam faciendo, admitti petijsset dictus Illustrissimus Cardinalis Præfectus, id præstare recusasset, nisi verificatis, & probatis prius, per testes eiusdem R.P. D. Mignanelli legitimis natalibus, vitæ & morum probitate, alijsque qualitatibus in dicta Constitut. §. *Nec vllus*, designatis; Collegium verò cognitionem qualitatum huiusmodi, ad ipsum Illustrissimum Cardinalem Præfectum, ex dictæ Constitutionis præscripto, non pertinere, neque de eo aliquam mentionem dicti §. *Nec vllus*, fieri, & propterea DD. Abbreuiatores, pro tempore existentes, saluo examine, vt præfertur, faciendo ad probationem, seu verificationem aliarum qualitatum prædictarum, quæ antequam officium Abbreuiatoriæ ipsis concedatur, tam Romano Pontifici, quàm Vicecancellario, pro tempore existentibus, ad quos illorum dispositio respectiuè pertinet, familiari experientia perspecti, seu fide digno testimonio commendati, & comprobati noscuntur, prout ex tenore literarum. super eorundem officiorum concessionibus confectarum, satis apparet nullatenus teneri, vel obligari prætenderent.

Die Iouis quintâ Ianuarij 1612. in Cancellaria Apostolica Reuerendissimus Antonius Gallus Regens, ac RR. PP. DD. videlicet P. M. Vecchiarellus Decanus, M. Viperesichus, L. Vrsinus, G. de Bubalis, M. Bartolus, M. Ginnettus, C. Roccius, P. Mignanellus, & ego B. de Segnis; RR. PP. DD. Nicolino, & Gandolfo, ab Vrbe absentibus, de mandato Sanctissimi Domini nostri, R. P. D. Hieronymum à Sommaria Clericum Florentinum, vtriusque Iuris Doctorem, Apostolicâ auctoritate prouisum de officio Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentiæ, vacante, per obitum in Curia bo. me. Domini Lucæ Duccij, ad illius possessionem, per legitimum Procuratorem admisimus, quoad locum, & massam tantùm; ita vt non transeat in exemplum, & cùm primum ad Vrbem accesserit, de statutis Collegij obseruandis solitum præstet iuramentum, & reliqua adimplenda adimpleat.

A Die Iouis 17. Maij præfatus R. D. Hieronymus à Sommaria de Maiori Præsidentia Abbreuiator, præhabitâ, non minus docta, quàm eleganti oratione, præstito solito de obseruandis nostri Collegij statutis iuramento in manibus R. D. Regentis, ac alijs solitis consuetudinibus integrè adimpletis, ad exercitium sui officij fuit ab omnibus RR. DD. PP. benignè admissus.

Die Iouis 28. Nouembris 1613. Illustrissimus Dominus D. Alexander Cardinalis Montaltus S. R. E. Vicecancellarius
B posuit in possessionem officij Regentis in Cancellaria Apostolica R. P. D. Dominicum Pinellum Romanum literarum Apostolicarum, Contradictarum nuncupatarum, Correctorem, & nepotem ex fratre bo: me: Dominici Cardinalis Pinelli Decani Sac. Collegij Cardinalium, vacantis per liberam resignationem ad eius fauorem in manibus suæ Illustrissimæ Dominationis factam, & per eum admissam R. P. D. Aloysij Galli Auximani dictæ Cancellariæ Regentis, solutâ prius, per dictum R. P. D. Dominicum, *solita duplici ad-*
C *missione*, ac seruatis alijs solemnitatibus, adhibitis in admissione dicti R. P. D. Galli, supra annotatis, cum maxima lætitia RR. PP. DD. Abbreuiatorum, firmam spem habentium, dictum R. P. D. nouum Regentem suum officium huiusmodi prudentissimè, ac cum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & eiusdem Illustrissimi Vicecancellarij, Collegijque nostri, ac omnium Curialium, ac Cancellariæ Officialium gloriâ administraturum &c.

Die Sabbati 9. Iulij 1618. RR. PP. DD. septem antiquiores Abbreuiatores,
D de materijs Consistorialibus participantes, decreuerunt, quòd si Abbreuiator de eorum numero à Romana Curia, de Superiorum tamen, & Collegij sui licentia pro adimplemento Voti, suâ deuotione, aut domesticis negotijs discesserit, habeatur quoad distributiones Consistoriales, non autem illarum Turnos per tres menses pro præsente. Declararunt sanè, quòd si discessus Abbreuiatoris à Cancellaria fuerit ante medietatem mensis, ille computetur in dictis tribus mensibus, sed quatenus Mensarius dd. materiarum existat, Mensariatum admittat, ad viciniorem que

capa-

capacem in Turno transferatur. Si verò post elapſam menſis medietatem abierit, finis huiuſmodi menſis in præfatis tribus non numeretur, & ſi erit Menſarius emolumentis Menſariatus gaudeat, dummodo alius Abbreuiator de eodem numero pro ipſo exerceat. Si verò reuertatur Abbreuiator in Cancellaria effluxis tribus menſibus, ſed ante elapſam menſis ſequentis medietatem, de illo, ſicut de prædictis tribus menſibus participet, non autem de Menſariatu, quatenus eſſet in Turno, ad quem obtinendum, voluerunt, quòd Abbreuiatorum Menſarius reperiatur in prima Cancellaria ſui menſis, & Menſariatum per ſe ipſum, non autem per alium Abbreuiatorem, vt in ſupradicto caſu, ſaltem vſque ad medietatem menſis incluſiuè, exerceat.

Die Iouis 20. Iulij 1618. in Cancellaria R. P. D. à Porta petijt licentiam diſcedendi ab Vrbe, & in patriam ſuam ſe transferendi pro ſuis domeſticis negotijs, quæ fuit ab omnibus RR. PP. DD. præſentibus benignè conceſſa ad ſex menſes, cum ſolita participatione emolumentorum, prout fuit obſeruatum cum alijs RR. PP. DD. pro tempore eorum abſentiæ.

Die Iouis 27. Auguſti 1620. Ego B. de Segnis petij licentiam, me conferendi ad patriam per duos menſes, pro meis negotijs, & causâ ſuſcipiendi pro mea deuotione ſacros etiam presbyteratus Ordines, in vim gratiæ Sanctiſſimi, quæ à RR. PP. meis fuit mihi benignè conceſſa ad tres menſes, cum participatione interim omnium emolumentorum, etiam materiarum Conſiſtorialium, prout fuit obſeruatum cum RR. PP. DD. Vecchiarello, & Portâ.

Die Martis 22. Decembris 1620. R. P. D. Roccius ad officium Vicelegationis Patrimonij à Patronis vocatum exercendum, petijt licentiam, quæ cum maxima lætitia fuit ei ab omnibus RR. PP. conceſſa ad ſex menſes, cum ſolita contributione emolumentorum, etiam Conſiſtorialium, vt fuit cum alijs Abbreuiatoribus antiquioribus ex numero ſeptem, obſeruatum.

In Congregatione habitâ die 21. Martij 1621. RR. DD. Abbreuiatores interpretando nonnulla ſtatuta Collegij fecerunt infraſcripta decreta ſiue declarationes.

Et primò quoad ſecundam partem tertij Capituli ſtatutorum ita intelligendum dixerunt, quòd, ſi aliquis ex DD. in prima, vel ſecunda Cancellaria menſis non cæperit poſſeſſionem ſui Menſariatus perſonaliter, & vſque ad dimidium menſis in Vrbe præſens fuerit, non poſſit habere Menſariatum, nec eius emolumentum, quòd de omnibus Menſariatis, etiam de Conſiſtorialibus, intelligi voluerunt.

Quoad quartum Capitulum ſtatutorum de habenda Congregatione in domo D. Decani eorum arbitrio reliquerunt, prout neceſſitas expoſtulabit.

Quoad octauum de habendo Subſtituto domi, illud non neceſſarium, ſed laudabile dixerunt.

Quoad nonum, ſtante ſupradicta declaratione, dixerunt poſſe iudicari per DD. præſentes quaſcumque Minutas, non obſtante iſto Capitulo.

Quoad decimum Capitulum declarando eius ſecundam partem intelligendum dixerunt, quod DD. Abbreuiatores abſentes non poſſint, poſt quatuor Cancellarias, ab eorum diſceſſu per alium iudicari facere aliquas Minutas, præter eorum diſtributiones; alias verò Minutas conficere poſſint eorum Subſtituti, ſed neque D. Abbreuiator abſens, neque eius Subſtitutus poſſit aliquid de emolumento ratione iudicaturæ participare ſub quouis titulo, vel prætextu etiam donationis.

Die Iouis 16. Septembris 1621. in Cancellaria Apoſtolica, in qua interfuerunt Reuerendiſſimus D. Pinellus Regens, & RR. PP. DD. P. M. Vecchiarellus, M. Bartoli, I. de Angelis, B. Spada, A. Riualdo, C. Accorambono, cæteris videlicet I. B. Gauotto, S. de Roſis, malâ valetudine impeditis, ac M. Ginetto, C. Roccio, I. B. Porta, I. N. Tanario ab Vrbe abſentibus, fuit habita à ſupradictis RR. DD. meis præſentibus infraſcripta reſolutio, a noſtro Cappellano in lib. admiſſionum regeſta. Cùm RR. PP. DD. Abbreuiatores Maioris Præſidentiæ in electione D. Stephani Vgolini, in Aſſiſtentem loco bo: me: Io: Fr. Vgolini eius Patris non fuerint intimati, prout intimandi erant, & propterea dicta electio fuerit, & ſit nulla, & no-

& noua desuper Congregatio, iterum facienda veniret. Nihilominus ijdem RR. DD. Abbreuiatores in gratiam Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Ludouisij, & quia de idoneitate eiusdem electi, satis apud eos edoctum fuit, approbârunt, & approbant electionem personæ huiusmodi, perinde ac si in Congregatione, super dicta electione factâ, interuenissent.

Die Sabbati 30. Octobris 1621. omnes RR.DD. mei præsentes licentiam concessam R. P. D. Porta sub die 18. Maij proximè præteriti prorogârunt ad alios sex menses, cum participatione omnium emolumentorum, exceptis Consistorialibus.

Die Sabbati 9. Iulij 1622. M. P. Vecchiarellus Decanus, M. Bartolus, M. Ginettus, I. de Angelis, B. Spada, A. Riualdus, I. B. Gauottus, S. de Rosis, cæterisque ab Vrbe absentibus, in domo dicti D. Decani congregati, pro eorum generali Congregatione, infrascripta de communi consenso decreuerunt. Recedentes in primis à decretis aliàs in Cancellaria Apostolica sub die 8. Ianuarij præsentis anni contra absentes facto, decreuerunt in recessu ab Vrbe petentibus concedi licentiam ad sex menses, & ex solita benignitate, ad alios sex menses, ipsis tamen instantibus, prorogari; post annum verò de Minutis vsque ad eorum reditum amplius non participare. Istam verò annuam præscriptionem noluerunt per reditum ad Vrbem interrumpi, nisi reditus sit absque animo amplius recedendi; quòd si ex noua causa iterum abesse cogerentur, tunc demum interrumpi voluerunt, si per duos menses saltem frequentauerint Cancellariam.

Si quis ab Vrbe breui reuersurus de licentia tamen DD. abfuerit, per quindecim dies Turno Consistorialium nequaquam priuetur.

Die Martis 12. Iulij 1622. in Cancellaria Apostolica RR. PP. DD. M. P. Vecchiarellus Decanus, M. Bartolus, M. Ginettus, I. de Angelis, B. Spada, A. Riualdus, I. B. Gauottus, S. de Rosis, cæteris vnà cum Reuerendissimo D. Regente ab Vrbe absentibus, de mandato Sanctissimi Domini Nostri R. P. D. Laurentium

A Corsum Florentinum Apostolicâ auctoritate prouisum de officio Abbatis Maioris Præsidentiæ, vacante per obitum extra Curiam de mense Iunij, proximè præteriti, bo: mem: R.P.D. Io:Baptistę Portæ ad illius possessionem, per Prosperum Conti, eius legitimum Procuratorem admiserunt, quoad locum, & massam tantùm, ita vt non transeat in exemplum, & cùm primum ad Vrbem accesserit, de statutis Collegij obseruandis solitum præstet iuramentum, & reliqua adimplenda adimpleat.

Die 24. Nouembris 1623. Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Ludouicus
B Cardinalis Ludouisius S. R. E. Vicecancellarius præsentibus RR.PP.DD. Abbreuiatoribus M. P. Vecchiarello Decano, M. Bartolo, M. Ginetto, C. Roccio, I. de Angelis, A. Riualdo, I.D. Gauotto, S. de Rosis, L. Curtio, F. Ferro, B. Curto, R. P. D. Angelum Androsillam Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe Canonicum ad officium Regentis Cancellariæ Apostolicæ, vacantis per liberam resignationem R. P. D. Dominici Binelli, ad eius fauorem in manibus D. S. Illustrissimæ factam,
C & per eum admissam, solutâ prius per D. Angelum duplici admissione, ac seruatis alijs, seruari solitis, admisit.

Die 4. Septembris 1627. In Cancellaria Apostolica RR.PP.DD. A. Androsilla Regens, M. Bartolus Decanus, A. Riualdus, I. B. Gauottus, L. Curtius, B. Curtus, M. de Rosis, F. de Lucinis Abbreuiatores, cæterisque ab Vrbe absentibus, Io: Baptistam de Goris Pannelinis per literas Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Vicecancellarij prouisum de officio Abbreuiatoris Maioris Præsidentiæ, vacante per obitum extra Curiam de mense Iu-
D nij 1626. bo: mem: Galeatij Marescotti ad illius possessionem per Petrum Guidottum, eius legitimum Procuratorem admiserunt, quoad locum, & massam tantùm, ita vt non transeat in exemplum, & cùm primum ad Vrbem accesserit de statutis Collegij obseruandis solitum præstet iuramentum, & reliqua adimplenda adimpleat.

Die 10. Nouembris 1630. omnes RR. DD. mei præsentes licentiam concessam sub die 12. Maij 1630. R.P.D. Corsio prorogando ad alios sex menses cum participatione solita emolumentorum, exceptis

Con-

Consistorialibus, factâ instantiâ per R.P.D. Corsium, mediante epistolâ directâ RR. DD. meis iuxta formam statutorum.

Die 10. Iulij 1632. D. Lucinus licentiam petijt discedendi ab Vrbe, quæ eidem fuit concessa ad sex menses, & in Consistorialibus ad tres.

Die 2. Decembris 1632. Præsentibus RR.DD.Androsilla Regente, Gauotto, de Rosis, Ghorio, Lebret, Ciscarino, Vannino, Curto, Rapacciolo, cæterisque ab Vrbe absentibus, admissus fuit R.D.Ludouicus à Valle de Bresighella Fauentinæ Diœcesis per obitum Fenutij Ferri.

In hac admissione Substitutus D. Marci Martelli, Custodis, institit pro solutione portionis, spectantis ad dictum Martellum, vti Custodem apud RR.PP.DD. Androsilla Regentem, & Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, prætendens dictam portionem sibi deberi, quamuis Custos præsens non esset, quia illud officium exercebat per Substitutum, & quòd bo: mem: Princeps Michaël Perettus olim Custos dictam admissionem percepisset, quamuis non esset præsens, tamen quia fuit repertum, quòd dicto Principi, ex gratia, fuit concessa illius portio, & præcipuè ex attestatione R.P.D.Mariani Vecchiarelli olim Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoris, qui dixit non solùm ex gratia illi fuisse concessam, verum etiam, quòd post obitum b.me. Cardinalis Montalti S. R. E. Vicecancellarij dictus Princeps Perettus accessit ad Ecclesiam Sancti Laurentij in Damaso, ad hoc, vt pro præsente haberetur, pro obtinenda eius portione, quibus stantibus dictus R.P.D.Androsilla Regens, & RR.PP.DD. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, tunc temporis in Curia præsentes, vnanimiter dixerunt, dictam portionem Custodi non deberi, stante eius absentiâ, & sic, tam portionem supradictæ admissionis, quàm alterius infrascriptæ etiam admissionis R. P.D.Pichi dicti RR.PP.DD. inter se diuiserunt, vnà cum alijs, interesse habentibus.

Die Martis 10. Aprilis 1634. RR. PP. DD. I. B. Gauottus Decanus, M. de Rosis, I. B. Ghorius, I. Lebret, S. Ciscarinus, B. Vanninus, F. Curtus, F. Rapacciolus, L.A.Valle, A. Pichus, cæteris ab Vrbe absentibus, in Cancellaria Apostolica congregati, considerantes, quòd in expe- A ditione literarum Apostolicarum studiosè, & diligenter assistere, perpendere, examinare, & prouidere debent ad omnia illa, quæ pertinent ad hoc, vt commodiùs, & accuratiùs expeditiones literarum conficiantur, & quia in Substitutis RR. PP. DD. aliqua videbatur negligentia in conficiendis Minutis dd. literarum Apostolicarum, ita vt remedium aliquod mereretur, vnanimiter decreuerunt, ab omnibus Substitutis RR.DD pro tempore existentibus, nouum præstari iuramentum, de nouo in statutis RR. DD. descriptum, in manibus B R.P.D.Decani, vt moris est, & sic inuiolabiliter obseruari.

Die Sabbati primâ Iulij 1634. RR. PP. DD. I.B.Gauottus, M. de Rosis, M.Theodolus, F. Lucinus, I. Lebret, S. Ciscarinus, B. Vanninus, F. Curtus, F. Rapacciolus, L. A. Valle, A. Pichus præter R. P. D. I. B. Ghorium, ab Vrbe absentem, in Cancellaria Apostolica congregati, considerantes, quòd in declaratione, aliàs per RR. PP. DD. sub die 21. Martij 1621. quoad secundam partem tertij Capituli statutorum editâ, in qua decernitur, C quòd si aliquis ex DD. in prima, vel secunda Cancellaria mensis non cęperit possessionem sui Mensariatus personaliter, & vsque ad dimidium mensis in Vrbe pręsens fuerit, non possit habere Mensariatum, nec eius emolumentum, quod de omnibus Mensariatibus, etiam Consistorialibus, intelligi voluerunt, dubitari contingeret, an casus infirmitatis excusare posset, ad hoc vt haberet dictos Mensariatus, prout à maiori parte RR.DD. fuit dubitatum, vnanimiter decreuerunt, & declararunt, casum infirmitatis excusare, ita vt R. P. D. D pro tempore Mensarius habeat Mensariatum, & eius emolumentum; quod de omnibus Mensariatibus, etiam Consistorialibus intelligi voluerunt, quamuis non potuerit capere possessionem personaliter, neque exercere per seipsum, ac etiam omnibus alijs statutis, & decretis, casum infirmitatis excusare simili modo, & ita inuiolabiliter obseruari decreuerunt.

Die 14. Nouembris 1634. omnes RR. DD. mei præsentes, licentiam concessam sub die 15. Maij 1634. R. P. D. Ghorio prorogârunt ad alios sex menses, cum solita participatione emolumentorum excep-

ptis Consistorialibus, factâ instantiâ per A dictum R. P. D. Ghorium, mediante epistolâ directâ RR.PP.DD.meis, iuxta formam statutorum.

Die 14. Decembris 1634. Eminentissimus, & Reuerendissimus D. Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius, præsentibus RR. PP. DD. Abbreuiatoribus I.B.Gauotto Decano, M.de Rosis, M. Theodolo, F. Lucino, I. Lebret, S. Ciscarino, B. Vannino, F. Curto, L.A.Valle, A. Picho præter R.P.D. Ghorium, ab Vrbe absentem, R. P. D. F.Rapacciolum Romanum, etiam Maioris Præ- B sidentiæ Abbreuiatorem, ad officium Regentis Cancellariæ Apostolicæ, vacans per liberam resignationem R.P.D. Angeli Androsille ad eius fauorem, in manibus Dominationis Suæ Eminentissimæ factam, & per eum admissam, solutâ prius per dictum R.P.D. Rapacciolum duplici admissione, ac seruatis alijs, seruari solitis, admisit cum maxima lætitia RR.PP.DD.Abbreuiatorum, firmam spem habentium, dictum R. P. D. nouum Regentem suum officium huiusmodi prudentissimè, ac cum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & eiusdem Emi- C nentissimi Vicecancellarij, Collegijque nostri, ac omnium Curialium, ac Cancellariæ Officialium gloria administraturum.

Die 20. Decembris 1634. in Cancellaria Apostolica RR. PP. DD. F. Rapacciolus Regens, I.B.Gauottus Decanus, M.de Rosis, F. Lucinus, I. Lebret, S. Ciscarinus, B.Vanninus, F. Curtus, L.A.Valle, Pichus præter R.P.D. Ghorium absentem, R. P. D. Alexandrum Sperellum Assisien. per D. Vincentium Galeottum, eius legitimum Procuratorem admiserunt ad officium Abbreuiatoriæ, vacans per liberam D resignationem M.Theodoli, factam in manibus Eminentissimi Vicecancellarij, ad quem dicti officij dispositio spectat, quoad locum, & massam tantùm, ita vt non transeat in exemplum, & cùm primum ad Vrbem accesserit, de statutis Collegij obseruandis solitum præstet iuramentum, & reliqua adimplenda adimpleat.

Die 11.Ianuarij 1635. Apostolicæ Cancellariæ Regens,& Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, in vnum congregati in domo Reuerendiss.Regentis,prospecturi pluribus Cancellariæ rebus, quæ neglectis Pontificum sanctionibus, eoque profligato tenore, qui inconcusso ritu custodiri deberet, pessundari possunt rerum pernicie, animarum dispendio, & omnium offensione animorum, quibus recentiores quotidie fraudes,noua in dies pericula, & positæ negotijs, & rebus insidiæ innotescere queunt, in infrascriptas, vnanimi suffragio, transiere sententias.

1. Et vt ijs primò consulerent à quibus incipit ea Cancellariæ opera, quam ipsa in expeditionibus literarum nauat, prospiciendum in primis esse duxerunt rebus illis, quæ dum negotia à Dataria ad Cancellariam transmittuntur, quâdam, quæ adoleuit Magistrorum Regesti negligentiâ, & Registratorum, Partium, Sollicitatorumque licentiâ tumultariò peraguntur, cùm Magistri supplicationes illas, quas ipsimet Regenti deferre cùm acceperint, deberent (vt ab ipso Distributori commendatæ distributionum impensas per fraudes, per iniurias, & ingeniosam Sollicitatorum calliditatem refugere non possint) Partibus, Sollicitatoribus, & Registratoribus restituant, illius muneris obliti, quod Sixtus IV. cùm Collegium eorundem excitasset, excommunicationis latæ sententiæ, eò ipso incurrendæ, pœnâ custodiendum esse existimauit; cùm iam tunc elucesceret, quàm posset rebus pericula moliri, ista, quæ hodiè viget, impunis negligentia, & excommunicationis illius obsoleta formido, ex quo vsu sæpissimè venit, vt supplicationes è Partibus, & è Gallijs præcipuè (quia literæ non expediuntur) remittantur, Regentis manum, & Distributionis munera desiderantes, quod tunc fieri contingit, cùm, lite in Partibus super beneficio excitatâ, eas hæc apparuit desiderare Partibus examinantibus, eorumque defectus ibi accuratè rimantibus; licèt & id sæpè compertum aliâ ratione fuerit, quâ patuit Sollicitatores tributim centuriatimque supplicationes, à Magistris receptas, & non distributas, in Gallias transmisisse.

His igitur, alijsque pluribus moti rationibus in id primò coiere consilium, vt nimirum à Magistris Regesti accersitis quæratur, an velint consilio inhærentes morem gerere inconcussum, nullasque post hac supplicationes, quæ ad ipsorum ma-

manus peruenerint, eorumdem operâ posituras, quâcumque de causa mente propositi tenacissimâ restituere, easque pœnas in posterum reformidare, quas Sixtus IV. ipsis minitatur, & infligit, & quotidianus pauor ipsorum auribus obtrudere deberet. Sed eas eorum ille, qui pro tempore, & in hebdomada muneri imminebit proprijs, vel certè fidis manibus ad Cancellariæ Regentem, & in eius absentia, ad Abbreuiatorem Maioris Præsidentiæ antiquiorem deferre. Semper tamen (si per alium transmiserint) suo conclusas, consignatasque sigillo. Si Collegialiter congregati, re hâc ipsis renunciatâ, consilio obtemperare, eidemque morigerari renuerint, & animæ dispendia, excommunicationis fulmina, iuramentique vota reformidare detrectauerint, sciant Abbreuiatores, ad Sanctissimi pedes prouolutos, causam suam esse peroraturos, ostensurosque, qua iniuria illud munus detrectetur, qui se ipsi deuouerunt, dum iniuncta à Pontificibus diligentissimè obituros se esse iurârunt, quòdque Pontificum sanctiones, districto in animas censuræ fulmine, ferè consecrârunt. Illud præterea sciant, quòd saltem à semetipsis, cùm voluerint Abbreuiatores impetrabunt ducatos nimirum decem, quos singulis mensibus Abbreuiatorum Collegia ipsis persoluunt (illius quæ negligitur diligentiæ merces) si hæc adamussim peragere recusent amisisse, illis in posterum per stipendia persoluendos, qui rebus istis pro tempore impositi recipient omnes supplicationes à Magistris Regesti, quique rebus istis imminentes eas sigillo, vt supra communitas deferent ad Regentem, qui rebus istis inhærendo eorum pœnas huius consilij stabilitati deuouit, quos supplicationes à Magistris quâcunque, vel rationabili causâ recepisse sciuerit, acrioribus, & quæ vel exemplo deterreant formidabili, illos puniturus, quos post hac transmisisse in Partes supplicationes non distributas compertum fuerit, quorum vterque sciat, hæc in posterum futura penè nefas, pœnis arbitrio acribus expiandum.

2. Illud secundò decreuerunt, nullos post hac Substitutos Registratorum munus exercere posse, & id ijs, maioribusque A rationibus sciant, sibi interdictum, quibus ipsis Scriptoris officium exercere prohibitum iam pridem fuit; imò sciant nec Magistri Regesti, nullaq; alia officia obire ipsos in posterum posse tam in Dataria, quàm in Cancellaria, nisi quæ, re Regenti, Abbreuiatoribusque renunciatâ, ipsis fuerit exercere permissum, quia nullas posse insidias, & pericula rebus moliri, accuratâ examinatione, & re præclarè discussâ ijdem fuerint opinati, & cunctis elucescat, id, eâ præcipuè ratione, decretum, vt Abbreuiatores, eas ab suis B auribus criminationes auertant, quæ illorum Substitutorum nomina, qui Registratores sunt deferentes ostendunt ipsos, licèt non faciant, ea tamen facere posse (si contigerit aliquem illorum animam habere venalem) quę vel animam negotijs impendant, vel Abbreuiatorum, eorumque famam, & decus; quia si innotescerent, possent, & deberent pœnis, vel spectaculo dignis expiari. Alijs omissis rationibus, quæ ipsos impulerunt, vt rebus, & sibi consulentes, & vtrorumque pericula demoliti in tutum decreti sui fi- C dem suam, & Substitutorum famam, prius eorum tantùm animam custoditam, spectarent aliquando receptam.

3. Illud tertiò decreuerunt, vt & aliâ ratione rebus, decori, eruditioni, securitatique suæ prospicerent, illisque magis placerent, qui nonnullorum Substitutorum imperitiam gaudent, vel irridere, vel conuicijs petitam criminari, vel certè eâdem vti, fruique cùm contigerit eandem improbæ spei in expeditionibus opportunè conducere. Vt Substituti nimirum, qui nunc sunt, nec iam per sex D annos Substitutorum munus obierunt, examinentur ab omnibus Abbreuiatoribus, & sic examinati per secreta suffragia ab ijsdem approbentur, vel reprobentur; & idem post hac fiat, cùm nouus Substitutus admittendus sit, nimirum, vt ab omnibus examinatus, & suffragijs per secreta delatis approbetur, vel reprobetur, eoque prius examinato, quem Abbreuiator, qui indiget proposuerit ille non reijciatur, qui nullâ exceptione conspicuus cum proposito concurrere voluerit, & concurrendo primas retulerit eruditionis partes, qui approbatus, iuxta

formam ſtatutorum, iurare debeat in manibus Decani.

4. Decreuerunt, vt poſt hac Subſtituti in Cancellaria Præſidibus ſuis intra cancellos, ſubſellia circumuallentes, ſemper aſsiſtant, Subſtitutorum dumtaxat officio functuri, illiſque recedere, egredique non liceat, niſi venia ſuo Præſidi petita fuerit, & ab eodem illi id facere, aliudque agere permiſſum erit.

5. Decreuerunt, vt in poſterum (conſilio iam pridem inito inhærentes) nullas Abbreuiatores literas quas iudicauerint, ſiue Maiores, ſiue Minores, quâlibet de cauſa, ſtabili tenacitate reſtituant alteri, quàm Cancellariæ Cuſtodi, nullaſque extremâ manu perficiant, ad plumbum tranſmiſſuri, niſi quas ipſis diſtribuerit Cancellariæ Regens, qui ſi quas tranſmitti compererit, quas ille ipſis non diſtribuerit, inexorabilis reijciet, iterumque diſtribuet, atque Subſtituti, & Sollicitatores, quos rei inuenerit conſcios pœnas arbitrio indictas luent.

6. Decreuerunt, vt nullus in poſterum ex Abbreuiatoribus, & eorum Subſtitutis, qui, cùm literas alterius recognoſceret, errata inuenerit, quæ obliterari, vel corrigi debeant, vel alia offenderit, de quibus poſſit dubitari, ſupplicationem reſtituat, donec, literis correctis, eaſdem ad plumbum non tranſmiſerit; ſic fiet, vt non poſſint, vel transfugæ à Cancellaria ad Cameram deflectere, vel ad alterum ex Abbreuiatoribus declinare; quòd ſi his non ſufficientibus, eodem eluſo conſilio poterunt eadem perpetrari, ſi id compertum fuerit, conſcij paueant pœnas, quas Regens infliget, ſubituri.

7. Decreuerunt, Conſtitutionibus inhęrentes, & muneri ſuo obſecuti, vt literas in vna Cancellaria diſtributas, in altera proxima referant, vt tranſmittantur, nullaque niſi rationabilis cauſa, & ex rei opportunitate, naturâque emanans, & patens, eas poſſit in Præſidum, Subſtitutorumque manibus remorari, vt ſic tollatur Subſtitutis occaſio cauillandi, & poſt hac moroſi negotia retardando non detorqueant munera, diligentiam excitatura, venalem, conuicijs, & querelis obnoxiam. Quòd ſi in poſterum Partibus, & Sollicitatoribus criminantibus id fieri eluceſcet, pœnas dabunt, quibus eos ſubijciet Regens.

Ego Ioannes Baptiſta Gauottus Maioris Præſidentiæ Abbreuiatorum Decanus approbo &c.

Ego Mutius de Roſis Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Franciſcus Lucinus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Iacobus Lebret Maioris Pręſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Sforzia Ciſcharinus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator manu propriâ firmaui.

Ego Bartholomæus Vanninus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Franciſcus Curtus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Ludouicus à Valle Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Angelus Picus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Ego Iulianus Amadeus Maioris Præſidentiæ Abbreuiator approbo.

Cùm fuerit orta controuerſia inter RR. PP. DD. Abbreuiatores de Parco Maiori, & DD Abbreuiatores de Parco Minori ſuper diſtributione eleemoſynæ, quæ quolibet anno in Sanctiſſimi Natalis Domini, & S. Ioannis Baptiſtæ feſtiuitatibus fieri ſolitum erat, ex eo quòd Defenſores DD. Abbreuiatorum de Parco Minori diſtribuebant dictam eleemoſynam pauperibus, abſque interuentu RR.DD., & quòd hâc de cauſa amicabiliter conuenerint, tam ſupradicti RR.PP.DD., quàm ſupradicti DD. Abbreuiatores, quòd vnumquodque Collegium diſtribuat ſuam portionem ad eius libitum, ideo hâc de cauſa, & occaſione aliorum negociorum, ad noſtrum Collegium ſpectantium die 28. Iulij 1636. RR. PP. DD. I. B. Gauottus Decanus, M. de Roſis, F.Lucinus, S. Ciſcarinus, B.Vanninus, A.Picus, A.Spercellus, cæteris abſentibus, in domo dicti D.Decani congregati, pro eorum Generali Congregatione, decreuerunt, quòd eleemoſyna, quæ ad noſtrum Collegium ſpectat, diſtribuatur à D.Menſario, pro tempore exiſtenti duorum menſium ſcilicet Decembris, vel Iunij cum participatione tamen Collegij, caſu, quo aliquis ex RR. DD. inſtet pro aliquo loco Pio, vel

vel Paupere, & ita inuiolabiliter obseruari.

Die 12. Decembris 1636. Eminentissimus & Reuerendissimus D. Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius præsentibus RR.PP.DD I.B.Gauotto Decano, M de Rosis, F. Lucino, I. Lebret, S. Ciscarino, B. Vannino, F.Curto, A.Pico, I.Amadeo, A.Sperello, in Cancellaria Apostolica, ad officium Regentis Cancellariæ Apostolicæ, vacans per liberam resignationem R.P.D. F. Rapaccioli, qui officium Clerici Cameræ assumpsit R.P.D. V.Costagutum Protonotarium Apostolicum, de numero duodecim Participantium, & ad fauorem supradicti D. Rapaccioli factam, & per eumdem D.Vicecancellarium admissam, solutâ prius per D.V. Costagutum dupplici admissione, & seruatis alijs solitis, admisit, cum maxima lætitia RR.DD.Abbreuiatorum, firmam spem habentium, dictum R. D. nouum Regentem officium huiusmodi prudentissimè, ac cum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & eiusdem Eminentissimi Vicecancellarij, Collegijque nostri, ac Cancellariæ Officialium gloria administraturum.

Die 15.Iunij 1638.in Cancellaria Apostolica RR.PP.DD.V.Costagutus Regens I.B.Gauottus, M. de Rosis, F.Lucinus, I. Lebret, S. Ciscarinus, B. Vanninus, F.Curtus, A.Picus, A.Sperellus, I.Amadeus præter R.P.D. A Valle, ab Vrbe absentem, admiserunt ser. ser. ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentiæ R.P.D.Antonium Iacobum Gallum Auximanum, vacans per resignationem R. P. D. I. B. Ghorij, factam in manibus Eminentissimi, & Reuerendissimi D.Francisci Cardinalis Barberini Vicecancellarij, ad quem dicti officij dispositio, pro tempore vacantis, spectare dignoscitur.

In hac admissione fuit dubitatum, an R. P. D. Regens deberet participare de augmento RR. DD. Abbreuiatorum, ab Vrbe absentium, & fuit resolutum affirmatiuè, vt aliàs fuit obseruatum, ex eo, quia RR.PP.DD.Abbreuiatores gaudent de emolumentis eiusdem D. Regentis, quando ab Vrbe abest.

Die 15. Septembris 1638. R.P.D.Lucinus in Cancellaria Apostolica petijt licentiam, se conferendi ad suam Patriam, pro suis negocijs, & ab omnibus fuit concessa, cum solita participatione ad sex menses, quò verò ad materias Consistoriales ad tres menses.

Die . . Nouembris 1638. Illustrissimi, & RR. DD. mei Maioris Præsidentiæ Abbreuiatores, videlicet Reuerendissimus D.Mutius de Rosis, Reuerendissimus D.Sfortia Ciscarinus, Reuerendissimus D.Franciscus Curtus, Reuerendissimus D.Angelus Picus, electus Amalphitanus, Reuerendissimus D. Iulianus Amadeus, & Reuerendissimus D. Antonius Iacobus Gallus deputauerunt me Bartholomæum Vanninum, eiusdem Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorem, in Secretarium Collegij, in locum Domini mei de Rosis, qui, ob varias eius occupationes, officium huiusmodi dimisit.

B. Vanninus.

Eâdem die Reuerendiss. D. Angelus Picus Abbreuiator, qui Ecclesiæ Amalphit. in Archiepiscopum præfectus fuerat iuramentum solitum præstitit in Cancellaria, & deinde, demisso Rochetto, ad locum suum inter Abbreuiatores ascendit.

Die 11. Decembris 1638. Reuerendissimus D. Angelus Picus in Cancellaria Apostolica petijt licentiam, se conferendi ad suum Archiepiscopatum, quæ benignè per RR. DD. impertita fuit.

B. Vanninus.

Die 4. mensis Decembris 1638. Reuerendissimus D. Picus ab Vrbe discessit.

Die 2.Maij 1639. RR.Domini de Parco, videlicet Reuerendissimus D. Ioan. Baptista Gauottus Decanus, Reuerendissimus D. Mutius de Rosis, Reuerendissimus D.Franciscus Lucinus, Reuerendissimus D. Iacobus Lebrettus, Reuerendissimus D. Sfortia Ciscarinus, Reuerendissimus D. Bartholomæus Vanninus, Reuerendissimus D.Alexander Sperellus, Reuerendissimus D.Iulianus Amadeus, & Reuerendissimus D. Antonius Iacobus Gallus deputauerunt Reuerendissimum D. Franciscum Curtum, ad effectum reuidendi computa Massæ, ac Distributionum.

B.Vanninus.

Die

Die 19. Maij 1639. supradicti Domini de Parco, ad instantiam R. D. Amalphitani, prorogârunt ei licentiam ad sex futuros menses, ad hoc, vt ipse possit participare de Minutis.

B. Vanninus.

In Cancellaria habitâ die Iouis 21. Iulij 1639. inqua interfuerunt Illustriss. & RR. DD. Vincentius Costagutus Regens; Io: Baptista Gauottus Decanus, Franciscus Lucinus, Iacobus Lebrettus, Sfortia Ciscarinus, Bartholomæus Vanninus, Franciscus Curtus, Alexander Sperellus, Iulianus Amadeus, & Antonius Iacobus Gallus Abbreuiatores, fuit admissus Reuerendiss. D Marcus Antonius Oddus Perusinus ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentiæ, vacans per liberam resignationem Reuerendiss. D. Mutij de Rosis, factam in manibus Sanctissimi, ad quem huiusmodi officij dispositio liberè spectare dignoscitur. Absentes erant RR. Domini Ludouicus à Valle, qui Nursiæ Præfecturam degebat, & Angelus Picus, qui suæ Ecclesiæ Amalphitanæ curam administrabat.

Eâdem die Notarius Cancellariæ institit admitti ad participationem augmenti, prouenientis ex absentia RR. DD. à Valle, & Pici, & habitâ maturâ consideratione ad huiusmodi instantiam. Resolutum fuit nullo modo posse, nec debere participare de huiusmodi augmentis, quæ liberè spectant ad Dominos Abbreuiatores, & ad Dominum Regentem, & mihi commissum fuit, vt de tali resolutione notam facerem, ne in futurum huiusmodi prætentio suscitari possit.

Eadem die R. D. Mutius de Rosis ante admissionem R D. Oddi, se excusauit de negligentijs forsan in officio commissis.

Die Sabati 13. Iulij 1639. Idem Reuerendiss. D. Marcus Antonius Oddus possessionem personalem cæpit in Cancellaria, eique fuit assignatus locus solitus in Parco.

Die 20. Februarij 1643. fuit admissus Ill. & R. D. Carolus Dondinus Bononiensis, qui fecit solitam Orationem, & alia consueta adimpleuit.

Die 22. Nouembris 1643. fui deputatus Secretarius Collegij ego L. à Valle A ab Illustriss. & RR. DD. meis Abbreuiatoribus Maioris Præsidentiæ in locum Illustriss. & Reuerendiss. D. Bartholomæi Vannini, ad Episcopatum Sutrinum, & Nepesinum assumpti, qui 25. eiusdem discessit ad suam residentiam, & quia retinebat officium Abbreuiatoris, habuit licentiam à Patribus participandi per sex menses de exercitio, & per tres de Consistorialibus, iuxta solitum. L. à Valle Secretarius.

Die 4. Maij 1644. Illustriss. & Reuerendiss. D. Alexander Sperellus discessit B ad suam Residentiam Ecclesiæ Eugubinæ, & obtinuit à Patribus licentiam participandi de exercitio per sex menses iuxta solitum. L. à Valle Secr.

Die 8. Octobris 1644. quæ fuit prima Cancellaria post Sedem vacantem, fuerunt lectæ Regulæ Cancellariæ Sanctiss. D.N.PP. Innocentij X.

Eâdem die pro parte supradicti DD. Lebret, & Sperelli fuit petita prorogatio licentiæ eorum absentiæ, quæ eis fuit à Patribus concessa ad alios sex menses, & D. Lebret, qui est de septem antiquioribus, fuit etiam concessa ad alios tres menses C pro Consistorialibus, iuxta solitum.

L. à Valle Secretarius.

Die 9. Februarij 1645. fuit propositum in Parco, quòd Pallia Archiepiscoporum, solita expediri per Cancellariam, expediebantur per Cameram in præiudicium ipsius Cancellariæ, & habitâ plenâ informatione ab antiquioribus Patribus, alijsque ministris Cancellariæ, ac ex libro materiarum Consistorialium, quòd Pallia prædicta semper expedita fuerant per Cancellariam, & de mandato Eminentissimorum D DD.Cardinalium Vicecancellariorum, fuit prouisum, quòd idem seruaretur inuiolabiliter in posterum, & ad id retentæ fuerunt Bullę Prouisionis Archiepiscopatus Arelatensis, quousque Agens illius Archiepiscopi se obligauit in formâ Cameræ, per acta Notarij Cancellariæ expedire d. Pallium, vt de iure quilibet Archiepiscopus tenetur per tex. in cap. 3. de auctor. & vsu Pallij, & per Cancellariam per dictam antiquam, & semper obseruatam consuetudinem.

L. à Valle Secretarius.

Die 10. Maij 1645. Illustrissimus, & Reueren-

uerendissimus Dominus Franciscus Lucinus discessit ad eius Gubernium Æsinum, & obtinuit à PP. licentiam participandi de Minutis per sex menses, & de Consistorialibus per tres, iuxta solitum.

L. à Valle Secretarius.

Die 21. Iunij 1645. in Cancellaria, in qua adfuerunt Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Iulianus Amadeus Regens, Io: Baptista Gauottus Decanus, Sfortia Ciscarinus, Franciscus Curtus, Ego L. à Valle, M. Antonius Oddus, Palutius Albertonus, Carolus Dondinus, & Nicolaus Oreggius fuit admissus Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Cæsar Rasponus Nobilis Rauennatensis in Abbreuiatorem Maioris Præsidentiæ, & locum vacantem, per obitum supradicti D. Galli, & quia aberat à Curia, fuit admissus, mediante personâ Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Petri Francisci de Rubeis, quoad massam, & locum tantùm, & cum hoc, quòd quam primùm ad Curiam accesserit, de obseruandis statutis, & aliàs solitum præstet iuramentum &c.

L. à Valle Secretarius.

Die 5. Septembris 1645. fuit admissus Reuerendissimus D. Carolus Antonius Ornanus Clericus Romanus ad officium Abbreuiatoriæ, vacans per obitum q. D. Iacobi Lebretti, & quia est Adolescens 14. annorum circiter obtinuit à Sanctissimo D. N. dispensationem per sex annos ad effectum studendi, & vltra illos se ad Doctoratus gradum promouendi, quia etiam non visitauerat Collegium nostrum, fuit admissus cum conditione, vt illud statim visitare teneatur, iuxta solitum, prout eâdem die incæpit visitare, & successiuè visitauit omnes Reuerendissimos DD. Prælatos Abbreuiatores.

L. à Valle Secretarius.

Die 10. Nouembris 1645. R. P. D. Francisco Lucino in gubernio Æsino Agenti, & mediante propriâ epistolâ, & viuâ voce R. P. D. Dondini postulanti, prorogata fuit licentia participandi ad alios sex menses de emolumentis, iuxta solitum, non autem de Consistorialibus.

Die Martis 6. Februarij 1646. RR. PP. DD. Iulianus Amadeus Regens, Io. Baptista Gauottus Decanus, S. Ciscarinus, F. Curtus, M. A. Oddus, P. Palutius Al-

A bertonus, C.A. Dondinus, N. Oreggius, C. Rasponus Abbreuiatores præsentes RR. PP. DD. F. Lucino, L. à Valle, A. Sperello, & C. A. Ornano absentibus, animaduertentes in dies magis, & frequentiùs dirigi expeditiones per Cameram in præiudicium Cancellariæ, inhærendo praxi, quam docet Vestrius lib. 1. cap. 6. decreuerunt, quòd Substituti DD. Abbreuiatorum omnes materias, quæ per Cancellariam expediri possunt, omnino per eam, & non per Cameram expediant, sub pœna priuationis.

B Die Martis 6. Martij 1646. R. P. D. Iulianus Amadeus Regens, & RR. PP. DD. Gauottus Decanus, Ciscarinus, Curtus, Oddus, Palutius Albertonus, Dondinus, Oreggius, & Rasponus Abbreuiatores Maioris Præsidentiæ præsentes in Parco, cupientes tam proprio muneri prouidè satisfacere, quàm vniuersali totius Cancellariæ commoditati prospicere, etiam in ijs, quæ interdum casu obueniunt: & præsertim ne vmquam, statutis diebus, ob deficientiam Prælatorum Cancellaria fieri; Bullæque expediri, & plum-
C bari non possint, hoc præcipuè tempore, quo in nonnullis, vti absentibus, & in alijs, vti ægrâ valetudine legitimè impeditis, debitâ Cancellariæ frequentiâ desideratur. Antiquis Collegij statutis in cap. xi. insistentes, decreuerunt, & ordinârunt inuiolabiliter obseruandum, quòd Mensarius semper, & vnus ex duobus Abbreuiatoribus vltimo loco admissis, & in vrbe præsentibus, & in habitu incedentibus per alternas hebdomadas, vel vt commodiùs ipsis fuerit in qualibet Cancellaria assistere teneantur sub pœna iulio-
D rum quinque pro qualibet vice, diuidendorum statim inter præsentes, itaut de eis aliqua gratia non fiat; possint tamen obligati ad interessendum alium ex DD. Abbreuiatoribus non obligatis, in eorum locum subrogare. Et hoc decretum inter statuta Collegij annotandum, & sub ijsdem pœnis habendum singuli ex DD. propriâ manu subscripserunt, & vti par est per Collegij Cappellanum publicari mandârunt.

Die primâ Iunij 1647. in Cancellaria, sedentibus Illustrissimis, & Reuerendissimis PP. in Parco, Illustriss. D. C. Rasponus insti-

institit reintegrari ad Mensariatum præ- A termissum primâ vice sui ingressus, ex quo dum fuit admissus, erat Mensarius Illustrissimus D. Gauottus Decanus, & ideo, iuxta formam statutorum Collegij cap. 3. Turnus erat integer, & in illo debebat suo loco Mensariatum habere, ad quem reintegrandum esse censuerunt Illustrissimi PP. ne error, seu obliuio ei præiudicet &c.

L. à Valle Secretarius.

Die Iouis 30. Iulij 1648. præsentibus in Parco Illustrissimis, & RR. Dominis meis, D. Iuliano Amadeo Regente, Io: B B. Gauotto Decano, S. Ciscarino, P. Palutio de Albertonibus, C. A. Dondino, N. Oreggio, C. Raspono, C.V. de Totis, & me M. A. Oddo Abbreuiatoribus, absentibus ab Vrbe, F. Lucino Æsij Gubernatore, A. Sperello Eugubij Episcopo, & C. A. Ornano non sedente in Parco, eò quod habitum non suscepit: admissus fuit Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Camillus Ghinus Ariminensis Protonotarius Apostolicus, de numero Participantium, ad officium Abbreuiatoris Maioris Præsidentiæ, vacans per obitum R.P.D. Ludoui- C ci à Valle, & quia à quatuor annis, & vltra habitu Prælatitio, & dicto Protonotariatu fungebatur, indultum fuit, vt sine oratione admitteretur; cum hoc tamen, vt in exemplum non transeat, nisi erga illos, qui & idem officium Proton. & per æquale tempus possederint.

Eâdem die Notarius, & Ostiarius Cancellariæ renouârunt solitam instantiam, pro participatione augmenti, prouenientis ex absentia DD. Abbreuiatorum, & factâ per DD. maturâ discussione, dixerunt, non esse admittendos, tum quia ad por- D tionem Abbreuiatorum Maioris Præsidentiæ absentium strictè ius habent solùm alij sedentes in Parco, qui eos repræsentant, non autem extranei. Nec obstat, quòd dicti Notarius, & Ostiarius non sint extranei, & sicut participant de rata admissionis, ita participare debeant de rata augmenti, quia etiam Abbreuiatores de Minori sunt largè de Collegio, & participant de dicta rata, & tamen non prætendunt, nec prætendere possunt ratam augmenti, cùm ius ad illud radicetur, tantùm in sedentibus in Parco; tum etiam quia aliàs sæpè, & præsertim de anno 1639. die 21. Iulij ita decretum fuit per D. Regentem, & Patres de Parco, vt videre est in annotatis supra. Et hæc Dominorum sententia, non quiescentibus Ostiario, & Notario, oretenus confirmata fuit per Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum D. Franciscum Cardinalem Barberinum Vicecancellarium, qui de suo viuæ vocis oraculo testari mandauit R. P. D. Cæsari Raspono.

M. A. Oddus.

Ijsdem diebus RR. PP. DD. omnes in Parco præsentes, vt singulare Collegij obsequium erga Eminentissimum D. Cardinalem Barberinum S. R. E. Vicecancellarium &c. aliquali inditio comprobarent, & eximijs R. P. D. Cæsaris Rasponi Collegæ præstantissimi, eiusdem Eminentissimi Nepotis Consobrini, meritis indulgerent; decreuerunt, quòd stante seruitio Canonicatus Ecclesiæ Lateranensis, quo impeditur assistentiam Cappellis Pontificijs præbere: ad instar Collegij Decani habeatur in illis pro præsente, ad euitandam pœnam. Hoc autem noluerunt deduci posse in exemplum, nisi ad fauorem Nepotum pro tempore Vicecanc. &c. in tali gradu, & non vlteriori existentium.

Die Iouis vltimâ Augusti 1651. R. P. D. Carolus Antonius Ornanus, qui ab anno 1645. die quintâ Septembris admissus fuerat ad officium, vacans per obitum D. Lebret. cum dispensatione Apostolica non incedendi in habitu propter iuniorem ætatem, per sex annos, ad Cancellariam accessit cum violaceis vestimentis benignè receptus, iterumque Collegium visitauit.

De Mense Decembris 1653. reuersus e Nunciatura Neapolis R. P. D. Sperellus Episcopus Eugubinus, in Cancellaria præsens fuit per sequentes menses donec primis diebus Maij 1654. ad suæ Ecclesiæ residentiam se transtulit, obtentâ solitâ licentiâ, & participatione per tres menses Consistorialium, & sex aliorum emolumentorum.

Die 23. Ianuarij 1664. habita fuit Cancellaria præsentibus Illustrissimis, & Reuerendissimi DD. Oregio, de Totis, Ghino, Nerlio, Thomato, & Bussio, inter quos orta fuit dubitatio, an confectio decreti, super admissione R. P. D. Iosephi Vincen-

nij

tij Muti de Papazuris Romani in Collegium Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorum, per liberam resignationem officij R. P. D. Petri Pauli Glussiani Mediolanensis spectaret ad R. P. D. de Totis, qui Regentatus munus pro R. P. D. Laurentio Lomellino absente, exercebat: An verò ad R. P. D. Oreggium ratione Decanatus Abbreuiatorum. Vnde fuit concordatum adeundi Eminentissimum, & Reuerendissimum D. Franciscum Barberinum Cardinalem Viceçancellarium, vt in proxima sequenti Cancellaria accederet ad Parcum, & supra dictæ admissionis decretum conficere dignaretur. A B

I. Bussius Secretarius.

Die 26. Ianuarij 1664. Præsentibus RR. PP. DD. de Totis, Ghino, Nerlio, Ginetto, Thomato, & Bussio fuit admissus R. P. D. Iosephus Vincentius Mutus de Papazuris Romanus in Collegium Maioris Presidentie Abbreuiatorum, per decretum, confectum ab Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Francisco Barberino, Cardinali Viceçancellario præsenti, cum conditione, quòd per annum non deferat habitum Prælatitium, & abstineat ab exercitio officij, iuxta formam Bullæ Sanctissimi D. N. Alexandri VII. diuinâ prouidentiâ Papæ. C

Io. Bussius Secretarius.

Die 15. Februarij 1664. Congregatio RR. PP. DD. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorum, habita in domo R. P. D. Oreggij Decani decreuit, quòd RR. PP. DD. de Totis, & Filicaia adirent Eminentissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Chisium, Sanctissimi D. N. Alexandri VII. ex fratre Nepotem, quòd quatenus Eminentia S. legationem ad Galliarum Regem sit susceptura, dignetur eligere, seu deputare vnum ex supradictis DD. Abbreuiatoribus sibi beneuisum, & ita &c. D

Io. Bussius Secretarius.

Die 11. Iunij 1664. In Cancellaria Apostolica, præsentibus RR. DD. S. Lomellino Regente, N. Oreggio Decano, C. V. de Totis, C. Ghino, M. A. Thomato, I. P. Ginetto, I. Bussio, F. Filicaia, F. Nerlio, fuit admissus ad officia Notariatus, & Ostiariatus Cancellariæ D. Marchio Octauius Lancellottus, mediante Procuratore, qui iurauit, & duplicem admissionem soluit, vt moris est.

Fuit dubitatum an huiusmodi admissione, & D. Mutus Maioris Præsidentiæ Abbreuiator (qui ad Ecclesiam S. Laurentij in Damaso accesserat) deberet participare, an potiùs reputandus esset inter absentes, stante, quòd non potest assistere in Parco, & non potest incedere in habitu Prælatitio, resistentibus ei per annum literis concessionis officij, & decreto facto in actu capiendæ possessionis. Et fuit vnanimiter per RR. DD. Regentem, & Abbreuiatores, vt supra præsentes, resolutum, quòd non participat, prout in his terminis obseruatum fuit tempore bo: me: R. P. Caroli Antonij Ornani, atque adeo portio dicti D. Muti, vnà cum alijs portionibus DD. Abbreuiatorum absentium, fuit diuisa inter præsentes DD. Abbreuiatores, ac D. Regentem pro æquali, vt moris est.

F. Nerlius Secretarius.

Die 1. Octobris 1664. habita fuit Cancellaria Apostolica, præsentibus RR. DD. L. Lomellino Regente, N. Oreggio Decano, C. V. de Totis, F. Filicaia, M. A. Thomato, & me Francisco Nerlio Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, in qua prædicti DD. Abbreuiatores, quoniam irrepserat quædam introductio, quòd Minutæ Consistorialium (quas vocant *Giudicature*) pro maiori parte conficiebantur ab vno tantùm, aut paucis ex DD. Abbreuiatoribus Participantibus, ex quo oriebatur notabilis inæqualitas, fuit per eosdem DD. Abbreuiatores factum decretum, quòd in posterum singulis eisdem DD. Abbreuiatoribus participantibus singulæ minutæ materiarum prædictarum viciſsim, & seruato ordine distribuantur, seruatis de cetero consuetudinibus, & statutis, super materijs Consistorialibus diuidendis. Et quoad absentes nihil prorsus in omnibus innouando.

F. Nerlius Secretarius.

Die 29. Octobris 1664. habita fuit Cancellaria Apostolica, præsidentibus eidem RR. DD. Oreggio Decano, M. A. Thomato, F. Filicaia, & me F. Nerlio Ma. Præs. Abbreuiatoribus, & quoniam in præterita Cancellaria fuit ad Parcum delata quedam Bulla Prouisionis Beneficij Rauennatensis pro Felice de Felicibus (sub dat. 3. Kal. Iulij Ann. IX. SS. D. N. Alexandri VII.) qui est Nepos D. Ghini Ma. Præs. Abbre-

uiatoris, taxata per DD. Scriptores, vel per incuriam, vel ſtudiosè, cum clauſula Gratis de conſenſu omnium, fuit in præſenti Cancellaria per eoſdem Scriptores emendata, prout fieri debet, & moris eſt, & fuit ab eis deleta taxa gratis pro Nepote Aſſiſtentis. Et inſuper memoriale, quod fuerat per aliquem exhibitum in Congregatione eorumdem Scriptorum, nomine dicti Nepotis, fuit dilaceratum, & reſtitutum, & mihi infraſcripto Secretario conſignatum. De quibus prædicti DD. mei mandârunt annotationem fieri.

F. Nerlius Secretarius.

Die 19. Aprilis 1665. Sanctiſſimus D. noſter Alexander PP. VII. B. Franciſcum de Sales Epiſcopum Geneuenſem in Sanctorum numerum relaturus, mandauit intimationem fieri Eminentiſſimis Cardinalibus, Officialibus, ac Prælatis, qui in ſolenni Canonizatione præſentiam exhibent, ac miniſterium, vt ſuum quiſque munus impleturus accederet. Quâ intimatione, quoad Collegium Illuſtriſſimorum DD. Abbreuiatorum de Maiori Præſidentia in manibus Reuerendiſſimi D. Nicolai Oreggij Decani de more factâ, is eamdem ad ſingulorum notitiam deduxit, tranſmiſsâ cuique notulâ tenoris ſequentis.

Dignetur Illuſtriſſimus D. meus die XIX. Aprilis 1665. ſummo mane ad Cappellam Sixtinam in Vaticano accedere, indutus Rocchetto, & Cottâ, vt pro ſuo munere Sanctiſſimo D. noſtro in ſolennis Canonizationis B. Franciſci de Sales adminiſtret, quoniam ſpeciali intimatione SS. D. N. ita mandauit.

Quapropter DD. Abbreuiatores eò conuenerunt, & poſtquam SS. D. N. ſacris indutus eſſet, proceſſerunt vnà cum alijs Prælatis, Votantibus ſcilicet Signaturæ, Auditoribus Rotæ, ac Clericis Cameræ, deferentes Cereum conformem librarum 4. quem è manibus Magiſtri cæremoniarum in egreſſu Cappellæ acceperunt. Deinde verò per Plateam maiorem ad Baſilicam Vaticanam vniuerſus Clerus Pontificius proceſſit, atque ad nouum Theatrum in dicta Baſilica, ad id è ligno compactum conſtitit, in quo ita cuncti diſpoſiti erant, vt reſidente in medio Theatri è regione Altaris Summo Pontifice, eleuato admodum ſolio, circa illud adſtarent Oratores
A Regum, ac Principes, atque in ſcamnis,
iuxta conſuetudinem, hinc inde diſpoſitis,
& ornatis, Cardinales Eminentiſſimi reſiderent.
Ad primos autem gradus, propiores ſcilicet, quos habet ſolium, ſedebant
Auditores Rotæ, ac Clerici Cameræ, atque
in gradibus proximis aliquanto protenſioribus,
& in media parte latiorem hemicyclum
efformantibus, ſedebamus à dextro latere
Pontificis ſedentis nos Acolyti Votantes Signaturæ,
& Abbreuiatores, à ſiniſtro verò latere, quod eſt iuxta
prominentes hemicycli gradus, adfuerunt
B Prælati Referendarij, quos à geſtatione
Vmbellæ redeuntes Sanctiſſimus hoc mane in
Sacellum Pontificium admiſerat; quò factum eſt,
vt Acolyti Votantes, & Abbreuiatores omnes ſcilicet
Cappellæ Pontificiæ perpetuò addicti ſeiungeremur omnino
à Referendarijs, qui hoc mane vocati ſunt, vt abſque
vllo ſpeciali munere intereſſent. Præmiſſis itaque
ſolennibus dictæ Canonizationis, inde Sacrificium
Summus Pontifex inchoauit, & iuxta morem liturgiæ
ſeriem proſecutus eſt vſque ad Offertorium, tunc autem
tres Cardinales,
C Epiſcopus, Presbyter, ac Diaconus quilibet ordine prior,
ſtipati Militibus Cuſtodiarijs, vnà cum Epiſcopo, qui
Canonizationis rem curabat, obtulerunt D. Papæ
Cereos, Panes, Oues, ac Turtures, & Cados odoratiſſimo
latice perfuſos, quæ quidem dona Nos Acolyti Votantes,
& Abbreuiatores ſuſcepimus, & ad Abacum Vaſorum, qui
dicitur Dreſſatorium depoſuimus, & deinde miſsâ ad
morem protractâ, vſque ad oſtendendam populo oblatam,
intortitia 12. per ipſos DD. Votantes, ac Abbreuiatores
ad eleuationem
D Sanctiſſimæ Euchariſtiæ deferri debuerunt,
ſed quia ex omni gremio Votantium, ac Abbreuiatorum
deerant adhuc duo Ceceorum huiuſmodi geſtatores, id
Conſilij ſuſceptum eſt, vt ad binas Tędas ſuperexcantes
non quidem vocarentur Referendarij, quibus in Cappella
Pontificia neque locus, neque cura competit, ſed vocati
ſunt duo illi Prælati, qui ex Baſilicis Vaticanâ, &
Liberianâ aſſumuntur ab Euangelio, & Epiſtola (hi ſunt
modò DD. Caſalius, & Mutus) Et quoniam prædicti DD.
necnon alius, qui ex Baſilica Lateranenſi aſſiſtit,
quando D. Papa per ſeipſum celebrat

brat

brat ſpeciale Miniſterium canendi Euangelium, & Epiſtolam, vel aſſiſtendi non habent, idcirco vbi res tulerit accerſiri ſolent ad ſupplendum vices ſubtus nos Abbreuiatores, ita vt præſentibus ſemper in functione Acolytis, Votantibus, & Abbreuiatoribus, tres illi ſequantur, quod idem ſeruatur in alijs caſibus, puta quando fer.VI.in Paraſceue proceditur ad Crucis adorationem, nam ipſi poſt Abbreuiatores ſequuntur inferiori loco. Et hæc omnia DD. mei Collegæ annotari voluerunt &c.

F. Nerlius Secretarius.

Die . . Iulij 1665. habita fuit Cancellaria Apoſtolica, præſidentibus eiſdem RR. DD. Oreggio Decano, C.V. de Totis, I.P. Ginetto, M. A. Thomato, F. Filicaia, P. Alberino, & me Franciſco de Nerlis, omnibus Mai. Præſidentiæ Abbreuiatoribus. Et quoniam in ea R. P. Alberinus, (qui ab ipſo Ciuitatis Caſtelli Gubernio, ad Gubernium Sabinæ tranſlatus, ad Vrbem redierat, ibidemque domeſticis ſuis negotijs detentus ad duos ferè menſes, animo tamen ad Gubernium ſuum abeundi moram protraxerat, & interea temporis ad Cancellariam aliquoties acceſſerat) occaſione acceſſus huiuſmodi prætendebat, ſe iterum admittendum ad participationem emolumentorum, quæ præſentibus tantùm diuidi ſolent, & ſuper prætenſione huiuſmodi ſingulos Reuerendiſſimos DD. Abbreuiatores compellauit, fuit vnanimi DD. ſententiâ reſolutum, ipſum non debere admitti ad participationem dictorum emolumentorum, quæ præſentibus tradi ſolent, etiam pro eo tempore, quo ad Vrbem apparuit, tum quia habetur pro abſente quandoquidem iam electus ad aliud Gubernium, non animo permanendi, ſed ſolùm tranſeundi comparuit. Tum etiam quia in caſu, quo animo permanendi quis redijſſet, ſi deinde ex noua cauſa iterum abeſſe cogeretur, non admitteretur ad huiuſmodi participationem, niſi per duos menſes ſaltem frequentaſſet Cancellariam, prout aliàs reſolutum, ac decretum fuit die 9. Iulij 1622. quod decretum DD. approbauerunt, & iterum confirmârunt, & in præſenti caſu R.P. Alberini ita obſeruari mandârunt.

F. Nerlius Secretarius.

A Die 11. Auguſti 1665. Habita fuit Cancellaria Apoſtolica præſentibus ibidem Illuſtriſſimis DD. meis C. V. de Totis, M. A. Thomato, F. Filicaia, & me infraſcripto Secretario. Et quoniam R. P. Alberinus petitam participationem emolumentorum præſentibus tradendo, tum pro eo tempore, quo iam electus ad Sabinæ Gubernium, à Gubernio Ciuitatis Caſtelli ad Vrbem diuerſus in Cancellaria aliquotiès apparuit vnanimi DD. Suffragio, & iuxtà Decretum die 9. Iulij 1622. editum non obtinuerat, idem D. Alberi-
B nus acquieſcens reſolutis, & recedens ab eo genere petitionis, modò, mediante ſui Epiſtolâ, ad me Secretarium directâ, & per me ipſum in præſenti Cancellaria ſupradictis DD. meis coram exhibitâ expoſuit, quòd olim in ſuo primo diſceſſu poſt obtentam ab Illuſtriſſimis DD. conſuetam participationem Minutarum ad ſex menſes, confirmationem gratiæ huiuſmodi, nonniſi ad alios tres menſes, reportauit. Cùm tamen ex ſolita benignitate ad alios ſex Menſes gratia huiuſmodi prorogari ſoleat, vt ex ipſo Decreto, die nonâ
C Iulij 1622. confecto, apparet. Et ideo ſupplicauit in præſens toti Collegio, ac Illuſtriſſimis DD. meis, vt ſupra præſentibus, vt ſibi ſupplerent de gratia aliorum trium menſium, ne confirmatio ad integros ſex menſes, quæ alijs concedi ſolet, ſibi in aliquo ſit deficiens. Et fuit per omnes DD. prædictos benignè admiſſus ad participandum de emolumentis Minutarum pro alijs tribus menſibus, vt expleat numerum ſex Menſium, quibus confirmatio concedi ſolet. Ita tamen, vt non tranſeat in exemplum reſpectu aliorum Abbreuiatorum,
D qui confirmationem huiuſmodi, quæ pendet ex mera gratia Dominorum, nonniſi ad tres menſes obtinuiſſet, vel eorum, qui eam in poſterum nonniſi ad tres menſes obtinerent, ſuper quibus Decretum huiuſmodi extendi, & annotari, ita, vt præfertur, Illuſtriſſimi DD. mandârunt.

Fr. Nerlius Secretarius.

Die Sabbati 28. Nouembris 1665. R. P. D. Ioſephus Vincentius Mutus de Papazuris Romanus, qui die 26. Ianuarij 1664. admiſſus fuerat ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præſidentiæ, cum decreto non aſſumendi habitum Prælati-

tium per annum propter iuniorem ętatem, ad Cancellariam accessit in vestibus Prælatitijs violacei coloris, præsidentibus ibidem RR. DD. Carolo Vincentio de Totis, & M.Antonio Thomato, nec non me Francisco Nerlio, omnibus Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, & ab eis benignè receptus, iuramentum, per RR.DD. Assistentes præstari solitum, in manibus Reuerendissimi D.de Totis, ex omnibus Abbreuiatoribus interessentibus antiquioris emisit, & ab eodem D. de Totis Caputium violaceum suscepit, & deinde inter DD. Abbreuiatores nouissimus sedit, pro hac prima vice, quæ agerentur inspectans. Et ante accessum huiusmodi iterum Collegium visitauit.

Fr. Nerlius Secretarius.

Deinde in Signatura Iustitiæ die 3. Decembris in principio Signaturarum, idest, B antequam quisquam Referendarius causas proponeret, in manibus Eminentissimi D. Cardinalis Chisij Præfecti, iuramentum præstitit, & duarum causarum, quas fictas, ad effectum examinis, proponere solet quicumque ex priuilegio officij Prælaturam suscipit, propositionem eleganter, ac doctè peregit.

Die 23. Decembris 1665. In Can- C cellaria Apostolica, præsidentibus eidem Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. N. Oreggio Decano, C. Ghino, I.P. Ginetto, F. Filicaia, I. V. Muto, & me Francisco Nerlio Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, fuit admissus Illustrissimus D. Ioannes Dominicus Thomatus, Pedemontanus, ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentię, vacans per resignationem Reuerendissimi Domini Marci Antonij Thomati, eius germani fratris, qui fuit promotus ad Episcopatum Astensem, qui R.P.D. Ioannes Dominicus omnia adimplenda adim- D pleuit, consuetam admissionem persoluit, orationem de more habuit, & deinde iuramentum præstitit in manibus D.Oreggij Decani, à quo etiam Mozzettam, seu Caputium violacei coloris suscepit, & denique in habitu Prælatitio nouissimus sedit, quæ omnia in vnica tantùm Cancellaria expleta fuerunt, iuxta nostri Collegij Statuta c.1.quia est frater gemanus Reuerendiss.D. Marci Antonij Thomati, nuper de eadem Præsidentia Abbreuiatoris.

A Accessit ad Parcum Innocentius de Laurentijs, qui modò pro Notario, & Ostiario exercet tamquam Deputatus, & petebat portiones Notarij, & Ostiarij, quia licèt Marchio Octauius Lancellottus, qui talia officia in sui personam obtinet, & ad quem prædicta officia pertinent, non adesset; tamen aderat ipse ab eo deputatus, qui conduxerat omnia emolumenta, & exercitium dictorum officiorum. Re tamen inter prædictos DD. Abbreuiatores maturè discussâ, fuit resolutum, quòd Deputatus pro alio non potest de admissione participare, quia admissio datur ipsi Officiali, actualiter interessenti, & eo non interessente, portio accrescit DD. Abbreuiatoribus præsentibus, prout idem seruatur, respectu portionis D. Regentis, licèt pro eo, vti Deputatus D. Abbreuiator antiquior semper exerceat. Et ideo dictas portiones Notarij, & Ostiarij fuerunt diuisæ inter prædictos DD. Abbreuiatores interessentes; vt dictum est.

Fr. Nerlius Secretarius.

Die 29. Decembris 1665. In Cancellaria Apostolica, præsidentibus eisdem RR.DD.N. Oreggio Decano, C. Ghino, I. P. Ginetto, F. Filicaia, I.V.Muto, I. D. Thomato, & me F. Nerlio Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, absentibus tamen ab ea DD. I. A. Vicentino, L. Arbona, P. Alberino, & I. Bussio eiusdem Præsidentiæ Abbreuiatoribus, admissus fuit D. Iacobus Lombardus Ferrariensis ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentiæ, vacans per resignationem R.P.D. Vincentij de Totis, & quia in præcedenti Cancellaria dictus D. Iacobus ad Parcum accesserat, & iuxta Statuta nostri Collegij c.1. eleganti sermone suum desiderium declarauerat, quò ipsum in hac præsenti Cancellaria, quæ tunc proximè futura erat, in Collegium eorum RR.DD. reciperc dignarentur, ideo prædicti DD. Abbreuiatores, vt supra, præsentes illum benignè admiserunt, qui etiam iuramentum in manibus D. Oreggij Decani de more præstitit, & omnia consueta adimpleuit.

In hac admissione fuit facta diuisio inter prædictos DD. Abbreuiatores, etiam augmenti prouenientis, & portionibus Notarij, & Ostiarij, & Reuerendissimi D. Regentis absentium, necnon prædictorum DD.

DD. Abbreuiatorum absentium, quæ omnes portiones accreuerunt prædictis DD. interessentibus, vt moris est.

In eadem Cancellaria prædicti Domini Abbreuiatores elegerunt in Syndicum totius Collegij Reuerendiss. Franciscum Filicaia, & rogauerunt D. S. Illustrissimam, vt dignaretur rationes, introitus, atque exitus singulo mense per Cappellanum, & Assistentem Collegij Abbreuiatorum exhibendas reuidere, & omnia peragere, quæ hactenus per R.P.D. de Totis, ratione officij huiusmodi gerebantur.

Die . Martij 1666. Pro expeditione Ecclesiæ Iaurieñ fuit nobis exhibita quædam diuisio, in qua DD. Abbreuiatoribus pro distributione, & Minuta assignabantur solùm duc. 4. cùm tamen eis deberentur pro Minuta, & distributione ducat. 10. scilicet 8. in libro, & duo pro Turno distributionis. Fuit igitur oppositum, quòd diuisio non obstabat Dominis Abbreuiatoribus, licèt in ea sint specialiter expressi, aut enim illa expressio est forma præter consuetudinem, & gratia est subreptitia (quod debuit S. D. N. narrari, quòd non solet de Minuta, & distributione fieri aliqua diminutio, quia est laboris merces quæ ad commodiorem diuisionem tantùm ponitur in communi à DD. Abbreuiatoribus) aut in diuisionibus huiusmodi solent DD. Abbreuiatores, ratione Minutarum, & distributionum comprehendi literaliter, & hoc casu pariter ostenditur, quòd non fuit obseruata huiusmodi diuisio in præiudicium DD. Abbreuiatorum respectiuè Minutarum, & distributionum, nam in mandatis expediendis gratis, etiam pro aliqua rata, licèt reperiantur quandoque appositi DD. Abbreuiatores, semper tamen fuit soluta integra quantitas, ratione distributionum, & Minutarum, & ideo re maturè discussâ tam ab ipsis DD. Abbreuiatoribus, quàm ab Expeditoribus, & alijs, qui rei curam gerebant fuit DD. Abbreuiatoribus soluta integra summa pro Ecclesia Iaurieñ, nempe duc. 8. Et insuper duc. 2. In totum ducat. x. prout in similibus casibus obseruandum est, vt in Ecclesia Ipreñ mense ...... Et de huiusmodi controuersia soluerunt DD. vt per me fieret annotatio.

Die 20. Martij 1666. Præsentibus in A Cancellaria Apostolica Illustrissimis DD. N. Oreggio Decano, I. P. Ginetto, I. V. Muto, I. D. Thomato, F. Filicaia, & me Francisco Nerlio Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, placuit eisdem DD. meis deputare Illustrissimos DD. I. P. Ginettum, & I. D. Thomatum, vt totius Collegij nomine, gratulationis officium obirent erga Eminentissimos DD. Cardinales Palutium de Albertonibus, ac Cæsarem Rasponum nuper à SS. D. N. Alexandro VII. die 14. Februarij, proximè præteriti in numerum S. R. Cardinalium cooptatos, & in creaB tione, iam editâ, vsque de anno 1664. die Februarii comprehensos, ac eosdem Eminentissimos DD. exorarent, vt in omnibus rebus patrocinari vellent Collegio nostro, in cuius consortio olim versantes, propensissimos se. Collegas exhibuerunt, & spem maximam ab ipsorum auspicijs præbuerunt.

Die 27. Martij 1666. præsentibus in Cancellaria Apostolica Illustrissimis DD. N. Oreggio Decano, I. P. Ginetto, I. V. Muto, I. D. Thomato, F. Filicaia, & C. Ghino, placuit dicto Domino Ghino perC humanam facere præteriti muneris excusationem, eò quòd officium Abbreuiatoriæ iam propè dimissurus erat, & ab omnibus DD. vt supra præsentibus, retulit parem propensioris animi significationem.

Die 30. Martij 1666. præsentibus in Cancellaria Apostolica Illustriss. & RR. DD. N. Oreggio Decano, I. P. Ginetto, F. Filicaia, I. D. Thomato, I. V. Muto, & me Francisco Nerlio Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, admissus fuit ad officium Abbreuiatoriæ Maioris Præsidentiæ vacans per resignationem D. Camilli D Ghini, D. Vrbanus Georius Clericus Camerinensis, qui omnia adimplenda adimpleuit. Antea enim visitauit Collegium, deinde in hac præsenti Cancellaria, literis prouisionis eius perlectis, elegantissimam ipse habuit orationem, & per D. Decanum fuit factum decretum, vt sequenti Cancellaria accederet in habitu Prælatitio.

In hac admissione fuit facta diuisio inter prædictos DD. Abbreuiatores, vt supra præsentes de portionibus DD. Abbreuiatorum absentium, nec non etiam de portione D. Regentis pariter absentis, prout

prout aliàs obseruatum est, eò quia & ipse de absentijs DD. Abbreuiatorum, quando est præsens participat. Quæ omnes portiones accreuerunt DD. Abbreuiatoribus præsentibus, vt dictum est.

Portiones verò Notarij, & Ostiarij fuere actualiter solutæ ipsi D. Octauio Marchioni Lancellotto, qui prædicta officia in sui personam obtinet, & per se ipsum accessit, & recepit.

Fr. Nerlius Secretarius.

Die 1. Aprilis 1666. Habita fuit Cancellaria Apostolica Præsidentibus eidem Illustrissimis DD. Oreggio Decano, I. P. Ginetto, F. Filicaia, I. V. Muto, I. D. Thomato, & me Fr. de Nerlis Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, accessitque ad eam in habitu Prælatitio D. Vrbanus Georius, & iuramentum de more præstitit in manibus D. Decani nostri, deinde ad osculum pacis admissus, sedit in Parco nouissimus post omnes Abbreuiatores.

Eâdem die in Signatura Iustitiæ, ante omnes alios Referendarios, idem D. Georius commissiones duarum causarum ad libitum excogitatas proposuit, & præstito iuramento apud Eminentissimum Cardinalem Chisium, Signaturæ Præfectum, in Signatura permansit.

Die Mercurij 5. Ianuarij 1667. Habita fuit Congregatio domi Illustriss. & Reuerendiss. D. Oreggij Decani, præsentibus in ea Illustrissimis, ac Reuerendiss. DD. meis Ginetto, Filicaia, Muto, Lombardo, & me infrascripto Secretario, ac in ea multa resoluta fuere, concernentia fidelem administrationem reddituum officiorum nostrorum, &

Primò, quòd in posterum eligantur, duo, vel tres ex nostris Substitutis, qui alternatim per annum recipiant emolumenta supplicationum, quæ singulis Prælatis in præteritum distribuebantur à Notario Cancellariæ.

Secundò, quòd Substitutus debeat retinere librum, & in eo annotare quantitatem supplicationum, & in fine cuiuslibet mensis consignare Mensario dicti temporis pecuniam, inter omnes æqualiter diuidendam, prout fit de alijs emolumentis, distribui solitis inter præsentes, sublatis consuetudinibus, & stylis, vsque ad huc in contrarium obseruatis.

Tertiò, quòd Prælatus Mensarius pro tempore debeat diligenter reuidere computa Substituto, & obseruare, an supplicationum numerus, annotatus in suo libro, correspondeat cum alio annotando ab eodem Mensario, vel alio Reuerendissimo Abbreuiatore in alio libro, quando scilicet supplicationum fasciculus defertur in Parco, pro eis de more signandis.

Quartò, elegerunt pro nunc ad dictum effectum DD. Ioannem Baptistam Pellegrinum, Nicolaum Boncompagnum, & Ioannem de Nopis.

Quintò, vt autem omnia prædicta faciliùs executioni demandentur, & quantum fieri potest fraudes euitentur, rogauerunt DD. mei Abbreuiatores Illustriss. D. meum Oreggium Decanum, modò fungentem officio Proregentis, iuxta stylum Collegij, vt ipse dignaretur præcipere Magistris, vt dicitur *de Registri*, vt ipsi in futurum transmittant eidem D. Proregenti in Cancellaria, & eo absente, Reuerendissimo D. Prælato Seniori in officio, fasciculum dictarum supplicationum, clausum, sigillatum, & cum specificatione numeri illarum, idque etiam obseruetur ab his, dum supplicationes prædictæ Illustrissimo D. Proregenti transmittuntur, signandæ extra Cancellariam, & tunc si Dominationi Suæ Illustrissimæ placuerit, prout enixè supplicatur ab omnibus, dictus fasciculus eodem modo clausus, sigillatus, & cum suo numero, transmitti poterit Substituto pro tempore administranti, qui Illustrissimus, & Reuerendissimus D. omnia prædicta facere promisit, eique Collegium gratias egit, & finem imposuit Congregationi.

Notandum tamen est in §. 1. quòd Notarius ratione salarij pro seipso retinebat menstruatim decem & nouem Supplicationes, quæ propterea ei sublatæ fuerunt, & licèt post decretum institerit pro continuatione salarij, eius tamen petitio reiecta fuit, cùm obstet Bulla Sixti IV. *la 16. §. 13.* in ordine Bullarij.

Die 22. Maij 1667. horâ 22. decessit Alexander VII. Senensis Domus Chisiorum, & in exequijs nouem dierum interuenerunt DD. Abbreuiatores indicti, habitu nigro, vt moris est, cum Rocchetto tantùm, & immediatè sederunt post Votan-

tantes Signaturæ à cornu Epistolæ, in Choro Basilicæ Principis Apostolorum, vbi dictæ exequiæ fieri solent ab Eminentissimis Cardinalibus.

I. D. Thomatus Secret.

Die 20. mensis Iunij 1667. circa horam 22. creatus fuit Pontifex Iulius Rospigliosius, qui sibi nomen imposuit Clemens IX. & eadem horâ facta fuit adoratio in Basilica S. Petri ab Eminentissimis Cardinalibus, & in Prodatarium nominauit Eminentissimum Cardinalem Otthobonum, olim Sac. Rotæ Auditorem *(postea verò dignissimum Pontificem Alexandrum VIII.)*

I. D. Thomatus Secret.

Notandum hîc est, quòd DD. Abbreuiatores, publicatâ per Vrbem creatione, statim reliquerunt habitum nigrum, & assumpserunt habitum violaceum.

Die 14. mensis Iunij Sanctissimus D. noster Clemens Nonus solenni ritu Coronatus fuit in solario Porticus Basilicæ Sancti Petri à primis duobus Cardinalibus Diaconis, nempe Estensi, & Rondanino. Domini verò Abbreuiatores in principio functionis accesserunt ad Cubile Paramentorum induti Rocchetto, & Cappâ, & à dicto loco vsq; ad Cappellam Sancti Gregorij vsi fuerunt prædicto habitu, & in ea Cappella, post adorationem factam à Cardinalibus ad osculum manus, & pectus receptis, necnon ab Episcopis ad osculum cruris, dimiserunt Cappam, & assumpserunt Cottam, eamque adhibuerunt vsque ad finem functionis, factæ ante Altare D. Petri, vbi Sanctissimus post breuem orationem, & introitum missæ accepit Pallium à tribus antiquioribus Cardinalibus Episcopis, nempe Francisco, & Antonio Barberinis, & Ginetto, & postmodum accessit ad solium, ibique denuo adoratus ab omnibus Cardinalibus, prius deosculantibus pedes, & postea manus, & pectus, necnon ab omnibus Episcopis, Pluuialibus indutis, deosculantibus pedes, & crura, quibus omnibus absolutis, Sanctissimus, more solito, missam solennem celebrauit, eâque absolutâ, & processionaliter ab omnibus comitatus ad prædictum solarium Porticus, post tertiam adorationem, secuta fuit coronatio.

Die autem 20. eiusdem mensis facta fuit prima Cancellaria, & in ea publicatæ fuerunt regulæ lectæ ab vltimo ex Abbreuiatoribus, præsentibus omnibus Officialibus, quæ quidem regulæ antecedenter compositæ fuerunt in Congregatione, habita coram Eminentissimo Cardinali Otthobono Datario, in domo E. S. vbi interfuerunt Officiales eiusdem Datariæ, necnon duo Abbreuiatores ex antiquioribus, nempe Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Oreggius Decanus, & Illustrissimus D. Io: Paulus Ginettus, ad id specialiter vocati à prędicto Eminentissimo Datario.

I. D. Thomatus Secret.

Die 4. Iulij eiusdem anni 1667. præcedente nobilissimo Equitatu Equitum, & Principum Romanorum, atque Romanæ Curiæ Prælatorum, aliorumue Palatij Apostolici Officialium SS. D. N. Clemens Nonus, discedendo à Basilica Principis Apostolorum, peruenit ad Ecclesiam Sancti Ioannis Lateranensis, vbi receptus in Porticu à Canonicis, & Eminentissimo Chisio Archipresbytero, post orationem ab eo recitatam, receptis ad osculum pedis Canonicis prædictis, se transtulit ante Altare, vbi asseruantur capita Apostolorum Petri, & Pauli, illisque à Presbyteris ostensis, & adoratis, peruenit ad Chorum Ecclesiæ, eoque sedente super solium, ad id præparatum, Cardinalium adorationem recepit, & subsequenter Presbyterium omnibus illis distribuit, quibus cæremonijs peractis ductus fuit ad solarium dictæ Basilicæ, & proiecto ad populum magno pecuniarum numero, illique benedictione impertitâ, functioni finem imposuit. In Equitatu autem DD. mei Abbreuiatores antecedebant Signaturæ Votantes, & erant induti Rocchetto, & Cucullo, & supra caput gestabant solitum Pileum Prælatitium. In Basilica verò assumpserunt Cottam, nec eam dimiserunt, nisi terminatâ solennitate.

I. D. Thomatus Secret.

Die 24. Iulij 1667. Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. mei Abbreuiatores, in Vrbe existentes induti Rocchetto, & Cucullo, collegialiter introducti fuerunt ad deosculandos pedes Summi Pontificis per Eminentissimum D. Cardinalem Vicecancellarium, vbi more solito Decanus pereleg antem habuit orationem, exprimendo gaudium Collegij pro assumptione Sanctitatis

tatis Suæ ad Summi Pontificatus apicem, eâque completâ, & habitâ benignâ, ac affectuosâ responsione, simulque benedictione, recessit; oratio autem superiùs dicta, summâ omnium satisfactione, & admiratione, recitata fuit à Reuerendissimo Domino meo Io: Paulo Ginetto, quoniam D.Oreggius Decanus, propter suam infirmitatem, functioni interuenire non potuit.

Notandum, quòd tam ante orationem, quàm postea deosculantur pedes Sanctissimo, & quòd fit instantia Eminentissimo Vicecancellario ad effectum, vt obtineat gratiam introducendi Collegium.

Die 17. Maij 1668. D. Marcus Menicottius, admissus ad officium Procustodis, suum præstitit iuramentum in manibus R.P.D.Oreggij Decani.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 25. Maij 1668. R. P. D. Oreggius distribuit inter DD. Abbreuiatores Cereos Papales benedictos, quos, occasione nuperrimæ benedictionis, factæ per Sanctissimum Pontificem Clementem VIIII., habuit à D. Arata Custode Gazophylacij Pontificij, vt fuit obseruatum cum cæteris Officialibus Capellę, & singulis Abbreuiatoribus obtigit numerus quinquaginta Cereorum, & ad dictam distributionem admissi quoque fuere DD.Abbreuiatores absentes:

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 28.Iunij 1668. fuit admissus R.P. D. Felix à S. Petro Romanus ad officium Abbreuiatoris Maioris Præsidentiæ, per resignationem R.P.Ioan. Pauli Ginetti, & placuit Eminentissimo Cardinali Barberino V. Cancellario assistere in Cancellaria, vbi comparuit dictus D. à S.Petro, & habuit elegantem orationem, & deinde dimissus, habitâque inter Illustrissimos & Reuerendissimos DD. Congregatione, in ea emanauit decretum, quòd pro sequenti Cancellaria rediret indutus habitu Prælatitio, & in manibus Reuerendissimi V. Cancellarij solitum præstitit iuramentum, cæteraque, seruatis seruandis, adimpleuit.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die nonâ Decembris 1670. obijt S.D.N. Clemens Nonus, eiusque Cadauer circa tertiam horam noctis delatum ad Basilicam S.Petri, & in nouendialibus exequijs Illustrissimi & Reuerendissimi DD. mei Abbreuiatores interesserunt cum Mantelletta, & Rocchetto, immediatè sedendo post Votantes Signaturæ. Die verò 20. eiusdem mensis Eminentissimi & Reuerendissimi Cardinales post solitam missam Spiritus Sancti, Apostolicum ingressi fuere Conclaue, pro habenda electione Successoris.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 29.Aprilis 1670. fuit in Summum Pontificem creatus Æmylius Cardinalis Alterius, qui sibi nomen imposuit Clemens Decimus.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 11.Maij 1670. sequuta fuit coronatio, in qua Illustrissimi & Reuerendissimi DD. Abbreuiatores interfuerunt, & detulerunt, iuxta solitum, Cappas, & Cottas cum Rocchettis.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 8. Iunij S. D. N. Clemens X. summo mane, Nobilissimo præcedente Equitatu, discedendo à Palatio S. Petri peruenit ad Basilicam S. Ioannis in Laterano, vbi possessionem Pontificatus, solitis adhibitis cæremonijs, accepit.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 19.Iulij Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Ioan. Felix Rota Cremonensis fuit, quo ad locum, & massam, ex quo non intendit tam citiùs assumere habitum violaceum, admissus ad officium Abbreuiatoriæ, eidem resignatum ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Francisco Nerlio Archiepiscopo Adrianopolitano, electo in Nuncium ad Regem Poloniæ, & ante admissionem visitauit Collegium, & elegantissimè perorauit.

I.D.Thomatus Secretarius.

Admissio autem fuit distributa inter infrascriptos DD.Abbreuiatores præsentes, iuxta solitum, & consuetum, videlicet D. Oreggio Decano, Bussio, Filicaia, Muto, Lombardo, à S.Petro, Parracciano, & me I.D.Thomato Secretario, & notandum, quòd etiam portio R.P.D.Regentis absentis, inter præsentes diuisa fuit.

Idem Thomatus Secretarius.

Die 28.Iunij 1670. præsentibus in Cancellaria Apostolica Illustrissimis, & Reuerendissimis DD.Oreggio Decano, Bussio,

ſio, Filicaia, Lombardo à S.Petro, Parracciano, & me infraſcripto, admiſſus fuit ad officium Abbreuiatoriȩ, vacans per reſignationem Ioſephi Vincentij Muti Romani: Ioan. Baptiſta Sylua Mediolanenſis, qui omnia adimplenda adimpleuit, & elegantem habuit orationem; & quoniam inſtitit pro dilatione aſſumendi habitum violaceum, admiſſio facta fuit, quoad locum, & maſſam tantùm, & emolumenta diſtributa fuere inter præſentes tantùm, excluſo etiam à participatione R.P.D. Lomellino Regente, tamquam abſente.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 30. Auguſti 1670. S.D.N. Clemens Papa X. conceſſit Abbreuiatoribus de Maiori Parco, pro tempore, facultatem vtendi habitu coloris violacei, ius transferendi penſionem, vſque ad ſummam centum ducatorum, nec non eis dedit auctoritatem celebrare faciendi miſſas in priuatis eorum Oratorijs, etiam dimiſſis officijs, dummodo tamen ea, per quinquennium obtinuerint, vt ex Breui, deſuper expedito; ampliando in hac parte priuilegium, olim conceſſum Collegio à ſanct.mem. Vrbano VIII. decimo Kalend. Aprilis 1623. Et hæc gratia obtenta fuit ab Eminentiſſimo D. Cardinali Palutio Alterio, Nepote Pontificis, qui fuit à Collegio de ea humiliter requiſitus, quoniam in Minoribus ipſe inter Abbreuiatores connumerabatur. Et notandum, quòd Breue prædictum de eodem anno impreſſum fuit in Typographia Reuerendæ Cameræ, ac etiam regiſtratum in Libro, qui dicitur Quinterno di Cancellaria, vbi etiam annotatum eſt priuilegium Vrbani.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 4. Ianuarij 1671. Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. Abbreuiatores licentiam, aliàs ſub die prima Iulij anni antecedentis conceſſam R.P.D. Filicaia, prorogârunt ad alios ſex menſes, quoad diſtributiones, & quoad Conſiſtoriales ad tres tantùm, iuxta ſolitum, ad hoc, vt poſſit participare de Minutis, durante dictâ vltimâ dilatione, in quorum fidem &c.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 11. Ianuarij 1671. Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Ioan. Baptiſta Sylua habitum in Cancellaria aſſumpſit, & ſolitum iuramentum præſtitit in manibus Il-
A luſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Oreggij Proregentis, ac noſtri Collegij Decani.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 11. Iunij 1672. obijt R.P.D. Nicolaus Oreggius noſtri Collegij Decanus, qui in ſuo teſtamento ſingulis Abbreuiatoribus Romæ commorantibus tabulam pictam legauit, & vlterius reliquit duo loca montium ad effectum, vt ex illorum fructibus, ſingulis annis, celebretur Anniuerſarium, in Eccleſia S. Andreæ de Valle, pro anima ipſius, & RR.PP. Abbreuiatorum defunctorum.

B I.D.Thomatus Secretarius.

Die 17. Septembris 1672. admiſſus fuit in Collegio R.P.D. Ioannes Ciampinus Romanus per obitum R.P.D. Nicolai Oreggij Collegij noſtri Decani, & poſſeſſio eidem tradita fuit à R. P. Lomellino Regente, habita prius ab eodem eleganti oratione, quâ finitâ præſtitit iuramentum in manibus ſupradicti D. Regentis, & quia iam erat Prælatus, vnicâ Cancellariâ omnia fuerunt terminata, & admiſſio diuiſa fuit inter præſentes tantùm, ac de portione abſentium participauit D. Lomellinus C Regens Cancellariæ, iuxta ſolitum.

I.D.Thomatus Secretarius.

Notandum, quòd abſentes erant quatuor, nempe D. Vicentinus, D. Filicaia, D. Sylua, & D. Lombardus, qui duo vltimi erant, abſentes ab Vrbe pro ſuis negocijs particularibus.

Die 12. Iunij 1673. Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Franciſcus Nerlius Archiepiſcopus Florentiæ, & Nuncius Apoſtolicus apud Regem Galliæ fuit creatus Cardinalis S.R. Eccleſiæ à Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente X. Et quia aliàs D fuit Abbreuiator, & Collegij Secretarius, ideo illius promotionem, ad perpetuam rei memoriam, annotare volui.

I.D.Thomatus Secretarius.

Die 17. eiuſdem menſis & anni, Alexander Biſcaciante della Fonte Eugubinus, admiſſus fuit ad officium Abbreuiatoriæ eidem venditum à Dataria ob mortem Illuſtriſſimi Arbonæ, & ante admiſſionem viſitauit Collegium, & ſolitam habuit orationem, ac emolumenta admiſſionis fuerunt diſtributa inter DD. Abbreuiatores præſentes, nempe Alberino, Parracciano, à S. Petro, Barloccio, Ciampino, &

N me

me infraſcripto. D.autem Regens participauit de portione Abbreuiatorum abſentium, ex quo DD. Abbreuiatores, quando ipſe abeſt participant de illius portione.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 29. Decembris 1674. Thomas Saladinus Aſculanus admiſſus fuit ad officium Abbreuiatoriæ, eidem reſignatum à R.P.D. Alberino Nuncio Taurineñ, & poſſeſſio eidem fuit tradita ab Eminentiſſimo D. Cardinali Barberino Vicecancellario, ideoque ſtatim habitum violaceum aſſumpſit. Ante admiſſionem idem R.P. Saladinus viſitauit Collegium, & ſolitam habuit orationem, ac emolumenta admiſſionis fuerunt diſtributa inter DD. Abbreuiatores præſentes, nempe Vincentio Filicaia, à S.Petro, Parracciano, Barloccio, Ciampino, & me infraſcripto. D. verò Regens participauit de portione DD Abbreuiatorum abſentium, ex quo ijdem DD Abbreuiatores participant de illius portione, quando abeſt.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 12. Iunij 1675. Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. Abbreuiatores cupientes ſuffragari animabus defunctorum DD. Abbreuiatorum initium dederunt exequijs in Eccleſia S. Andreæ à Valle Patrum Theatinorum, in qua per Patres prædictos omnibus Reuerendiſſimis Abbreuiatoribus in Vrbe præſentibus, & cum ſuis Cappuccijs intereſſentibus in Banco, ad id præparato, è conſpectu Catafalchi decantata fuit Miſſa de Requiem. Patribus autem prædictis, ad hunc effectum, aſſignata fuit eleemoſyna ſcutorum decem vltra Legatum fructuum duorum locorum montium relictum pro dicto annuo anniuerſario à bo:mem: Nicolao Oreggio olim Decano noſtri Collegij, & hæc ſumma ſcutorum decem detracta fuit de conſenſu omnium ex eleemoſynis, diſtribui ſolitis per Menſarium in menſibus Iunij, & Decembris. Singulis verò DD. Abbreuiatoribus, vt ſupra præſentibus, tradiderunt Patres candelam vnius libræ, & in poſterum ſtatuta fuit dies vndecima eiuſdem menſis, pro conficiendis dictis exequijs, ſi tamen non fuerit impedita.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 15. Decembris 1675. inter Illuſtriſſimos, & Reuerendiſſimos DD. Abbreuiatores fuerunt proportionabiliter diuiſa emolumenta diuerſa, viuente D. Lombardo, de mandato Illuſtriſſimi D. Theſaurarij Generalis, ac Illuſtriſſimi D. Regentis ſequeſtrata, ob prætenſa delicta per ipſum commiſſa, & diuiſio prædicta facta fuit, ex quo idem diſceſſerat ab Vrbe, abſque licentia Pontificis, & nullo verbo facto cum DD. Abbreuiatoribus. Abſentes autem participârunt de ſupplicationibus; reliqua verò emolumenta inter præſentes diſtributa.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 22. Iulij 1676. SS. D. N. Clemens X. animam Deo reddidit circa horam decimam ſeptimam cum dimidia, & eius cadauer horâ ſecundâ noctis delatum fuit ad S. Petri Baſilicam, ac die ſequenti Eminentiſſimi DD. Cardinales initium dederunt Congregationibus fieri ſolitis, & in nouendialibus exequijs DD. Abbreuiatores interuenerunt poſt Votantes cum Mantelletta, & Rocchetto.

Notandum, quòd die primâ, & ſecundâ exequiarum, cæremoniarum Magiſtri fortiter reclamarunt contra RR.PP. Votantes Signaturæ, necnon DD. Abbreuiatores, dicentes, ipſos ſine Rocchetto intereſſe debere exequijs Pontificis. Verùm replicantibus eiſdem, in præteritis Vacationibus Sanctæ Sedis vſos fuiſſe Rocchetto, factâ inter eos non ordinariâ altercatione in eademmet Cappella, res delata fuit ad Eminentiſſimum Signaturæ Præfectum, necnon Eminentiſſimos DD. Cardinales Ordinum Capita, qui reſponderunt, tum Votantes, tum etiam Abbreuiatores vti debere Rocchetto, & manutenendos eſſe in eorum poſſeſſione. Domini autem Abbreuiatores locum habuere in ſecundo ordine, poſt Epiſcopos, à cornu Euangelij.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 21. Septembris 1676. creatus fuit Pontifex Benedictus Odeſcalchus Comenſis, qui ſibi nomen impoſuit Innocentius Vndecimus, eiuſque electio emanauit omnium Cardinalium ſuffragijs, & cum immaculatæ vitæ ſit, optimum ab eo ſperatur gubernium, totaque Curia, & populus de tam digna electione lætatus eſt vehementer.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die Dominico 28. Septembris 1676. habita fuit Congregatio in Palatio Vaticano,

cano, in qua confirmatæ fuerunt Regulæ Cancellariæ, cum interuentu RR.PP.DD. Augustini Prodatarij, Pilastri Subdatarij, Ciampini Abbreuiatoris, & mei infrascripti, ad quam per diem ante fuimus intimati.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die verò 6. Octobris, pariter Dominico, in quo celebratur festum Diui Francisci, idem Sanctissimus D. noster Innocentius XI. solenni ritu fuit coronatus in Solario Porticûs Basilicæ S. Petri à primis duobus Cardinalibus Diaconis, nempe Maidalchino, & Carolo Barberino. Annotandum tamen est, quòd SS. D. N. non celebrauit missam solenniter, vt moris est, sed priuatè tantùm.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 10. Martij Excellentissimus D. Franciscus Barberinus, filius Principis Prænestinorum, & Pronepos Eminentissimi D. Cardinalis Francisci Barberini Sacri Collegij Decani, præuio mandato procuræ, stipulato in personam D. Angeli Parracciani, Canonici Basilicæ Lateranensis, admissus fuit ad officium Abbreuiatoriæ, vacantis per obitum D. Felicis à S. Petro, cuius collatio ad eumdem Eminentissimum Barberinum, vti Viceeancellarium, spectabat, & emolumenta dictæ admissionis distributa fuere inter sex DD. Abbreuiatores præsentes, etiam quoad portionem, spectantem ad Reuerendissimum Lomellinum Regentem, qui erat absens in seruitio Sedis Apostolicæ. Eidem verò D. Francisco Barberino, intuitu meritorum D. Cardinalis Viceeancellarij, dictum fuit, de consensu omnium, vt assignentur omnia, & singula emolumenta officij prædicti, tam Exercitij, quàm Congregationis, & Cappellæ, donec habitum Prælatitium assumat, prout de illis participant Abbreuiatores præsentes, cum hac declaratione, quòd id non transeat, nec vmquam allegari possit in exemplum. Hæc enim Principis admissio maximum affert splendorem Collegio nostro, vt singuli DD. fassi sunt.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 22. Maij 1679. quæ erat feria secunda Pentecostes, Sanctissimus D.N. Innocentius XI. Iubilæum publicauit pro stabiliendis Principibus in vera, & perfecta concordia, & post Missam planam, ab

A eodem celebratam in Choro Diui Petri, processionaliter accessit ad Ecclesiam Sancti Spiritus in Saxia, & ante Sanctissimum præcedebant omnes Ordines Prælatorum Cappellæ, & Abbreuiatores incedebant cum sola Mantelletta, absque Rocchetto, & Domini Cardinales veniebant post Sanctissimum cum Rocchetto, Mantelletta, & Mozzetta.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 6. Iunij 1679. Abbas Philippus Lætus Spoletanus Canonicus S. Mariæ Maioris possessionem officij Abbreuiatoriæ

B accepit, ob resignationem Alexandri Mariæ Carreghæ Ianuensis, eique possessio tradita fuit à me, vti Proregente, habitâ priùs ab eodem oratione, quâ finitâ, iuramentum præstitit in manibus meis, eique ordinatum fuit, vt in alijs subsequentibus Cancellarijs accederet cum habitu, posteaque discessit. Emolumenta admissionis diuisa fuerunt inter præsentes tantùm, nempe Vicentinum, Filicaiam, à Fonte, Ciampinum, & me infrascriptum, & portio Regentis fuit diuisa inter præsentes, ac Notarius Cancellariæ fuit præsens possessioni

C supradictæ, aliàs non participasset de emolumentis.

I.D. Thomatus Secretarius.

Die 10. Decembris 1679. decessit Cardinalis Franciscus Barberinus Viceeancellarius, & Sac. Collegij Decanus, & die Martis subsequentis non fuit facta Cancellaria, tum quia cadauer adhuc erat in Cancellaria, tum etiam quia nondum Summus Pontifex Innocentius XI. declarauerat, sub cuius nomine essent Bullę corrigendę.

Die 13. eiusdem mensis cadauer fuit expositum in Ecclesia S. Laurentij in Da-

D maso, & in ea Sac. Collegium, iuxta solitum, Exequijs interfuit, quibus terminatis cadauer solenni pompâ delatum fuit ad Basilicam Sancti Petri, vbi elegerat sepulturam in Sacrario inter Canonicos defunctos. Ante cadauer præcedebant Sodalitates duodecim circiter, cum varijs Religionibus, necnon Capitulis S. Laurentij, & S. Petri cum duobus intortitijs ante singulas cruces. Post cadauer equitabat Capitaneus Heluetiorum, qui Summum Pontificem solitus est comitari cum multis eius Militibus. Postea equitabant duo Mazzerij, deinde cæremoniarum Magister

cum Cappellanis Pontificijs, & immediatè veniebant Præfectus Sacri Palatij cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Protonotarijs indutis Mantellono, & Abbreuiatores non interfuerunt, quia non fuit facta intimatio, nec etiam Auditores Rotæ, & Clerici Cameræ.

I.D. Thomatus Secretarius.

De huius cadaueris comitatu egimus supra Cap.XIII.

Die 14. Decembris SS. D.N. ne expeditiones Cancellariæ detrimentum paterentur, me infrascriptum, vti Proregentem in Vicecancellarium deputauit, donec aliter à Sanctitate Sua prouideatur sub his verbis: Adì 14. Decembre 1679. Acciò non si ritardino le speditioni della Cancellaria, Nostro Signore deputa l'Oratore, che nelle dette speditioni della Cancellaria supplisca le veci del Vicecancelliere, e faccia continuare gl'altri Officiali fino à nuoua prouisione. Gio: Battista de Luca. Et in executionem huius rescripti publicati in Cancellaria die 16. Pontificis mandato obtemperaui, & memoriale fuit registratum in Quinternis eiusdem Cancellariæ.

Die . . Decembris 1681. cùm Abbreuiatores omnes, præsentes in Vrbe, se contulissent in Cancellariam, quæ fuit prima eiusdem mensis, Illustrissimus, & Reuerendissimus D.Thomatus Collegij à secretis dixit se varijs negocijs præpeditum esse, quare rogauit omnes, vt dignarentur recipere suam muneris à secretis dimissionem, mihique illud conferre; propterea huiusmodi petitioni omnes vnanimi consensu annuerunt, & postridie idem D.Thomatus libros decretorum Collegij, nonnullasque alias scripturas tradidit.

I. Ciampinus à Secretis.

Cùm aliàs SS.D.N. Innocentius PP.XI. in locum defuncti S.R.E. Vicecancellarij, videlicet bo:me: Francisci Cardinalis Barberini deputauerit Cardinalem antiquiorem in ordine, qui pro tempore in Romana Curia præsens foret, vt Vicecancellarij munus adimpleret; Cùmq; vacante etiam officio Regentatus Cancellariæ Apostolicę per resignationem factam ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Laurentio Lomellino, in personam Illustrissimi D. Donati Nemberini, quæ suum non sortita fuit ef-

A fectum, certis ex causis, propterea que iterum idem Illustrissimus Lomellinus resignauit idem officium, seu prædictus Donatus omni, & cuicumque Iuri sibi quomodolibet in eodem officio competenti cessit in fauorem Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Leonidæ Spada Clerici Fauentini, qui literas Apostolicas super tali resignatione, & cessione expediuit, directas Eminentissimo D. Nicolao Cardinali Ludouisio de tempore Datæ literarum Antiquiori in Vrbe præsenti Cardinali, vt officij possessionem traderet, quique Emi-

B nentissimus D. Cardinalis, vigore facultatis Apostolicæ sibi à Sanctissimo delegatæ die 10. Decembris 1681. feria 3. horâ 17. se in Cancellariæ prædictæ Palatium contulit, cum concomitante prædicto Reuerendissimo D. Spada, ac statim atque Palatium prædictum ingressus fuit, adfuerunt in descensu è curru Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini D. Filicaia, Thomatus, & ego infrascriptus à secretis Collegij cum solito Cucullo, deinde superuenerunt Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Vicentinus Decanus, & Barloccius absque

C Cucullo, allegantes, quod ita prædictus Eminentissimus excipiendus erat, alij responderunt, quòd honor redundat in honorantem, & non in honoratum, & abundans cautela non nocet. Superuenerunt deinde in graduum ascensu Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Rota, & Lætus, & postea Sylua, omnesque concomitarunt prædictum Eminentissimum, qui statim Cancellariæ aulam ingressus solito Rocchetto, in signum iurisdictionis indutus fuit, postea ad interiorem aulam, ac consuetum locum in Parco sub baldachino, sericis pannis ornato deuenit, ac ibi sedit. Mox per Ill. &

D R.D.Lætum, tamquam Prælatum Assistentem iuniorem in ordine à dextris eiusdem Cardinalis stans in pauimento, fuit lecta Bulla resignationis cum executoria, quâ finita, prædictus Reuerendissimus Spada genuflexus in manibus sæpè dicti Eminentissimi præstitit iuramentum, per Regentes Cancellariæ Apostolicæ præstari consuetum, ac in libro iuramentorum descriptum, quo præstito, fuit admissus ad osculum pacis ab omnibus RR.DD. Abbreuiatoribus de Maiori, ibi præsentibus. Peractâ hâc cæremoniâ, idem Reuerendissimus nouus

Regens

Regens obtulit prædicto Eminentissimo A nonnullas supplicationes, vt nomen suum in calce de more apponeret, & stans ad dexteram propè mensulam trahebat ad se supplicationes, quas idem Eminentissimus signabat, ac arenarium puluerem desuper spargebat. Signatis supplicationibus sæpè memoratus Eminentissimus discessit, ac tam à prædicto Reuerendissimo Regente, quàm ab alijs Abbreuiatoribus, qui dimiserunt Cucullum, fuit comitatus vsque ad currum in atrio Palatij stantem, deinde, prædicto Eminentissimo discesso, omnes regressi fuerunt ad solitum Parcum, & de B more Cancellaria habita fuit, multæque Bullæ expeditæ, & ita idem Reuerendissimus D. Regens suum incepit exercere officium; fuerunt distributa solita regalia, pro felici admissione, quæ fuerunt ducatorum auri de camera quindecim pro quolibet DD. Abbreuiatorum, qui fuerunt præsentes, comprehenso D. Barberino, stante augmento, proueniente ex rata Absentium, cùm regalia admissionis Regentis Cancellariæ sint duplicata illorum, quæ soluuntur ab Abbreuiatoribus, nempe ducatorum duodecim pro quolibet, & tres ducati vs- C que ad summam quindecim, fuerunt illi, vt supra dictum, ex absentia prouenientes.

I. Ciampinus à Secretis Collegij.

Cùm Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Thomas Saladinus de Parmensi Ecclesia iam à nonnullis mensibus prouisus fuerit, seque ad residentiam contulerit; propterea que officium Abbreuiatoriæ de Maiori Parco, quod obtinebat, in fauorem Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Abbatis Leonardi Antonij Ghezzij, Clerici Neapolitani, filij q. Ducis Felicis Ghezzij resignasset. Ideoque vigore literarum Apo- D stolicarum, sub plumbo expeditarum dictæ resignationis, fuit prædictus Reuerendissimus D. Abbas Leonardus Antonius admissus ad idem officium Abbreuiatoriæ, in locum eiusdem Reuerendissimi D. Thomæ sub die Sabbati 23. Ianuarij 1683. horâ 18. circiter in Cancellaria Apostolica, & Aulâ Parci præstitit solitum iuramentum in manibus Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Leonidæ Spada Regentis Cancellariæ, interfueruntque ex Abbreuiatoribus Illustrissimi, & RR.DD. Ioannes Augustinus Vicentinus Decanus, Franciscus Filicaia Subdecanus, Ioannes Dominicus Thomatus, Felix Rota, Ioannes Baptista Sylua, Ioseph Barloccius, & ego infrascriptus à Secretis. Philippus verò Lætus non interfuit, quia adstrictus fuit solenniori missæ, celebratæ in Basilica S. M. Maioris pro Rege Hispaniarum, tamquam Canonicus assistere, & pro hac absentia petijt præcedenti die, in quo etiam fuerat habita Cancellaria, specialem licentiam, quæ illi ex speciali gratia fuit concessa, cum hoc, quòd non transiret in exemplum, ob idque solitâ portione admissionis gauisus fuit, quæ fuit duc. 6. & iul. 10. 7$\frac{1}{7}$ Portio nouem præsentium, comprehenso Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Barberino, qui gaudet absentiâ, itidem ex speciali concessione, factâ à Collegio nostro, ante suam admissionem, ob eius insignem prærogatiuam Nepotis bo: mem. Cardinalis Francisci Barberini Vicecancellarij, & aliarum qualitatum Curiæ, & Vrbi notarum.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Cùm Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Ioseph Barloccius sub die XXIV Maij 1683. electus fuisset Episcopus Narniensis, & hanc suam electionem deinde significasset Collegio, de more solito Cancellariæ, solito congressu omnes, qui aderant ei congratulati sunt, petijtque, vt solita gratia fruendi integris redditibus sui officij per sex menses, durante eius absentiâ, sibi de more concederetur. Cui libentissimè Collegium annuit specialiter, eò quia assiduam operam de sui persona Cancellariæ dedit. Discessit autem ab hac Vrbe Narnium versus diem XVII. Iulij 1683.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Die 22. Ianuarij 1684. in Cancellaria, habitâ eadem die, in qua interfuerunt Illustristrissimi, & RR.DD. Leonidus Spada Regens, Thomatus, Silua, Rota, Ghezzius, Lætus, & Ego infrascriptus fuit dictum quòd Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Barloccius Episcopus Narnien. vnicuique scripserat, & instabat, vt ex gratia prorogaretur eius absentia, siue concederetur indultum percipiendi fructus, tamquam præsens, vt in alijs casibus obseruatum fuit. His expositis omnes vnanimiter pro Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Barloccio absente, concesserunt

nouum

nouum indultum, ad alios sex menses tantùm, de more.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Die Martis 5. Iunij 1685. admissus fuit Illustrissimus, & Excellentissimus D. Vrbanus Barberinus ad officium Custodis Cancellariæ, vacans per resignationem Illustrissimi, & Excellentissimi D. Maffei etiam Barberini eius Patris, Prænestis Principis, ac solita admissio ducatorum quinque pro quolibet distributa, necnon Absentium rata inter præsentes etiam discreta fuit.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Die 4. Ianuarij 1686. circa horam $14\frac{1}{4}$ animam Creatori suo reddidit bo:me: Leonidas Spada Cancellariæ Apostolicæ Regens, & sequenti die in Ecclesia S. Hieronymi de Charitate, solenni pompâ, adstantibus Prælatis de Maiori Parco, alijsque Cancellariæ Apostolicæ Officialibus, parentatum fuit.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Die Sabbati 5. Ianuarij 1686. licèt esset dies, in quo Cancellaria haberi solita sit, nihilominus non fuit habita, eò quòd nos omnes Prælati interfuimus exequijs cum diuersis alijs Officialibus Cancellariæ. Indecens enim iudicauimus, vt, superstite in terra Regentis cadauere, Cancellaria celebraretur. Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Thomatus omnibus in ordine antiquior, antequam iusta persoluerentur nobis ostendit supplicem libellum Sanctissimo porrectum, quo ei dabatur facultas regendi Cancellariam, donec Sanctissimo visum fuerit, vt in alia simili vacatione.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Cùm Eminentissimus, & Reuerendissimus D. Cardinalis Ludouisius, tamquam Cardinalis antiquior in Vrbe Vicecancellarij officium gereret, propterea die XII. Februarij præsentis Anni 1686. ad Cancellariam Apostolicam accessit, comitatus ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Laurentio Corsino ad tradendam eidem possessionem officij Regentatus, vacantis per obitum bo:me: Leonidæ Spadæ. Cùmque prædictus Eminentissimus descendisset e rheda, statim ego occurri, alij verò Collegæ in Deambulacris ante Cancellariæ ianuam ipsum exceperunt, postea omnes Cancellariam ingressi, præfatus Eminentissimus induit se Rocchetto, ac ad Parcum ab omnibus comitatus sub Baldachino sedit. Mox ab Illustrissimo de Effectibus, tamquam Prælato recentiore, fuit lecta Bulla concessionis officij Regentatus, absolutâ lectione idem Reuerendiss. Corsinus præstitit in manibus eiusdem Eminentissimi solitum ius iurandum, per Regentes emitti solitum, deinde prædictus Eminentissimus induit rocchetto eundem Corsinum, postea ab eodem, pace omnibus Collegis datâ, incępimus expedire Bullas; interim fuit distributa solita admissio ducatorum decem pro quolibet, & cùm essemus solummodo sex præsentes absentium rata inter nos præsentes distributa fuit, dum prefatus Eminentissimus suam in Supplicationibus apponebat manum, videlicet suo nomine eas signabat. Idem Regens ad dexteram præfati Eminentissimi stabat, ac subscriptas Supplicationes ad se trahebat, ac supra eas spargebat puluerem. Nonnullis postea signatis Supplicationibus, & Bullis, à Parco recessit idem Eminentissimus, quem nos comitati fuimus, & post eius discessum ad Parcum denuo rediuimus, vbi mansimus, vsque ad integram Bullarum expeditionem.

I. Ciampinus à Secretis Colleg.

Die Mercurij 2. Decembris 1688. Cancellaria prima. Cùm in præteritis Cancellarijs disceptatum fuerit, quota summa persoluenda esset, pro labore confectionis Minutarum, ad futuram rei memoriam. Item pro labore reuisionis Bullarum; cùmque prætenderetur à Collegio ducatum vnum pro Minuta, & vnum pro reuisione soluendos esse, vt in similibus expeditionibus, antea obseruatum fuerat, hoc non obstante, cùm huiusmodi solutio ex libris non appareret, Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Laurentio Corsino ad præsens Regenti Cancellariæ decernere placuit, quòd in posterum soluantur tantùm iulij sex pro Minuta, & iulij quatuor pro reuisione, & sic in totum iulij decem. Ac ita practicatum fuit in sequenti Cancellaria, habitâ die Sabbati 4. eiusdem mensis, In vna pensione Cesenaten. ad futuram. Ratio autem cur fiat duplicata solutio, est, quia in similibus Minutis sæpe fit nouum procemium, illæque, vt plurimum sunt alijs Minutis longiores,

quare

quare si crescit labor, etiam præmium crescere debet.

I.Ciampinus à Secretis &c.

Die Sabbati 26. mensis Februarij anni 1689. habita fuit Cancellaria vltima eiusdem Mensis, in qua interfuerunt Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. L.Corsinus Regens, I. A. Vicentinus, I. D. Parraccianus, Ph. Lætus, Io:de Effectibus, & ego à Secretis Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Thomatus nuncium misit ante intimatam horam, excusando, se admissioni interesse minimè posse, nisi cum magno Curialium incommodo, quia in B Collitigantibus audiendis detentus erat, propterea petebat à Collegio, vt pro præsente nos eum habere dignaremur, aliàs Collitigantes ipsum dimissurum, ac ad Cancellariam accessurum. Nos propterea illud ęquitati consonum existimantes, eum pro præsente habuimus, licèt ad Cancellariam non accesserit.

Horâ 17. pulsatâ accessit ad Parcum D. Michaël Angelus Dondinus, & exhibuit procuræ mandatum Illustrissimi D. Pauli Burghesij, ac petijt eum D. Paulum admitti ad officium Custodis, siue Senescalli Cancellariæ, vacans per resignationem Excellentissimi D. Vrbani Barberini Pręnestinorum Principis, quare ab Illustrissimo D.Laurentio Corsino, lecto procuratorio mandato, postea à Notario de Laurentijs lectâ Bullâ resignationis, quâ absolutâ idem D. Michaël Angelus, procuratorio nomine flexis genibus præstitit solitum iusiurandum, per similes Custodes præstari solitum, deinde, consentientibus omnibus, fuit admissus, postea distributa fuerunt solita iocalia admissionis ducatorum quinque, pro quolibet Collega, & insuper scutorum sex, & bononenorum $97\frac{1}{7}$ monetæ ratæ absentium, quæ inter septem præsentes distributa fuerunt, comprehenso eodem Illustrissimo Regente.

Cùm per aliquot dies ęgrotasset fa:mem: Innocentius XI. tandem die Veneris XII. Augusti præsentis Anni 1689. hora 21. & tribus quadrantibus circiter elapsis, mortales exuuias deposuit.

Die Sabbati 13. eiusdem, Sede Apostolica vacante fuit habita in loco solito Cancellaria, in qua fuerunt expeditæ literæ plumbatæ, sed non ad integram expeditionem deductæ.

Die Mercurij 18. eiusdem mensis fuit habita Cancellaria in domo Illustrissimi Regentis, in qua fuerunt expeditæ literæ, quæ supererant.

Die Iouis 4. mensis Octobris suprememorati anni Eminentissimus Petrus Cardinalis Otthobonus Natione Venetus, ob præclara sua merita, suasque virtutes, aliasque animi dotes in Summum Pontificem assumptus fuit, sibique nomen imposuit Alexandrum PP. VIII.

B Die 16. eiusdem mensis triplici diademate SS. D. N. Alexander PP. VIII. in Mœniano Vaticanæ Basilicæ magnâ pompâ, magnoque Populi plausu, coronatus fuit.

Die Martis 18. eiusdem Mensis fuit habita Cancellaria, in quâ eiusdem Cancellariæ Apostolicæ regulæ lectæ, ac publicatæ fuere.

Die Iouis 20. præmemorati mensis fuit habita Cancellaria, in qua solitæ literarum expeditiones factæ fuerunt.

Die 30. eiusdem eadem Sanctitas S. C Ecclesiæ Lateranensis possessionem, iuxta inueteratum morem, adeptus est. Nos autem Abbreuiatores in prima aula Paramentorum dum Sanctitas S. Pontificijs indumentis se vestiebat aliquantulum commorati fuimus, ac ad inuicem collocutionem habuimus, an in equitatu Rocchettum cùm solito Cucullo, & pileo deferre deberemus, quoniam cæremoniarum Magistri à nobis interrogati, de petitione ignari, responderunt ad libitum nostrum esse; propterea decreuimus Rocchettum deferre, illoque induti, solitâ Mantelletâ, & D Cucullo superpositis, cum pileo, in solennibus functionibus deferri solito, mulam ascendimus. Hora 9. circiter nos præcedebant magna Equitum, & aliorum Nobilium turba, inter quos erat Princeps Liuius Odescalchus defuncti Pontificis Nepos. Hos sequebatur Militiæ Helueticæ Dux equester, quem octo Milites eiusdem Nationis pedestres, quatuor à quolibet latere, cum suis alabardis comitabantur. Post hunc Ducem immediatè sequebantur Illustrissimi, & RR.DD. Collegæ mei Lætus, & de Effectibus, Parraccianus, & ego infrascriptus, & sic reliqui

solito

solito Prælatitio ordine seruato Postea ad A
Ecclesiam Lateranensem, & regiam Ianuam deuenimus, cùm esset hora vigesima secunda cum dimidia, vbi statim è mula descendimus, pileum, ac Mantellettam deponentes, ac Cottam induimus. Hisce vestibus igitur ornati, Ecclesiam intrauimus, in cuius Porticu solita scamna pro Eminentissimis Cardinalibus, & solium pro Pontifice parata erant, in quibus ijdem considerunt, & Pontifex admisso Lateranensi Capitulo ad pedis osculum, deinde Eminentissimis Cardinalibus solitum Presbyterium distribuit. Ingressus postea Ec- B
clesiam ad Cappellam Sanctissimi Crucifixi pro adoranda Sanctissima Eucharistia se contulit. Successiuè ante sepulchrum Martini V. se transtulit, vbi ipsi genuflexo, totique populo SS. Apostolorum capita ostensa fuerunt. Hinc ad Canonicorum Chorum iuit, vbi laudes decantatæ fuerunt, tandem in Mœnianum ascendit ad solennem benedictionem populi impartiendam. Cùm esset hora vigesima tertia cum dimidia, absolutis his, Quirinalem petijt.

Die Lunæ 7. mensis Nouembris ea- C
dem Sanctitas Sua in S. R. E. Cardinalem creauit Excellentissimum Dominum Petrum Otthonum, suum ex fratre pronepotem, & die Iouis 10. eiusdem, Cardinalitium Galerum eidem imposuit.

Die Lunæ 14. pariter eiusdem mensis eadem Sanctitas Sua præfatum Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum Petrum Cardinalem Otthobonum S. R. E. Vicecancellarium, & Summatorum declarauit, & die 17. hora 22. cum dimidia, magnâ Prælatorum, aliorumque Nobilium concomitante cateruâ, ipse Eminen- D
tissimus Cardinalis ad Ecclesiam S. Laurentij in Damaso se contulit, vbi à Capitulo cum cruce receptus fuit, & factâ ad Altare Sanctissimi adoratione, Canonicorum chorum ingressus, vbi ab vna parte Capitulo, ab altera verò Prælatis adstantibus, ipso verò Cardinali in Episcopali Sede sedente, solitum *Te Deum* decantatum fuit. Hisce absolutis, idem Eminentissimus e choro discessit, Capitulo cum concomitante, vsque ad ianuam fontis Baptismalis, quæ ad Palatium prabet ingressum, vbi nos Abbreuiatores solito Cucullo induti aderamus, ipsique nostrum humillimum obsequium præstitimus, eumque concomitati fuimus, vsque ad Parcum, vbi consuetum solium, rubei coloris damasco ornatum erat, vtpote etiam nostra sedilia, atrebaticis peristromatibus operta, ac prope fenestram, quæ est in Aulæ angulo parua tabula itidem erat, rubeo damasco ornata, super quam Scriptorium integumentum cum atramentario, & theca arenaria, nec non etiam calamorum parata erant. Hisce dispositis E.S. in solio consedit, ad cuius dexteram stabat Illustrissimus Dominus Laurentius Corsinus Regens, & ad sinistram volui ego etiam assistere, tanquam Prosummator, hoc actu, maiorem meam erga ipsum Eminentissimum reuerentiam ostendere cupiens. Interim Illustrissimus de Effectibus, qui in Parco sedebat, surrexit, ac lectâ solitâ oratione *Adsumus &c.* Pontificium Breue, in quo Vicecancellariatus, & Summistatus officiorum concessio continebatur, clarâ voce legit, deinde antianitatis seruato ordine, nos omnes Abbreuiatores ad manus, & oris osculum eiusdem E. S. in pacis signum contulimus, postea vnusquisque ad proprium redijt locum, ac Eminentia Sua exuit se Cappâ, & induit Mozzettâ. Post hæc supradicta parua tabula, vt præfertur, parata ante ipsam E.S. posita fuit; successiuè idem Illustrissimus Regens nonnullos supplices libellos signandos sępe laudatæ Eminentiæ Suæ porrexit, quorum singulos, dum signati erant, Regens idem ad se trahebat, ac super illos arenarium puluerem spargebat. Itidem fuerunt porrectæ literæ Apostolicæ, vulgò Bullæ denominatæ, vt solitis signis eas Eminentia Sua firmaret; consueta autem signa, licet nota sint hic repetere non incongruum erit, videlicet L. C. P. quæ *Lecta*, *Correcta*, *Petrus*, denotant. Omnibus ijs absolutis, & gratiarum actione, de obsequio à nobis præstito eodem Eminentissimo habitâ, à Parco discessit, & propria in cubicula, ad quæ concomitati nos fuimus, se recepit.

Die 22. Nouembris 1689. vacante Abbreuiatoriæ officio per obitum bon. mem. Ioannis Baptistæ Sylua illud à Sanctissimo Domino nostro Alexandro PP. VIII. collatum fuit Illustrissimo, & Reuerendissimo

Domi-

Domino Ioanni Francisco Gomez Homen Romano, proptereaque præfatâ die ad Cancellariam Apostolicam se contulit, vbi aderat Eminentissimus Petrus Cardinalis Otthobonus Viceecancellarius, ac nos omnes præsentes, videlicet Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Vicentinus, Thomatus, Parraccianus, Barloccius, ego, & de Effectibus: & cùm idem Illustrissimus Gomez ad Parcum se contulisset, habuit elegantem orationem, videlicet:

In hoc publico totius Catholici Orbis, nedum Romanæ Vrbis, gaudio, sub aureo D. N. Alexandri ter Maximi, atque Optimi Pontificis imperio, duplici me perfrui exultatione contigit, cùm mihi non solùm sub cælestibus illius auspicijs, verùm etiam sub felici tutela Eminentissimi, ac Reuerendissimi Principis Petri Cardinalis Otthoboni S. R. E. Viceecancellarij Præsidis nostri, & Moderatoris, Præsulatus Sacris initiari sit indultum. Ipse quidem imbecillitatis meæ conscius hoc, quo proueor, vererer munere, nisi vos me Illustrissimi, ac Consultissimi Patres, vestra societate suffultum, extremoque in subsellio receptum, benignè commodatis viribus reficere dignaremini. Si quid igitur in me vnquam non tenue prorsus, ac infirmum apparuerit, totum id, dum spiritus hos reget artus, perpetuò me vobis relaturum scitote, vt si non æquâ lance, gratâ saltem confessione, auxiliaribus satagam respondere præsidijs.

Quâ finitâ, in manibus præfati Eminentissimi præstitit solitum iuiurandum, deinde admissus fuit tam ab ipso Eminentissimo, quàm ab alijs Collegij ad solitum pacis osculum, & inter nos sedit. Singulas adamussim cæremonias describere omitto, cùm sint solitæ, & diuersis alijs admissionibus, iam supra descripserim: quando scilicet interuenit Eminentissimus Dominus Viceecancellarius. De solita admissione, videlicet duc. 5. pro quolibet, rataq; absentium diuisa inter præsentes fuit sc. 5. 82 ½

Die 17. Februarij 1690. cum præcedenti die fuerimus nos omnes Abbreuiatores intimati, vt in primo Eminentissimi Viceecancellarij cubiculo conueniremus, quia eadem Eminentia Sua volebat nos ad Sanctissimi pedis osculum collegialiter admittere, vt moris est cum Pontificibus

A nouiter creatis; ideo illuc conuenimus, cumque eadem Eminentia Sua ad Pontificis cameras se contulisset, nos etiam ascendimus ad Pontificis aulam, quæ est sub horologio, ibique commorati fuimus, donec S. Officij Congregatio absoluta fuit; postmodum interiores cameras ingressi à Domino Dominico Cappello cæremoniarum Magistro vocati fuimus, & in Cameram, admissi vbi Pontifex, qui in sella recubans erat, & ad dexterum eius latus in scamno sedebat Eminentissimus Dominus Petrus Otthobonus Viceecancellarius.

B Nos autem solitis factis tribus genuflexionibus, & Sanctissimi deosculato pede, ante illius conspectum nos ipsos genuflexos posuimus, quasi literam C. formantes; postmodum Illustrissimus Dominus Ioannes Dominicus Thomatus, tanquam Vicedecanus ad Sanctissimum sequentem admodum habuit elegantem orationem:

Vndique lætitia exultat, vndique plausus resonant B. P. Gaudet Ecclesia Te optimum sortita Pastorem; gaudet Roma, quòd abolendo multiplicasti Annonam; gaudent populi, quòd exonerasti tributa;

C gaudent exteræ nationes, quòd sub vno Alexandro, profligatis Christiani nominis hostibus, Octauiani tempora sperent reuiuiscere, ac totum videre orbem in pace compositum. Et in tot, tantisque lætitijs, nostro Abbreuiatorum Collegio sua quoque lætitia non defuit. Aspicimus enim, & suscipimus dignissimum tuæ Sanctitatis Pronepotem Cardinalem Otthobonum, in Viceecancellarium iure meritò constitutum, & Caput nobis, quo tandiu fuimus orbati, restitutum. Itaque post tempora mœroribus plena, serena refulsit dies, & ap-

D paruit Iris in signum fœderis inter Cęlum, & Terram. Vndè meritò nos exultantes, in Sanctitatis tuæ exaltatione sacris pedibus aduoluti procumbimus, ac Regnum tuum ex Aquilæ renouatione longæuum nobis feliciter auspicamur, vt saltem vmbra alarum tuarum nos protegat, ac clementia foueat.

Ad præmemoratam orationem in hunc ferè sensum Sanctissimus ex tempore respondit.

Vtinam verificentur, quæ dixisti. Pacem enim desideramus, & veram pacem procurabimus, si Omnipotenti Deo place-

euerit. Collegium veſtrum ſemper in exiſtimatione habitum à noſtris Anteceſſoribus, etiam à Tribunalibus. Et Sac. Rota aliquando, in cauſis decidendis, vota Abbreuiatorum requiſiuit, & nos qui fuimus in dicto Tribunali, id obſeruauimus. Itaque de veſtro Collegio protectionem habebimus, ac de ſingulis Abreuiatoribus, quibus Apoſtolicam benedictionem impartimur.

Deinde Sanctiſsimus nobis benedixit, & nos iiſdem ſupramemoratis factis genuflexionibus receſsimus. Illuſtriſs. D. Vicentinus non interfuit, quòd aduersâ valetudine detinebatur, qui verò interfuerunt, fuere Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Thomatus, Paraccianus, Barloccius, ego à ſecretis, de Effectibus, & Gomez Homen.

Die XI. menſis Februarij 1690. cùm Abbreuiatoriæ officium per obitum bon. mem. Alexandri Biſcacciantes à Fonte vacaret, ad illud & ad maſſam tantùm cum fructibus à Kal. Ian. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominus Laurentius Vannicelli Clericus Romanus in Baptiſmate Laurentius Iſidorus Celidonius nuncupatus, admiſſus fuit; at quia in ætate viginti trium tantùm annorum, vt ipſe aſſeruit, erat, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro PP. VIII. indultum ei fuit, vt Prælatitium habitum per nos Abbreuiatores geſtari ſolitum, donec & quouſque vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum compleuerit, ad effectum incepta ſtudia proſequendi, aſſumere, & geſtare minimè teneretur, interim verò omnibus & quibuſcumque officij honoribus, priuilegijs, indultis, immunitatibus, prærogatiuis, antelationibus, antianitateque huiuſmodi, abſque vlla prorſus differentia gaudere liberè, & licitè poſset, & valeret, ac etiam deberet.

At quia inter Illuſtriſs. Dominus Franciſcum Barberinum, & Philippum Lætum orta iam à nonnullis annis lis fuerat, ſuper antianitate, tam reſpectu ſtalli, quàm emolumẽtorum inter ſeptem antiquiores, ratione materiarũ Conſiſtorialium; ideo in præſenti conceſsione officij factâ eidem Illuſtriſsimo Vannicello, Sanctiſsimus apponi fecit in Apoſtolicis literis infraſcriptam clauſulam præſeruatiuam Iurium ambarum partium, videlicet:

Sine tamen præiudicio quorumcumque Iurium dilectorum filiorum Magiſtrorum Franciſci Barberini, & Philippi Læti earundem literarum Maioris Præſidentiæ Abbreuiatorum, inter quos ſuper antianitate lis pendet indeciſa in Sacra Rota Auditorio.

Et ne muneri meo in hac deſcribenda admiſsione in aliquo deficere videar, addere puto, quòd idem Illuſtriſs. Vannicellus interfuit ſolito loco Parci cum talaribus veſtibus nigris, vbi ſequentem elegantem habuit orationem:

Nihil habet Supremi Principis, aut naturâ melius, aut fortunâ maius, quàm vt velit, ac poſsit ſua ſpargere in plurimos beneficia. Vtrumque hoc inter cæteras animi ſui dotes, & ſuæ poteſtatis prærogatiuas numerat Optimus idem, ac Maximus Pontifex, & quia Optimus, verè Maximus Alexander Octauus. Ille me beneficientiæ ſuæ monumentum eſſe voluit, & viuens veluti ſimulacrum hâc in aula in veſtro Patres Illuſtriſsimi cœtu, & ſub Eminentiſſimi Principis Vicecancellarij clariſſima vmbra, bono nimirum in lumine collocauit. Ille me vobis adſcripſit; vos excipite, vt veſtras intueri poſſim propiùs virtutes, & imitari quas nunc admiror, & obſequentiſſimè veneror.

Hâc abſolutâ, admiſſus fuit ad pacis amplexum, poſtea ſedit cum birrecta in poſtremo Parci loco, donec Cancellaria fuit terminta. In ea interfuerunt Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. Laurentius Corſinus Regens, Ioannes Dominicus Thomatus Vicedecanus, Ioannes Dominicus Parraccianus, Ioſeph Barloccius nuper Epiſcopus Narnienſis, ego infraſcriptus à ſecretis, Ioannes de Effectibus, ac Ioannes Franciſcus Gomez Homen. Abſentes à Cancellaria, licèt præſentes eſſent in Vrbe, fuere Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Ioannes Auguſtinus Vicentinus Decanus domi infirmitate detentus, & Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Franciſcus Barberinus Cameræ Apoſtolicæ Clericus. Fuit facta ſolita diſtributio admiſſionis duc. 5. pro quolibet, & rata abſentium ſcut. 4. 25.

Die Sabbati 18. menſis Februarij currentis anni 1690. ad Abbreuiatoriæ officium, vacans per liberam reſignationem ſupra lauda-

laudati Illustrissimi Domini Francisci Barberini, admissus fuit ad locum, & massam tantùm Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Odoardus de Sylua in Baptismate Odoardus Franciscus Antonius Ioannes filius Equitis Francisci Nicolai da Sylua Comitis S. Petri in Sabinis ad officium, & massam tantùm, cum eadem præseruatiua iuris, loci, & antianitatis, vt in supra præfati Vannicelli literis exprimitur, & cum eodem indulto non incedendi in habitu, donec vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit, eò quia vt ipse dixit, vndeviginti Parco est annorum. Fuit propterea dubitatum, an Illustriss. D. Vannicellus deberet participare de admissione, prout de illis fructibus, qui ex personali residentiâ tantùm proueniunt, ideo eiusdem dubij resolutio remissa fuit ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Regentem, qui audiret iura ambarum partium, & decideret &c. Quo verò ad ritus, & cæremonias in admissione obseruatas, eædem fuere, ac illæ expressæ in supra memorata admissione Illustriss. D. Vannicelli, habitâ solitâ eleganti oratione ad Collegium, scilicet:

In hoc Sapientissimo Magnorum Virorum Areopago, dum me numero vestro, licèt meritis longè imparem, adscriptum intueor, Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini, anceps mihi animus est, & linguæ retardatur obsequium. Nam eò vsque largissimè in me planè immeritum profusa beneficia vestra deuenere, vt ad gratiarum actiones, vix cuiuspiam facundia sufficeret Oratoris. Quid verò, si à Purpurato vestrò Capite, mihi collatum perhumaniter munus laudibus velim respondere? Cùm hoc maximè vero accedat ornamento, nos in Viceccancellarium humanissimum Principem promeruisse, cuius in iuuentutis flore floret ingenium, floret musarum chorus, floret omnis vrbanitatis suauitas, plausum sibi iam ex omni parte comparantem, non tantùm Vrbem, sed Orbem deuincire sibi molientem, Eminentissimum Petrum Otthobonum. Ex ipsius comitate, ac mirâ benignitate, quis non vestigia legat Beatissimi Principis nostri Pont. Opt. Max. Alex. VIII. sub cuius disciplina dignissimus Pronepos adoleuit, & cuius beneficijs non deuinctum me modo, sed ferè oppressum

A conspicit. Maturus iam olim imperio, doctrinâ plenus, & consilijs non minus, quàm annis. Vix B. Petri claues suscepit moderandas, cùm exhilarare cœpit omnes in omnes gratiarum cumulos effundere, cursum rebus accelerare, & felicia quæque polliceri. Crescit itaque eò magis silendi necessitas, quò magis se suggerit fandi copia, nec me aliter expediri queam, nisi apum mellicarum subsidium implorem. Eius nempe præstantissimi Præsulis, qui mihi locum hunc dignissimum concessit, vt qui Solem præfert in stemmate radijs suis,
B quasi lineis aureis meum in vos, in Purpuratum caput, in Sanctissimum Pontificem describat obsequium.

Fuit deinde etiam doctum de consuetis, scilicet duc. 5. pro quolibet, & scut. vno, & iulijs 11. 2 $\frac{1}{4}$ pro rata absentium; insuper remansit penes Depositarium rata Illustrissimi D. Vannicelli, donec ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Regente decidatur, an ipsi obueniat, vel distribuenda sit inter præsentes.

Die Veneris 24. Februarij 1690. habita fuit Congregatio in domo Illustrissimi, &
C Reuerendissimi Domini Laurentij Corsini Cancellariæ Apostolicæ Regentis, super negotijs Collegij. In qua interfuerunt idem Illustrissimus Dominus Regens, ac Illustrissimi, & RR. DD. I. D. Thomatus Vicedecanus. I. D. Parraccianus, Ioseph Barloccius, ego à Secretis, I. de Effectibus, ac I. F. Gomez Homen.

In eadem Congregatione disceptatum fuit, quæ rata Abbreuiatoribus illis, qui officium emerunt, cum indulto non suscipiendi habitum, nisi post certum, ac determinatum tempus, concedenda esset; quare
D post longas discussiones, decretum fuit, vt in futurum huiusmodi adueniente casu, nouo Abbreuiatori solummodo concedantur ea, quæ Abbreuiatoribus ab Vrbe absentibus, & post spatium sex vel nouem mensium concedi solent.

Discussum etiam pariter fuit, an de admissione Illustrissimi Domini Sylua participare debeat Illustriss. Dominus Vannicellus, quia iste violaceum habitum nondum susceperat tempore dictæ admissionis, quare omnes Illustriss. Dominos participare minimè posse, iuxta decreta in similibus admissionibus bo:me: Ornani, & Muti.

Fuit etiam decretum, quòd in futurum Substitutis dpeutandis dentur dubia in scriptis, ad quæ eodem tempore examinis, etiam in scriptis ipsi Substituto respondere debeant, & si adamussim responderint, & RR. DD. visum fuerit illos admittere, admissio fiat per bussolam cum votis secretis.

Notandum hìc est, duos Scriptores Apostolicos à Substituti munere reiectos fuisse, eò quia scribendi officium exercebant, & licèt postremus à scribendi exercitio in posterum cessare promittebat, nihilominus quia ab alijs muneribus in Cancellaria detentus erat, propterea gratia ei denegata fuit.

C A P. XVII.

De exequijs RR. DD. Abbreuiatorum.

VM sancta, & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, vt Sacra Script. in lib. 2. Macab. cap. 12. C nos docet; de qua die quadam inter RR. Abbreuiatores in Parco, antequam expeditionum hora aduentaret, sermo habebatur, occasione proximi obitus die 11. Iunij 1672. secuti bo:mem: Nicolai Oreggij Collegij nostri Decani, qui in suo Testamento in pignus peculiaris amoris, quo Collegas prosequebatur, eorum singulis Romæ tunc commorantibus tabulam pictam legauit, ac insuper duo loca montium reliquit, vt ex illorum fructibus anniuersarium pro ipsius, & Abbreuiatorum defunctorum animabus in Ecclesia S. Andreę D de Valle celebraretur: Cogitauimus propterea pium, & proficuum defunctorum nostrorum Collegarum animabus esse, si singulis annis solennem defunctorum missam, cum decentis cenotaphij apparatu pro eisdem defunctis celebrari faceremus; quæ quidem res ab omnibus approbata fuit, ac decretum, vt in posterum ex viginti scutis, quæ singulis annis Collegium nostrum in pauperes erogare solebat, in hoc pium defunctorum opus dimidium conuerteretur, & vnitum fructibus dictorum locorum montium pro eleemosyna A dictæ missæ, ac Anniuersarij RR. Patribus Clericis Regularibus Theatinis Ecclesiæ S. Andreæ de Valle inseruientibus, qui euangelico modo viuentes, quotidianum victum à diuina Prouidentia expectant, assignaretur; quod decretum executioni postea traditum fuit, & die 12. Iunij anni 1675. suum primum sortitum fuit effectum, ac omnes Abbreuiatores tunc in Vrbe præsentes, inter quos egomet, interfuimus cùm solitis Cucullis vulgò Caputijs dictis, in subsellio ad dicta præparato, & panno violacei coloris operto è conB spectu cenotaphij, ad cuius subsellij pedes vnusquisque proprium habebat puluinar, vbi genuflectere posset, ac eisdem ab ipsis Patribus cereus vnius libræ traditus fuit, vt eum accensum in manibus in decantatione *Requiem &c.* teneremus; quibus absolutis, ferè omnes in Ecclesię ministerium dictum cereum eisdem Patribus tradidimus, quem morem hactenus in præfato mense Iunij obseruamus, & ab alijs Successoribus nostris in futurum obseruandum speramus.

C A P. XVIII.

De Oratorio siue Cappellà priuatà Abbreuiatorum.

VM inter alia Abbreuiatoribus de Parco Maiori concessa priuilegia, vnum peculiare, ac conspicuum, sit, nempe: vt quilibet ex illis possit per seipsum, si Presbyter, sin autem per alium quemcumque Presbyterum Secularem, vel Regularem, cuiusuis ordinis fuerit, ab Ordinario prius approbatum, celebrare, aut celebrari facere missam in propria domo; quare nonnulla oriuntur dubia, quæ ad examen reuocata, illaque discussa, omnis dubitandi ansa rescinditur; nostrisque Collegis, quibus priuilegijs ipsi condecorati sint, ac quomodo illis vti valeant, pro viribus ostendemus. Propterea ab alto orationem aggredimur, vt totâ lege perspectâ, facilius sententia proferatur.

Inquirendum igitur est, quænam differentia sit inter Oratorium publicum, priuatum, & Altare portatile.

Ora-

Oratorium publicum censetur illud, quòd habet ostium immediatè respondens viæ publicæ, & nullum habet aditum, vel prospectum à loco priuato, etiam si in priuato solo constructum sit, aut parietes habeat cum ædibus Priuatorum communes.

Item cēsentur Oratoria publica illa, quæ in locis publicis constructa reperiuntur, veluti in Monasterijs, & Hospitalibus Ecclesiasticis. Fagnanus in cap. auctorit. de censibus nu. 24. & seqq. vbi latè Barbos. de Iur. Ecc. Vniu. lib. 2. cap. 8. num. 12.

Priuata autem Oratoria, quæ etiam domestica, siue in domo, dicuntur illa, quæ quisque propriâ auctoritate extruit in propria domo Orationis causâ, non autem quòd ibi sacra peragantur Fag. loco cit. num. 11. & seqq. quare non possunt publicè teneri, aut pulsari Campanæ, nec missæ celebrari, quia quod est hodie Oratorium cras poterit esse Camera, Fag. ibid. num. 6. & 27. Diana part. 9. tract. 1. resol. prima, Barbos. loco cit. num. 16.

Altare verò portatile, aliter Viaticum denominatum, nil aliud est, nisi quod ille, qui habet tale priuilegium possit secum Altare deferre, & celebrare, seu celebrari facere in itinere, in aliqua Camera honesta, etiam tempore interdicti, vt habetur in glos. c. quoniam de priuil. in 6. quod priuilegium Sacra Congregatio Concilij declarauit non fuisse sublatum per Concilium Tridentinum, vigore cap. vnici sess. 22. de obseruan. & euitan. in celebrat. miss. vt docet Fag. in cap. quod nonnullis De priuil. vnde illi, qui habent hoc priuilegium possunt illo vti in quocumque loco, & Diœcesi etiam contradicente Episcopo, Fag. ibi num. 8. & 9. Barbos. de Iur. Ecc. vniu. lib. 2. cap. 8. num. 2. & 4. adden. plura Mandos. in praxi Signat. Gratiæ tit. Altare portatile.

Breuiter ostenso, quid sit Oratorium pulicum, & quid priuatum, & quid Altare portatile, & cùm dubium missæ celebrationem respiciat, pro maiori claritate indagandum est, quonam tempore, quonam loco hoc incruentum Sacrificium antiquitus peractum fuerit; quod clarè nobis patefacit Alcuinus De diuinis Officijs c. de celebratione missæ, & eius significatione, qui sic ait.

A *Celebratio missæ in commemorationem passionis Christi peragitur. Sic enim ipse præcepit Apostolis tradens eis Corpus, & Sanguinem suum: Hoc facite in meam commemorationem. hoc est in memoriam passionis meæ, tanquam diceret: quòd pro vestra salute passus sum ad memoriam reuocate, & pro vestra, vestrorumque salute eadem proferre curate. Hanc Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse; in qua tres tantummodo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, vbi dicitur: Hanc igitur oblationem. Missa* B *autem dicitur quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus fidelis de suis meritis non præsumens, preces, & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre desiderat per Ministerium, & orationem Sacerdotis ad Deum transmittat, quem mediatorem inter se, & illum esse cognoscit, confidens per eius orationem, atque intercessionem à malis omnibus liberari, atque Creatori suo reconciliari, & in omnibus corroborari &c.* Licèt hîc certus non exprimatur locus, vbi Apostolorum Princeps celebrauerit, C attamen coniectari potest, quòd in priuata celebrauerit domo ad hoc destinata, cùm publicæ Ecclesiæ tunc non haberentur, vt infra ostendemus, quòd postea fidelibus etiam interdictum fuit ob persecutionis metum, quoniam fuerunt coacti in cryptis celebrare. Testatur hoc Cornelius Sanctissimus Pontifex, scribens ad Lupicinium Episcopum Viennensem: *Scias*, inquit, *frater carissime, Arcam Dominicam vento persecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Christianos vbique tormentis varijs affici; nam ad hoc in Vrbe Romana Imperator constitutus est, vnde* D *publicè, neque in cryptis notioribus missas agere Christianis liceat.* Apud Binium in eiusdem Pontificis Epistolis.

In Carceribus etiam celebratas fuisse missas, desumitur ex S. Cypriano in epist. 4. Presbyteris & Diaconibus: *Itaut*, inquit, *Presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconi per vices alternent; quia etiam mutatio personarum, & vicissitudo conuenientium minuit inuidiam.*

In Tugurio legitur de S. Apollinare Episcopo, & Martyre, de quo in Martyrologio Adonis: *Habebant Christiani Tu-*

gu-

gurium non longè à muro, in quo ille Missas faciebat; baptizabat autem in mari in nomine Patris &c.

In Domo. Paulinus in vita S. Ambrosij ait: *Cùm Transtyberim apud quendam Clarissimum inuitaretur, vt sacrificium in domo offerret, quædam Balneatrix, quæ paralytica in lecto iacebat &c.*

Ex dictis colligi potest, quòd in primitiua Ecclesia non erat præscriptus certus, & determinatus locus; sed vnusquisque, prout eius pia, & deuota voluntas, vel necessitas exigebat, ibi ministrabat. Legitur, missas etiam celebratas supra corpora Sanctorum, supra pectus, in manibus Diaconorum, in titulis, in campis, in tentorijs, in cellis, ante lectum, ac etiam in mari, vt videre est apud eruditum Casalem de Vet. Sac. Christ. Rit. c. 9. & apud Eminentissimum Bona in suo Rerum liturgicarum lib. 1. cap. 14.

Quòd Antiquorum Sacerdotum introduxerat Religio, eorundem Successorum reprehensibilis interdixit indulgentia, tam in Ecclesia Latina, quàm Græca; nam in sexta Synodo, seu Constantinopol. 3. aut Trullano Concilio cap. 31. sic sancitum fuit.

Clericos, qui in Oratorijs, quæ sunt intra domos, Sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere decreuimus. Quare si quis Clericus hoc non seruauerit, deponatur.

Laudandæ semper memoriæ Eruditissimus Lupus in Scholio ad præfatum Canonem, quod tam à viris, quàm à fœminis Nobilibus haberetur Oratorium, Altare, & domesticus Presbyter, docet esse antiquissimum morem, & apud Latinos, & apud Græcos id plurimis probat exemplis. Ac Canonis huius causam dedisse narrat Seuerum Antiochenum, & alios, de quibus conquerebantur Archimandritæ Diœceseos Constantinopolitanæ, Antiochenæ, ac Hierosolymitanæ, nempe: *In multas domos eorum, qui in excellentia sunt, intrant, ac indecentia faciunt in ipsis proprijs domibus, & suburbijs, Altaria, & Baptisteria erigunt in oppositum veri Altaris, & Sancti Fontis, & omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium ab ijs, qui in domo Domini, & aliquo alio modo potentes sunt.*

A Post nonnulla lustra, quod in Græcia denegatum fuit, cæpit etiam denegari in Germania, & alijs Prouincijs, vt deducitur ex Capitularibus Caroli Magni; in istius enim Capitulari an. 769. sic habetur: *Nullus Sacerdos nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere positis, in Tabernaculis, & Mensis lapideis ab Episcopo consecratis missas celebrare præsumat, quod si præsumpserit, gradus sui periculo subiacebit.*

Ex Capitulari 3. Aquisgranensi Anno 789. cap. 9.

B *Vt in diebus festis, vel Dominicis, omnes ad Ecclesias veniant, & non inuitent Presbyteros ad domos suas ad missas faciendas.*

Ex Capitulari Episcoporum Anno 801. cap. 9.

Nullus Sacerdos in domibus, vel in alijs locis, nisi Ecclesijs dedicatis celebrare missas audeat.

Ex Capitulari Ingilenheimensi An. 826. cap. 6.

C *Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibidem potest, Missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat sine permissu, vel dedicatione Episcopi loci illius: Quod si fecerit, domus illius Fisci viribus addicatur. Comes verò, qui hoc cognouit, & non prohibuit, publica pœnitentia mulctetur, vel honore priuetur.*

Idem habetur in lib. 5. Capitular. c. 383. & in cap. 15. Isaaci Episcopi Lingonensis. Ibidem in additione tertia tom. 1. eorundem Capitul. cap. 75. hoc tantummodo immutato loco verborum: *Comes verò &c.* legitur: *Præfectus Pratorij, qui hoc cognouit, & non prohibuit, libra auri mulctetur.*

D Ex eodem lib. 5. Capit. Ansegiti Abbatis cap. 178.

Sanctum est, vt nullus Presbyterorum in domibus ab Episcopo non consecratis oblationem offerre quoquomodo præsumat.

Ex lib. 6. Capitul. eiusdem Ansegiti cap. 201.

Vt nullus Presbyter Sacra mysteria, nisi in locis ab Episcopo consecratis agere præsumat.

Ex lib. 9. Capitul. cap. 431.

Statutum sæpissimè, & inhibitum est, vt missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omninò non debeant. Simul & hoc decretum est, vt si quis Presbyterorum exce-

excepto quando in itinere pergitur, & locus Basilicæ procul est, & id in Altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine missarum celebratione, & Corporis, & Sanguinis Dominici perceptione maneat, missarum celebrationes in huiusmodi illicitis locis post tot, tantasque prohibitiones facere tentauerit, gradus sui periculum incurrat, & hoc populis denunciandum summoperè à Sacerdotibus, ac prædicendum est, ne missas in prædictis illicitis locis Sacerdotibus cantare suadeant, vel hac illicita facere Presbyteros deprecentur. Quoniam scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus, vt ponat nomen suum ibi. *Satiùs igitur est missam non audire, quàm eam, vbi non licet, nec oportet celebrare, nec audire. Et in Canonibus legitur, vt nullus Sacerdotum in domibus, vel alijs locis, nisi in Ecclesijs dedicatis celebrare missas audeat. Si quis contra hæc decreta egerit, canonica correctione feriatur. Simul & hoc statutum est, vt nullus Sacerdos in alijs, quàm in Deo dicatis vasis, & ab Episcopis consecratis ministrare, seu missas celebrare præsumat, quia sicut non est concessum, vt alij missas cantent, & sacrificia consecrent, quàm illi, qui ab Episcopis cõsecrati sunt, ita non est licitum in alijs domibus, vel Altaribus, aut vasis missas Sacerdotes celebrare præsumant, quàm ab Episcopis consecratis. Sunt etiam ab Episcopo consecranda, & benedicenda corporales, pallæ, ac alia vestimenta Sacerdotalia, nec non & omnia, quæ in vsus Basilicæ, vel Altaris, siue in ministerio Sacerdotum ad diuina mysteria explenda complectuntur, quatenùs cum his sacris Deo sacratiùs, siue placabiliùs ministrare valeant. Vndè, & in alijs Sanctorum Patrum decretis legitur. Quanquam Deum vera fide vbique orare liceat, Sacrificia verò offerre, aut Corpus Domini confici nullo modo legimus, aut veraciter scimus in alijs locis iustè fieri, nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis, nisi causa hostilitatis, aut summæ necessitatis, & hoc non in mansionibus, aut in domibus non sacratis, sed in tabernaculis dedicatis ab Episcopis, & Altaribus à Pontificibus sacra vnctione vnctis, & diuinis precibus consecratis, & hoc summa ex necessitate, & in itinere procul ab Ecclesia positis, ne populus sine missarum solennibus, & Sacramenti Corporis, & Sanguinis Domini Iesu Christi perceptione remaneat. Ab antiquis autem Patribus, & Prædecessoribus nostris nulla alia ex occasione, aut pigritia, seù præsumptione, sed propter dictam necessitatem hoc concessum esse legimus. Aliter quoque, nisi vt præfixum est in locis non consecratis missarum solennia agere non licet, & hoc nonnisi ex summis, & pro prædictis necessitatibus fieri vllo modo licet, quoniam lex diuina admodum præcipiens ait:* Caueat quisque ne offerat holocausta sua in omni loco, sed in loco, quem Dominus elegit. *Et alibi.* Rectè offert, qui ad Ecclesiam necessitate præoccupante, aut infirmitate venire non potest, & *alicubi* Deum orat, *sed non rectè diuidit, qui in locis illicitis, & Altaribus minimè consecratis missarum celebrationes peragit. Multò enim melius est missas non cantare, aut audire, quàm in locis illicitis missas cantare, aut audire, quoniam qui illicita agit, & prohibita facit, non modicum errat, & nimis peccat, & nisi pœnitentiam canonicè, & iustè in hoc seculo ex hoc egerit, maximam condemnationem in futuro iudicio propter hoc indubitanter percipiet, multa verò, & innumerabilia exempla ex his in supradictis legalibus, & in alijs canonicis, & diuinis libris inueniuntur, quæ hic pro prolixitate inserere distulimus, & pro fastidio, ac labore Scriptorum, siue Lectorum hic non inseruimus. Nam si quis ex his potiora, & plura exempla inuenire desiderat, in prefixis libris sufficienter legendo, & diligenter quærendo inuenire poterit. Si quis ergo post tot prohibitiones hæc decreta Apostolica, & Synodalia, atque imperiali auctoritate renouata, & maximè omnium Imperij nostri populorum, ac procerum nostrorum consensu, & hortatu conscripta, atque firmata temerare præsumpserit, si Clericus fuerit, gradus sui periculo subiacebit; Si verò Monachus, aut laicus fuerit, à liminibus Ecclesiæ vsq; ad Ecclesiæ satisfactionẽ extorris fiat; Si autẽ quod absit, suo Episcopo, vel reliquis Sacerdotibus inobediens, vel contumax extiterit, à Comitibus, vel missis nostris comprehensus, in carcerem vsque ad nostram, & proprij Episcopi, atque Ecclesiæ satisfactionem sub magna ærumna retrusus maneat.*

In

In additione 3. c.70. eiusdem Capitular.

In quibus locis, & quo apparatu missarum solennitates, exceptis Basilicis, celebrari debeant, in Concilio Laodicensi ita habetur. *Quòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel Presbyteris. De his, quæ ad aurium, & oculorum pertinent oblectamenta, quæque Sacerdotes vitare debent.*

Ex Parisiensi Concilio celebrato Anno 829. sub Gregorio IV. Canon. 4. *Plerique Presbyteri, neglectis Basilicis Deo dicatis in domibus, & hortis, missarum celebrationes contra diuinam auctoritatem, institutionemque facere præsumunt.*

Ex capitulari Caroli Calui anno 876. cap. 7. erga finem.

Nullus latibulosa missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia Episcopi.

In Synodo Moguntina Anno 888. sub Stephano VI. cap. 9. *missarum solennia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi permiserit, celebranda esse censemus; concedimus etiam, vt sicubi Ecclesiæ fuerint intentæ, in Cappellis missas interdum liceat celebrare, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, subdio, seu in tentorijs, si tabula Altaris consecrata, cæteraque ministeria, ad id officium pertinentia, adsint, missarum solennia celebrari permittimus.*

In Concilio autem Metensi eodem Anno celebrato Can. 5. videtur hoc idem fuisse sancitum. *In locis non consecratis, idest in Solarijs, siue in Cubiculis propter infirmos, vel longius iter, à quibusdam Presbyteris sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum est.*

Post quinque, & vltrà secula, hunc morem adhuc viguisse colligitur ex Senonen̄, seu Parisien̄ Concilio sub Clemente VII. An. 1528. vbi in Canone 4. sic habetur,

Non liceat in Oratorijs priuatis, quæ in domibus priuatorum interdum habentur. missas celebrare, prætextu dispensationis Sedis Apostolicæ, nisi prius visis ab Episcopo, recognitis, & approbatis dictis literis dispensationis.

Quod decreuerant particularia Concilia ab vniuersali demum Tridentino fuit

A approbatum. Nam in sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ sic sancitum est.

Non patiantur in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.

Ex hactenus allegatis auctoritatibus colligitur, morem hunc celebrandi in domo circa septimum, octauum, & nonum Seculum vltramodùm se propagasse,

B quod comprobatur auctoritate itidem Theodulphi Aurelianen̄ Episcopi, qui vixit in fine octaui seculi. Is enim scribens ad suos Compresbyteros, sic ait: *missarum solennia nequaquam alibi, nisi in Ecclesia celebranda sunt, nec in quibuslibet domibus, & vilibus locis, sed in loco, quem elegerit Dominus iuxta Deut. 12. vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus, vt ponat suum nomen ibi.*

Licèt hactenus sit ostensum, nequaquam licere missas in priuatis celebrare

C Oratorijs, attamen quandoque varijs suadentibus rationibus, & ex Apostolicæ Sedis Indulgentia id Magnatibus permissum fuit, vt desumitur ex Epist. 43. Sancti, ac Magni Gregorij scripta Ioanni Episcopo Syracusano Indict. 14. nempe Ann. 596. quâ ei Pontifex mandat, vt amicitiæ, pacisque causâ, quæ inter Ecclesiæ, & Seculi Præsides esse debet, in Venantij Præfecti domo Sancta missarum solemnia celebret. sic in maiorem Lectoris gratiam Epistolæ habet particula:

Quamuis causa fuerit, quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non im-

D *meritò prouocaret, vt nec oblationes Domini Venantij voluissetis suscipere, nec in domo ipsius Sacra missarum sineretis celebrari, tamen quia ita terrena agi debet vtilitas, vt nullum vos iurgium à charitatis valeat connexione disiungere: proinde charitatem vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenùs & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine, & Deo placita debeatis sinceritate suscipere & in domo ipsius missarum peragi mysteria permittatis, vt sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis acce-*

dere,

dere, & celebrando apud eum missas priorem gratiam reformare.

Quòd Nobiles consueuerint habere Oratorium in domibus suis testatur etiam Odo Abbas in libro de miraculis S. Mauri cap.2. Eum in domo sua, quæ Boseus vocabatur, & Nobilioribus mos est, habuisse Oratorium, in quo & matutini hymni recitabantur, & Psalmi, ac Preces Christianæ. Auctorem hunc citat Cl.V.Steph.Boluz.in Not.ad Capitul.Tom.2.col.1217.

Non obstantibus istis Conciliarijs decretis non solùm ab Apostolica Sede, verùm etiam ab Episcopis in eorum Diœcesi etiam post Tridentinam Synodum, similes licentiæ celebrandi in Oratorijs priuatis concessæ fuerunt, quæ postmodum à Paulo V. sanctæ mem. eisdem Episcopis interdictæ fuere, vt docet Fagn.in cap.auctoritate de Censibus num.18.& confirmat Nouarius in sua Summa Bullarij in Comment.80. par.1. allegando resolutionem Sacræ Congregationis eiusdem Concilij, cui similes concedendi facultates olim competebant, vt num.22. Fagnan.loco cit. docet superque narrata confirmat recens Pignatel.in suis Consult.to.6.Consult.98.nu.33. hodie tamen puto similia Indulta per eandem Congregationem minimè concedi, quia illa vidi per Secretariam Breuium expediri.

Quare hìc opere pretium est indicare etiam quot adsint viæ pro impetrandis, siue expediendis similibus gratijs, & tres obseruo.

Prima est per Congregationem Sacri Concilij Tridentini, quæ quando similes concedit facultates, infrascriptas conditiones apponere solet.

Primò, vt Oratorium constituatur in loco decenti, & clauso, visiteturque, & approbetur ab Ordinario.

Secundò, vt facultas hæc non concedatur nisi viris, aut fœminis primarijs, morbo, aut alia causa impeditis, ne ad Ecclesiam accedant.

Tertiò, vt die Paschatis teneatur is, cui conceditur, adire Parochialem Ecclesiam.

Quartò, vt id concedatur sine præiudicio iurium Parochialium.

Quintò, vt qui ibidem missas audierint non liberentur ab obligatione, diebus de præcepto, adire Ecclesiam, pro missis au-A diendis præter eos famulos, & famulas tantùm, qui seruitio Domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarij, Fagnan. in eodem cap. auctoritate de censibus nu.22.

Secunda via est per supplicationem signandam à Sanctissimo, & per Datariam expediendam, & postea vigore eiusdem supplicationis expediendum Breue, siue Bulla. Dataria etiam in similibus gratijs easdem conditiones apponere solet in hunc modum, videlicèt.

Et committatur Ordinario, qui, si vel postquam dictum Oratorium ab eo visita- B *tum, & approbatum fuerit, licentiam prædictam arbitrio suo duraturam Oratori concedat, & sine Parochi, & iurium Parochialium præiudicio, & exceptis Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & alijs solennioribus Anni festiuitatibus; Et quod ij, præter familiares, & domesticos ipsius Oratoris eius seruitio necessarios, qui Dominicis, & alijs de præcepto Ecclesiæ, seu loci consuetudine festiuis diebus, missam ibidem audierint, non sint propterea nec esse censeantur exempti, de quo moneri debeant, quominus ijsdem diebus ad Ecclesiam pro missa audien-* C *da accedere debeant, & teneantur.* Hodie tamen huiusmodi gratiæ per Datariam non expediuntur; sed per Breue.

Tertia via est per Secretariam Breuium, quæ itidem cum ijsdem restrictiuis, siue conditionibus concedit.

In maiorem Lectoris gratiam non abs re erit etiam hìc referre formulam Indulti Altaris portatilis, cuius concessio ante Trident. Synodum frequens erat, quæ sic se habet.

Dilecto filio Nobili Viro D.N.Diœc salutem &c. Sinceræ deuotionis affectus, quem D *ad Nos, & Romanam geris Ecclesiam non indignè meretur, vt petitionibus tuis, illis præsertim, quas ex deuotionis feruore procedere conspicimus, quantum cum Domino possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est, quod Nos tuis deuotis supplicationibus inclinati, vt liceat tibi habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, possis per proprium Sacerdotem idoneum, missam, & alia diuina officia, sine iuris alicuius præiudicio, & in tua præsentia facere celebrari; deuotioni tuæ tenore præsentium indulgemus. Nulli &c.*

Examinetur nunc concessio, facta à sanct. mem. Vrbano VIII. Collegio nostro, quæ est per Datariam, in forma Mo tus proprij, & super eo expedita Bulla sub plumbo per Cancellariam, cuius parti culæ tenor sequens est.

Vrbanus &c. Consueuit Romanus Pontifex in supremo Apostolicæ Dignitatis solio ex Præpotentis Dei, cuius vices inferiori hoc orbe gerit, prouidentia constitutus, studium Paternæ beneuolentiæ suæ in personas, quæ continua obsequia, & labores in eiusdem Pontificis honorem, & Apostolicæ Sedis auctoritatem ferre, & impendere non desistunt, peculiari affectu, & cura conuertere, & prout eorum merita, & commissa sibi eiusdem Sedis officia promereri videntur, easdem condignis amplioris fauoris, & gratiæ titulis, & nostræ liberalitatis beneficijs decorare. Cùm itaque dilecti filij Magistri literarum Apostolicarum Abbreuiatores, in quorum numero Nos, olim in Minoribus constituti, adscripti fuimus, in literis gratiarum à Romano Pontifice concessarum dirigendis, atque firmandis nedum vtilem, sed etiam necessariam operam assiduis laboribus præstare C *noscantur. Nos Collegium Abbreuiatorum huiusmodi, vt ipsi, & pro tempore existentes literarum Abbreuiatores aliquid nostræ in eos, eorumque Collegium gratitudinis, & beneuolentiæ monumentum asportasse lætari possint, & in posterum in expeditione literarum huiusmodi studiosiùs inuigilent, specialis gratiæ fauore prosequi volentes, ac dd. Magistros modernos dd. literarum Abbreuiatores, & eorum singulos à quibusuis &c. censentes; nec non omnium & singulorum priuilegiorum &c. pro expressis habentes, Motu proprio &c. eisdem* D *Abbreuiatoribus nunc, & pro tempore existentibus, vt ipsi, & eorum singuli pensiones annuas &c. Apostolica auctoritate transferre, nec non in Oratorijs, seu Cappellis in eorum ædibus bene, & decenter constructis, ac in rebus omnibus ad missæ Sacrificium requisitis instructis, ac ab omnibus domesticis vsibus liberis per se ipsos celebrare, seu per alium quemcumque Presbyterum secularem, vel cuiusuis ordinis regularem, ab Ordinario approbandum, quamdiù tamen officia huiusmodi obtinuerint, non autem illis dimissis celebrari fa-* A *cere &c. perpetuò concedimus, & indulgemus &c.*

Huius Constitutionis tenorem Oratorium, siue Cappellam concernentem de nouo referre duximus, licet superius in cap. xv. integram Constitutionem retulerimus, cùm opportunò esse censuerimus hìc illam repetere, vt sub oculis appareat, quanti æstimaret iste Sanctissimus Pontifex Collegium nostrum, in quo ipse, nonnullique alij Pontifices Cardinalesque, ac alij meritis, & virtutibus insignes Viri prodiere, vt in Catalogo infra inferendo vbe- B riùs demonstrabimus.

Meritò igitur idem Vrbanus fel. semper mem. noluit concedere priuilegium hoc in forma communi, sed specificâ.

Perpendantur propterea vlterius causę, siue rationes, quare Episcopis similes concedantur facultates, quæ à Fagnano sic referuntur.

Prima est, quòd hæc concessio potius dici potest prærogatiua Dignitatis, quàm Ordinis. Fagnan. in C. quod nonnulli de Priuil num. 15.

Secunda, quòd non decet Episcopos, eorumque Superiores transire absque rationabili causa vllum diem sine missa Fagnan ibi num. 21. quod habetur in cap. fin. de Priuil. in 6.

Tertia addit glos. in eodem cap. quòd Episcopus in itinere de mane ante Campanam diei dicere, vel facere dici possit missam, & pergere vias suas, & sic non impeditur in dicta, quod fieret, si haberet necesse expectare diem, & horam solitam, & opportunitatem Ecclesiæ.

Rationes istæ possunt diuersimodè applicari Collegio nostro.

Primò, quòd hæc concessio sit prærogatiua Dignitatis, & ob id Collegio nostro competat probatur primò, quia Abbreuiatores sunt Nobiles, Comites Palatini, Notarij Apostolicæ Sedis, & PP. familiares, vt declarauit Leo X. in sua Constitutione in præcitato Cap xv. expressa, vnde inter Romanæ Curiæ Primarios esse connumerandos Abbreuiatores ambigendum minimè est.

Secundò. Eò ipso, quòd sunt creati Abbreuiatores, censentur Referendarij etiam ex supra relata Constitutione Pauli V. in eodem Cap. xv. pariter expressa.

Ter-

Tertiò. Dispensantur ab Obseruantia Bullæ Pij IV. De registrandis gratijs; vt Paulus V. in supra relata Constitutione declarauit.

Quartò. Vnus assistit Signaturæ Gratiæ Pontificis. Laudatus Paulus V. ibidem.

Quintò. Alijs prærogatiuis, & gratijs gaudet Collegium nostrum, quas supra in hoc Opere, & præsertim in dicto Cap. xv. ennnciauimus cum solitis restrictiuis concessa est, quia sicut in multis prærogatiuis alia ipsius Curię Collegia excellit ita etiam in hoc conuenit, quòd antecedat. Et hoc demonstratur exemplo. Nam Gregorius XV. volens gratificari Episcopis, Cappellæ Assistentibus, inter alia priuilegia, eis concessit Oratorium priuatum, sed cum conditione, quòd prius visitaretur per Vicarium Vrbis, & vna missa pro vno quoque die, & sine præiudicio Iurium Parochialium celebraretur, & quòd eorum familiares non liberarentur ab obligatione audiendi Missas in Ecclesia diebus de præcepto. Hæ conditiones appositæ fuere, non obstante, quòd Collegium istud ex Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis compositum sit.

Secunda ratio supra allegata, quòd non decet Episcopos vllum diem, absque rationabili causa, sine missa transire. Id etiam Abbreuiatoribus applicari potest, cùm sint tot capita Cancellariæ Apostolicæ, vnde Cancellariæ Apostolicæ Officiales sibi subditos, & alios, ad eos, pro diuersis negotijs, recurrentes, exemplo instruere debent.

Tertia ratio, similiter à gloss. allegata, diuersimodè etiam nostro Collegio applicari potest, cùm teneamur dare operam literis, & si deberemus quotidie expectare campanæ signum, & opportunitatem Ecclesiæ, pro missa auscultanda certè multum temporis detraheretur studio, & seruitio Apostolicæ Sedis, vt innuit laudatus Pontifex Vrbanus in eius exordio.

Demonstrauimus huc vsque qualitatem Oratorij, seu Cappellæ Abbreuiatorum, quod absimile minimè est ab illo Episcoporum. Quare operæ pretium poscit, vt inceptam disquisitionem, progrediamur, ac nonnulla dubia, quæ ob hanc causam oriri possunt, examinemus.

A Primum, & frequens est. An si quis audiat missam, die festo, in priuato Oratorio alicuius Magnatis, satisfaciat præcepto.

Dubij huius resolutio dependet ex priuilegij inspectione, an adsit aliqua restrictiua, seu conditio, vt benè aduertit doctissimus Diana in part. 9. tract. 1. resolut. 3. vbi docet, quòd si adsit decretum: *Volumus autem, vt familiares, seruitijs tuis non necessarij, missæ interessentes, ab obligatione audiendi missam in Ecclesia, in diebus festiuis de præcepto, minimè liberi* B *censeantur*. Tunc peccare mortaliter illos, qui non sunt comprehensi in priuilegio audiendi missas in ijsdem Oratorijs, diebus festis de præcepto. Hæc Pontificis verba sunt luce clariora; secus autem dicendum est de Oratorijs Episcoporum, Regularium, & vigore Bullæ Cruciatæ, *vbi non adest vlla limitatio*. At Breue nostrum est absque vlla limitatione, ergo Oratorium nostrum gaudet eodem priuilegio, quo gaudent supra relata Oratoria, quia vbi militat eadem ratio, militat eadem Iuris dispositio in materia fauorabili C Diana loc. cit. resol. 2.

Plures aliæ rationes adduci valerent, sed breuitatis studio omittimus, cùm apud eundem Dianam tract. 8. resol. 40. videri possint.

Secundum dubium insurgit, quando aliqui in domo commorantur illius, qui habet Indultum Oratorij priuati, sed viuunt proprijs expensis, an isti tales gaudeant priuilegio audiendi missam in diebus festis de præcepto in eodem Oratorio.

Supra memoratus Diana in eadem D part. 9. tract. 1. resol. 6. hoc discutit dubium; & se validè opponit sententiæ Pellizarij, affirmantis, eosdem tales satisfacere præcepto, & inter alias, quas Diana affert rationes, illa præcipua est, quòd ijdem, adhoc vt dicantur de familia, oportet, vt habeant quandam habitudinem subiectionis ad caput eiusdem Familiæ. Quare sub familiæ nomine non venire fratrem, & vxorem fratris, cum sua familia habentem propriam mensam, redditus, & famulos separatos, à suis expensis viuentes.

Ista Dianæ resolutio fundatur in dicta

restrictiua, quæ in similibus Breuibus apponi solet, quòd præter familiares, & domesticos Oratoris, eius seruitio necessarios, qui in Dominicis, & alijs de præcepto Ecclesiæ, seu loci consuetudine festiuis diebus missam ibidem audierint, non sint propterea, nec esse censeantur exempti. Verùm quando talis non adsit conditio, deficit fundamentum, super quo præfata resolutio erecta fuit. Et nostrum Breue remanet in viribus suis, & non solùm familiares, & domestici in eadem domo, verum etiam extranei satisfaciant præcepto, vt dixi in primo dubio.

Tertium oritur dubium, an Oratoria priuata vbique suffragentur Priuilegiato.

Affirmatiuam tuetur sententiam præcitatus Diana in eisdem parte, & tractatu resol. tamen 7. vbi docet, quòd tale priuilegium est personale, & propterea personam sequitur, & cum eadem perseuerat, & extinguitur. Cui addo Indultum nobis concessum nullam in se continere conditionem præterquam, quod Oratorium sit benè, & decenter instructum in eorum ædibus &c. ex hoc argui potest, quòd si quis nostrum habeat plures domos, & in Vrbe, & extra, & in vnaquaque earum habeat Oratoria, decenter instructa, ad formam Indulti, in eodem poterit pro suo libito celebrare, vel audire missam contra sententiam Dianæ in resol.22. vbi negatur: fundata sua intentione in quodam exemplo cuiusdam Marchionissæ id petentis, & à Pontifice denegatum; præterea quòd priuilegium celebrandi missam in Oratorijs priuatis, maximè existentibus in domibus laicorum, est potius odiosum, quàm fauorabile, quia est minus decens reuerentiæ debitæ huic sacrificio. Quæ rationes sic à Diana allegatæ non videntur applicari posse Collegio nostro, cum repræsentet corpus Ecclesiasticorum, & sæpè sæpius Collegæ nostri sint Sacerdotes, & per se ipsos celebrent. Supradictam meam sententiam confirmat Pignatel. in suis resolut. tom. 6. resol.98.num.56. & 57. Vbi asserit, quod quando priuilegium est personale, tunc sequitur personam, aliàs esset quodamodo coarctatio ad locum.

Quartò. Quandoque ab Episcopo est interdictum Regularibus, ne Eucharistiam Secularibus administrent; vnde oritur du- A bium, an isti Regulares, stante præfatâ prohibitione, possint in Oratorio priuato missam celebrare, & Sanctissimam ministrare Eucharistiam; præfatus laudabilis semper memoriæ dignus ob immensos suos exantlatos labores Diana in resol.8. præcitatorum locorum benè triturando dubium id negat, sed adsunt validæ rationes, & Theologi pro vtraque parte, quos, breuitatis gratiâ referre omitto.

Quintò. Non infrequens insurgit alium dubium, in quibus diebus non sit licitum celebrare in Oratorio priuato.

B Sequendo resolutiones præcitati Dianę; in hoc dubio dico solutionem pendere ex Breuium inspectione, in quibus, vt plurimum solennes festiuitates excipi solent; in nostro autem nulla reperitur exceptio; ergo etiam in Solennioribus, & in Natali, & Paschate audiendo, vel celebrando missam in Oratorio Ecclesiæ præcepto satisfit. Verùm si hoc fieret, id fieri deberet magnâ cum circumspectione, ne incommoda sequerentur, maximè in festis solennioribus, in quibus congruit valdè ad exemplum, ædificationemque populi, vt C Nobiliores, Illustrioresque personæ publicas frequentent Ecclesias, & in eis Sacramenta recipiant. Expedit enim, quòd non detur locus multitudini audiendi missam in suis Oratorijs, sed vt ipsi etiam ad Ecclesias accedant, ibique concionem audiant, Sacramenta frequentent, & alios ad pia opera suo moueant exemplo, aut aliorum exemplo ipsi alliciantur, & Parochi etiam non defraudentur oblationibus. Non obstant, quæ in contrarium adducuntur à Barbos. & ab alijs ab ipso allegatis in lib. 1. de Iur. Ecc. vniuers. cap. 8. D n. 6. quia eorum intentio fundatur in conditionibus, siue restrictiuis, quæ apponi solent à Sacra Congregatione, vel à Dataria, vel Secretaria Breuium, vt sæpè diximus.

Auulso vno non deficit alter. Sic mota dubia, resoluto vno alter insurgit, ac est.

An missa celebrari possit in Oratorio priuato, absente Domino, & præsente solummodo eius familiâ. Pro negatiua dicendum videtur, quòd absente Domino missa celebrari minimè possit, quia priuilegium est personale, ac in illo familia expressa minimè est. Sed huic obiectioni responden-

dendum puto, omnia similia Indulta personalia esse, quia conceduntur Dominis, & non familiæ, & si Dominis tantùm suffragari deberent inania essent, quia sæpè Domini familiaritatis seruitio destituerentur, cùm plurimi ex familia, sub missæ prætextu, per longum temporis spatium ab illo se eximerent, quare in locum commodi maximum incommodum ex eiusmodi Indultis Domini experirentur. In nostro autem Indulto familia expressa non fuit, non ad restringendam gratiam, sed ad illam ampliandam, vt clarè patet, quia in illo, nec vlla minima restrictio apposita fuit; & plenissima Concedentis gratia sufficienter arguitur, ex ipsa Bullæ lectione, vbi Pontifex Vrbanus fatetur, se, dum in Minoribus erat, in Collegium adscriptum fuisse, vnde, tam ob hanc gratam memoriam, quàm etiam, quia Franciscus Barberinus, eius Patruus, iam per antea Abbreuiator fuerat, vt infra in Abbreuiatorum Catalogo ostendimus, voluit supranarratis priuilegijs absque vlla restrictione Collegium nostrum decorare. Ex dictis igitur omnis obiectio corruit. Restat modo moti dubij examen; An familia absente Domino gaudeat, cuius dubij resolutio est affirmatiua, vt tenet idem Diana in resol. 2. prædicti tract. primi par. 9. asserens, quòd hæc sit communis praxis.

Nolumus rem aliquam intentatam relinquere; cùm enim insurgant duo alia dubia, quæ peculiarem requirant inspectionem, videlicet quâ horâ ante lucem & qua post meridiem quis in Oratorio priuato missam celebrare valeat. Horum dubiorum enodationem proposuit Eminentiss. Franciscus Maria Cardinalis Brancatius suâ doctâ dissertatione de priuilegijs quibus gaudent Cardinales in proprijs Cappellis; nihilominus, cum omni erga tantum Purpuratum reuerentia, aliqua in Eruditorum gratiam addere duco, vt sęculi genio eruditionum amanti magis satisfacere valeam.

Huiusmodi dubiorum solutionem Ecclesiasticæ historiæ Parens Cardinalis Baronius aliquâ in parte attigit ad annum 34. n. 61. Vbi docet Dominicam cænam à Domino, diei horâ vespertinâ, institutam fuisse. Hanc autem consuetudinem apud nonnullas Ecclesias celebrandi vesperè reman-
A sisse, sed à ieiunijs sacrificium offerrebatur. Hunc viguisse vsum in Ecclesia Affricana demonstrat auctoritate Sancti Cypriani in Epist. ad Cæcil. 63. vbi. Iste zelantissimus fidei Athleta sic fatur *Cæterùm omnis Religionis, & veritatis disciplina subuertitur, nisi id, quòd spiritaliter præcipitur, & fideliter reseruetur, nisi si in sacrificijs matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi*. Et paulò post: *Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere? An illa si-*
B *bi aliquis contemplatione blanditur, quod & si mane aqua sola offerri videtur, tamen cùm ad cœnandum venimus, mixtum Calicem offerimus*. Ex huius Sancti Martyris auctoritate clarè deducitur, horis antelucanis Eucharistiam priscos fideles sumpsisse, qui si distulissent in cænæ tempus plebs ad conuiuium conuocari non potuisset; id etiam innuit Tertullian. antiquissimus Ecclesiasticorum rituum Scriptor, ac eiusdem Cypriani Prædecessor; ille ergo de corona sect. 3. sic ait: *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & om-*
C *nibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm Præsidentium sumimus*; cuius locum eruditissimus Bona in suo rerum liturgicarum lib. primo cap. 21. num. 23. sic exponit: *tempore victus idest cænæ; qua hora Christus hoc mysterium instituit, Eucharistiam sumimus, atque etiam antelucanis cætibus, & consequenter ante omnem cibum*; at ego tanti Eminentissimi pace, pro antelucanis cætibus, non intelligo tantummodo ante omnem cibum, verùm etiam tempus ante lucem, vt ex ipsómet Tertulliano
D in suo Apologetico sect. 2. eruitur, vbi allegat Plinium ij. ad Traianum Imperatorem de quibusdam damnatis Christianis scripsisse, *præter ostinationem non sacrificandi nil aliud se de Sacramentis eorum comperisse, quàm cætus antelucanos ad canendum Christo, & Deo: & ad conferendam disciplinam*.

Supra narratum morem bis offerendi mane, & vespere viguisse docet in Affrica in solo die anniuersario Dominicæ cænæ Sanctus Augustinus Epist. 118. ibi: *Quæris* inquit *quid per quintam feriam vltimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offe-*

offerendum sint mane, & rursum post cœnam: an ieiunandum & post cœnam tantummodo offerendum: an etiam ieiunandum, & post oblationem, sicut facere solemus cœnandum, vbi sic idem eruditissimus Bona doctè subiungit. *Si diuina Scriptura quid sit faciendum præscribit, ita procul dubio faciendum vt legimus. Et si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insaniæ esse. Tum casum propositum, nec definitum in scriptura, nec vniuersalis Ecclesiæ consuetudine firmatum; sed ex eorum genere esse, quæ per loca, & regiones variantur.*

Quibus autem horis, in quinto ex sexto sæculis, celebrarentur missę nullam, neque in Concilijs, neque in Patribus reperi mentionem.

In sexto tamen missarum matutinarum, & vespertinarum mentionem reperi in Concilio Agatensi celebrato anno 506. Canon. 30. & in Concil. Aurelianen. 3. habit. an. 540. cap. 28. in eodem sæculo missas hora decima celebratas fuisse inueni ex Concilio Bracharensi 2. ann. 572. can. 9.

Ecclesiæ ritum, qui in fine octaui, & principio noni seculi obseruabatur. nobis indicat Amalarius Fortunatus Episcopus Treuerensis. Obijt Amalarius anno 814. Is in suo Tract. de Diuinis Officijs lib. 3. cap. 42. narrat, Telesphorum Summum Pontificem scripsisse, vt ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missas celebrare, quâ horâ Dominus noster ascendit in Crucem; quamobrem, si ob hanc rationem hora tertiâ celebrationi missæ competens erat; ob alias rationes aptum erit tempus horæ sextæ, quo secundùm Matthæum Christus Crucem ascendit, & horę nonæ, quando emisit spiritum. Addit postea idem Amalarius, se vidisse Leonem Pontificem (nempe III.) diluculò intrare ad missam, nescire tamen vtrum, causâ necessitatis intercedente, hoc ageret, an solâ potestate. Quòd autem iste legerat in gestis Pontificalibus, illud se scripsisse asseruit. In libro verò 4. cap. 40. idem Amalarius suprâ narratâ de celebrationis missæ horâ, ac de supra laudato Sancto Leone Pontifice repetit addendo, cæteros Presbyteros in Romana Ecclesia id etiam

A seruasse, necnon Sanctum Gregorium in Homilia, habitâ in Basilica Sancti Sebastiani narrasse, Cassium Episcopum Narniensem ad Missarum solennia horâ tertiâ accessisse. Supra allegati Fortunati assertioni consonans est Vualafridus Strabo de reb. Eccles. cap. 23. Viuebat ist canno 849.

In vndecimo seculo circa finem floruit Ioannes Micrologus, qui in suis Ecclesiasticis obseruationibus cap. 58. conformem cum Vualafrido se ostendit.

Rupertus verò Tuitiensis, qui viuebat in duodecimo seculo de missa celebranda B horâ tertiâ meminit additque præterquam tempore Iunij.

In decimo tertio seculo de simili hora missa celebrandi differit Iacobus de Vetriaco in historia Occidentali cap. 38. Item Alexander de Ales par. 4. q. 10. memb. 1. art. 2. §. 2. ac Diuus Thomas Aquinas par. 3. quæst. 83. art. 2. vbi aureo, & facundo calamo de hora debita celebrandi missam scribit, ac concludit, missas celebrari posse primâ parte diei propter aliquam necessitatem, Guilelmus verò Durandus Aquinatis Syncronus in suo ratio-C nali Diuinorum Officiorum lib. 4. cap. 1. num. 20. & 21. præter superius allegata nil aliud refert. In hoc seculo de missa celebrata extra narratas horas pulcherrimum nobis exhibet exemplum Rainald. in suis Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1264. num. . . vbi refert Vrbanum IV. Marchioni Misnensi concessisse, *vt aliqua, ex necessitate posset coram se, rem diuinam celebrari facere, circa vltimam noctis horam.*

Sequenti seculo decimo quarto floruit Petrus Paludanus, qui lib. 4. sentent. dist. D 13. quæst. 2. concl. 2. art. 2. asserit, horâ primâ missam celebrari posse, ac etiam in aurora quando lucescit, ob rationes ab eo adductas: Ioannes verò Beleet Paludani contemporaneus, vt ex Oudin. de Scriptor. Eccles. de eisdem tribus horis, quâ missa celebranda sit, differit in suo tractatu de explicat. Diuin. Offic. cap. 50. In hoc itidem seculo tria alia exempla nobis patefecit idem Rainaldus ad ann. 1301. nu. 23. Scribens Bonifacium VIII. Catharinæ Imperatrici Constantinopolitanæ indulsisse, vt *ante lucem, & quòd dies illucesceret (prouiso tamen, quod parcè concessione huiusmodi*

di

di vteretur) quia, cùm in Altaris officio immolatur Dominus Dei Filius Iesus Christus, qui candor est lucis eternæ, congruit illud non in noctis fieri tenebris, sed in luce, necnon Clementem V. Philippo Principi Tarantino ann. 1312. num. 48. concessisse *à media nocte ad horam nonam coram se celebrari diuina iubere posse, quo tamen parcè priuilegio vteretur*. Itidem Ioannem XXII. etiam Philippo Franciæ Rege ann. 1316. num. 18. indulsisse, vt *antequam dies elucesceret coram se, & eius familia* missam celebrari facere valeret.

In sequenti autem decimo quinto seculo vixit Ioannes Gerson, qui in sua Summa Theologica lib. 4. de Eucharistia, de eisdem tribus inquirit horis. In fine autem seculi floruit Gabriel Bielius, qui scripsit missas priuatas celebrari posse à principio diei vsque ad horam nonam, missas verò publicas inclusiuè, siue horâ tertiâ, siue sexta, siue nona celebrari debere. Post tot Patrum, & Theologorum sententias superuenit Sacrosanctum Concilium Tridentinum quod in sess. 22. cap. 9. circa hoc dubium nil aliud decreuit, nisi quod *Sacerdotes debitis horis celebrent*. Tandem beat. mem. Pius PP. V. præmemorati Concilij Exequutor, & Interpres sua speciali Constit. in Bullar. in ordine *la* 4. reuocauit priuilegia quibuscumque concessa celebrandi missas vespertino tempore, cuius hac laudati Concilij occasione autumo à Theologis disceptari ceptum, quænam sit debita hora pro missarum celebratione.

Hoc dubium quod vt supra indicauimus laudatus Eminentissimus Cardinalis Brancatius latè discutit in sua dissertatione de priuilegijs quibus gaudent Cardinales in proprijs Cappellis, ac primo loco inquirit de ijs, qui nullo vtuntur priuilegio, postea de illis, qui fauoribus, & gratijs à Sede Apostolica concessis fruuntur. Modo nos ad huiusmodi dubij examen, multa ex eodem Brancatio summatim delibando, descendimus.

Pro primis, videlicet illis, qui nullo priuilegio gaudent expressa lex est in missalis Rubrica num. 15. quæ sic se habet, *missa priuata saltem post Matutinum, & Laudes quacumque hore ab Aurora, vsque ad meridiem dici potest*. Quod autem sit hoc auroræ initium S. Thomas constituit inter A mediam noctem, & ortum Solis, quando videlicet Solis substantia super terram apparet, auroramque incipere quando claritas radiorum in cælo conspicitur; tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, & signatæ auroræ initium esse per horam, & quartam horæ partem ante Solis apparitionem, vt asserunt Theologi ab ipso Cardinale Brancatio citati, quos, & alios infracitandos omitto, ne volumem magnum excrescat, cùm apud ipsum Cardinalem legi possint. Astronomi igitur, à quibus lex sumenda est, firmant lineam crepusculi, B in qua Sol, cùm sub Orizonte sit, in parte Orientali, auroræ principium designat, tuncque ab eodem Orizonte per gradus octodecim distat, in quibus ascendendis consumit horam integram cum quinta horæ parte, quare tali tempore quilibet Sacerdos sine vlla dispensatione celebrare valet. Asserit propterea laudatus Brancatius diuersorum Theologorum auctoritate suffultus, eosdem, qui nullo fruuntur priuilegio, posse per duas ferè horas ante Solis manifestationem Sacrificium offerre: de alijs verò, qui priuilegijs vtuntur, dis- C serere omitto, cùm ad nostrum Collegium minimè spectent. Curiosos verò ad eundem Brancatium remitto.

Superest modò differere de hora post meridiem, de qua sæpe laudatus Brancatius sic, breuiter referendo, fatur. Cùm bo: mem: Pius V. supra allegatâ suâ Constitutione reuocauerit facultates celebrandi missas vespertino tempore, quare de meridiei confinibus debet inquiri, cùm vsque ad meridiem nulla insurgat dubitatio. Asserunt propterea aliqui, paulo à meridie delapsa Sacrificium incipi posse, D cùm tempus non mathematica, sed morali lance expendendum sit ex Theologis, à dicto Brancatio citatis. Hanc temporis mensuram post meridiem aliqui affirment ante tertiam horæ lapsæ partem, Sacrificium incipiendum esse, aliàs peccati mortalis labes incurreretur. Alij non excedunt mediam horam, alij trium quadrantium effluxum, inducere peccatum mortale in celebrante. Alij per horam non integram id licere, absque peccati lethalis incursu. Alij denique infra totam horam post meridiem exordiri Sacrum posse, asserunt, vndè si post horam initium darent, mortalem

lem labem contraherent,nec desunt etiam, qui concedunt Sacrificium, absque scrupulo incipi posse, horâ integrâ post meridiem, quam postremam sententiam sequitur ipse Brancatius nonnullis rationibus eam suffulciendo. Transit deinde ad examen pro illis, qui sunt priuilegiati, sed cùm quęstio hæc sit casum extra nostrum, illa etiam omittimus, vt supra diximus de alia.

Si quis autem præter sæpè laudatum Brancatium, & Auctores ab ipso citatos, de hac hora celebrandi missam alios legere cupiat, adeat Gauantem in Rubricas missali num. 15. Theodosium de Rubeis in suo Ærario vniuersali perpetuo cap. 19. Andream Du Saussay in sua Panoplia Sacerdotali lib. 1. cap. 9. art. 4. Nouarium in Summa Bullar. Comment. 79. num. 2. & seqq.

Hæc sunt Theologorum variæ sententiæ, quas hac in Vrbe Eminentissimus, & Reuerendissimus D. Cardinalis Carpineus Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarius anno 1681. die 10. Octobris speciali suo Edicto, Italico Idiomate promulgato, sic latinè reddito limitauit.

Ad obuiandos abusus in celebratione missarum intempestiuis horis iussit, vt missarum celebrationis initium non esset, nisi per horam ante auroram, ac horâ integrâ post meridiem omnino Sacrificium absolutum esse deberet.

Ex his igitur allegatis vnusquisque conscientiæ suæ consulere poterit.

Pro huius disquisitionis coronide referam quid requiratur ad hoc, vt Oratorium priuatum dicatur decenter instructum, vt in Indulto, nostro Collegio concesso, iniungitur.

Dubium hoc declarat Nouarius ipse ibidem tract. 2. tit. de Oratorijs priuatis Comm. 93. num. 5. sequenti modo.

Prout etiam (ait) *ad effectum, vt diceretur locus decenter ornatus asserebam. vt dictum Oratorium habere deberet super medio Altaris crucem, & candelabra saltem duo hinc inde, & in vtroque eius latere, ac ad crucis pedem tabellam secretorum, & in cornu epistolæ cossinum supponendum missali, paruam campanulam, duas ampullas vitreas, manutergium mundum in fenestella, seu parua mensa ad*

A *hæc præparata, missale, calicem aureum, vel argenteum, aut saltem habentem cuppam argenteam, intus inauratam, patenam inauratam, ab Episcopo consecratam, purificatorium mundum, paruam pallam lineam, & mundam, corporale lineum, & mundum benedicta: velum sericum, & bursas sericas coloris paramentorum, vt colligitur ex dicta rub. tit. de præpar. Sacerdot. celebrat. amictum cum cruce in medio, & cordulis sufficientibus ad præcingendum albam lineam, & mundam, cingulum, manipulum, stolam, planetam, non laceram*

B *ab Archiepiscopo, vel alio potestatem habente, benedicta.*

Et ne dubitandi ansa remaneat, nempè quod huiusmodi priuilegium celebrandi, seu celebrare faciendi missam in Oratorio, siue Cappella priuata per dimissionem officij expiret; propterea huic inani dubio occurrere volentes in memoriam reducimus, quòd omnia priuilegia, à diuersis Pontificibus Abbreuiatoribus concessa, confirmata, & ampliata fuere à fa:mem: Clemente Papa X. ac signanter priuilegium hoc, quod fuit prorogatum ad vitam, vt in eius Con-

C stitutione, in supra descripto Capite XV. relatâ.

Hæc sunt dubia, quæ de nostro Indulto Oratorij priuati examinanda esse duximus. Scimus laudatum Pignatellum in suis Consultationibus Tom. 6. Consult. 98. per totam copioso calamo varia dubia de huiusmodi Oratorijs pertractasse, quæ adamussim nostrum Indultum minimè feriunt. Cum omnium aliorum Indultorum amplissimus sit, nullamque restrictiuam, vt in Cancellaria, vocamus, contineat, quod specialiter animaduertendum est.

D

CAP. XIX.

De Substitutis eligendis.

HVcusque multa, nullis laboribus, nullisque diligentijs parcendo congessimus, quæ futuros Abbreuiatores erudire, simulque instruere possint. Ne quid igitur intentatum remaneat, quod desiderari valeat, addendum hìc existimamus breuem Tractatum de Substitutis, ab Abbreuiatoribus eligendis, & licèt sparsim iam multa

de

de eiſdem Subſtitutis dicta ſint, nihilominus, ne lector ea perquirendo, tempus terere cum tædio cogatur, eadem in vnum collegimus, vt aliquo oriente dubio, ſtatim ſub oculis illius reſolutio haberi poſſit.

Primo loco futuros Abbreuiatores monendos puto, vt omni ſepoſito humano reſpectu, ſolummodo Dei timorem, Summi Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ ſeruitium, propriumque honorem in eligendis Subſtitutis præ oculis habeant. Eligant ſcilicet Virum pium, doctum, boniſque moribus imbutum, in conficiendis Minutis apprimè inſtructum, vt alios potius docere, quàm ab alijs doceri valeat, denique non lucro immoderatè addictum, cùm pecunia omnium malorum origo ſit, atque fomentum. Oſtenſo nunc qualis Subſtitutus eligendus eſſe debeat, promiſſum implere debemus, ea nempe in mentem reuocando, quæ ſupra collegimus.

Deſcripſimus enim in Cap.XVI.de Abbreuiatorum ſtatutis, atque decretis RR. DD.Abbreuiatores §. 80. anno 1593. ſtatuiſſe, quòd eorum quilibet habere deberet Subſtitutum fide ac experientiâ commendatum in propria domo, proprijs expenſis, cum menſtruo ſalario. Deberentq; ipſi Subſtituti ab Abbreuiatoribus, in horum Congregatione approbari, nec aliquis, niſi approbatus, Subſtituti officium exercere valeret; & ſi aliquis ab Abbreuiatoris ſeruitio diſceſſiſſet, non poſſet, alio modo, ab altero Abbreuiatore, ad hoc proprium ſeruitium admitti, niſi de conſenſu illius Abbreuiatoris, à quo diſceſſerat, habitâque licentiâ, & præuiâ approbatione faciendâ, ſingulis ſex menſibus in eadem Congregatione: mores, & idoneitas ſingulorum Subſtitutorum examinari, & an, aliquis illorum ab officio amouendus eſſet deliberari oporteret, tenerenturque dicti Subſtituti, poſtquam approbati eſſent, ſolitum fidelitatis iuſiurandum in manibus R.D. Decani in Congregatione præſtare, aliter ab exercitio omnino repellerentur. Quale autem iuramentum à Subſtitutis prǽſtandum eſſet, in eorundem Statutorum calce exprimitur.

Quod tamen præcitato anno 1593. de Subſtitutis eligendis ſtatutum fuerat, vt nuper narrauimus, ann. 1621. menſe Martij

A moderatum fuit, ſcilicet, decernendo quòd Subſtitutos domi retinere neceſſarium minimè eſſet, ſed laudabile.

At quia temporis progreſſu ea, quæ prouidè facta fuiſſe dignoſcuntur, paulatim alterantur, ac in deterius labuntur, animaduertenteſque propterea RR. DD. Abbreuiatores in eorum Subſtitutis aliquando in conficiendis Minutis negligentiam, die 10. Aprilis 1634. decreuerunt, ab omnibus Subſtitutis denuo ſolitum iuſiurandum, de fideliter, ac diligenter munus ſuum exercendo, in manibus R. D. Decani præſtari

B debere.

Laudabilem hunc zelum RR. DD. Abbreuiatorum, quòd omnia ritè, & rectè in Cancellaria peragerentur, in principio ſequentis anni 1635. rurſus demonſtrârunt, cùm in domo R. D. Regentis congregati, diuerſa decreta, pro felici Cancellariǽ Apoſtolicæ gubernio ediderint, inter quæ, de Subſtitutis ſic ſancitum fuit.

Nullos poſt eam diem Subſtitutos Regiſtratorum munus exercere valere, & id ijs, maioribus rationibus, Scriptoris officium exercere, prohibitum iampridem fuerat (ſcilicet à ſa. me. Paulo V., vt ex eius

C Motu proprio, quod in huius Capitis calce apponimus) ſub eadem lege etiam comprehendi voluerunt Magiſtri Regeſti, tam Datariæ, quàm Cancellariæ.

° Pariter eâdem in Congregatione decretum fuit, Subſtitutos non admittendos, niſi præuio examine, ac illorum approbatione, per ſecreta ſuffragia faciendâ. Inſuper etiam ſancitum fuit, quòd, dum Cancellaria habetur, intra Cancellos, in Parco aſſiſtere debeant, à quo, abſque proprij Præſidis licentia, egredi fas minimè eſſet.

Cogor hìc ſolitam querimoniam tem-

D poris decantare, cùm iſtud ſuo indefeſſo progreſſu omnia ſenſim alteret, ac immutet. Cùmque igitur animaduertiſſem, in nonnullis Subſtitutorum examinibus, à priſtino examinis rigore, aliquantiſper receſſum fuiſſe, propterea in Congregatione habitâ in domo R. D. Regentis die 24. Februarij præteriti anni 1690. infraſcriptum decretum editum fuit, videlicet:

Quòd in futurum Subſtitutis deputandis dentur dubia in ſcriptis, ad quæ in eodem tempore examinis, etiam in ſcriptis ipſi Subſtituti reſpondere debeant, & ſi adamuſ-

Q

mussim responderint, ac RR. DD. visum fuerit illos admittere, admissio fiat per vota secreta.

Hæc breuiter de Substitutis eligendis colligimus, de eorum verò munere sparsim supra relata fuisse comperies; interim accipe, Benigne Lector, promissum Pauli V. Motum proprium, scilicet:

Motu proprio &c. Cùm ex laudabili instituto Collegij Abbreuiatorum literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ, ipsi Abbreuiatores, pro tempore existentes S.R.E. Vicecancellario, seu eius in Cancellaria Apostolica Locumtenenti, vel Cancellariæ ipsius Regenti, in expeditione literarum huiusmodi assistere, & in ipsis notulas, seu cedulas, Minutas nuncupatas, ipsarum literarum, priusquam ab eis, ad quos spectat describuntur, formare, componere, & ordinare, illasque, ac literas, inde confectas, diligenter, ac studiosè perpendere, & examinare, & coarctare, & si opus fuerit, emendare, & corrigere, & ne literæ ipsæ in aliquo defectuosæ, vel obscuritate perplexæ sint, sed stylo, & charactere debitis, ac congruè scriptæ, & expeditæ dimittantur, sedulò præcauere debeant, necnon pro huiusmodi, & nonnullis alijs grauibus, & laboriosis officijs, & oneribus eorum curæ, fidei, & industriæ creditis, commodiùs, & accuratiùs obeundis, ac præferendis, nonnullos Substitutos styli, & praxis dictæ Cancellariæ peritos: in sua familia assistere, & domi suis expensis retinere, illorumque operâ, & ministerio in his vti consueuerunt. Nuper verò ad nostram notitiam deuenit, quòd plerique, nomine officiorum Scriptoriæ, literarum huiusmodi lucrifieri solitis, vberiorem quęstum appetentes, nedum Scriptorum, sed etiam Substitutorum Sollicitatores ambiendo, eorumque animos captando, cum illis super confectione Minutarum, & scripturâ literarum huiusmodi indebitas pactiones, & conuentiones ineundo, & dictas notulas, seu cedulas, & Minutas, absque dictamine, recognitione, & examine ipsorum Abbreuiatorum, illisque inconsultis raptim, & ex improuiso conficere, etiam interdum notulis, & Minutis huiusmodi, mente dumtaxat conceptis, nec aliter formatis, seu absolutis indecenter describere, & expediri facere præsumunt, in non

A modicum Collegij Scriptorum literarum Apostolicarum huiusmodi vilipendium, illiusque statutorum, & ordinationum contemptum, ac aliorum Scriptorum, & Substitutorum prædictorum præiudicium, & detrimentum, Nos igitur, qui dum in minoribus essemus, de gremio, & consortio Collegij dictorum Abbreuiatorum per plures annos fuimus, proinde attendentes operæ pretium, & rationi consonum esse, vt quod cuique officio congruit, ad illud idem sublatâ confusione reuocetur. Et propterea cupientes pro pastoralis officij

B nostri debito honori, & decori tam Cancellariæ, quæ Romanorum Pontificum organum vocatur, quàm Abbreuiatoribus, & Scriptoribus huiusmodi consulere, simulque abusionibus, & inconuenientibus præfatis, necnon scandalis, quæ exinde oriri possent, ac aliàs in præmissis opportunè prouidere. Motu simili, & ex certa scientia, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac declaramus. Quòd nullus dictorum Scriptorum nunc, & pro tempore existentium, officium Scriptoriæ literarum huiusmodi, actu exercentium, cuique ex dictis Abbreuiatoribus, earundem lite-

C rarum præsentibus, & futuris famulari, & inseruire, ac per se, vel quemcumque alium, eius vice, & nomine agentem, præsertim sibi cohabitantem, seu famulantem, notulas, aut schedulas, vel Minutas literarum huiusmodi conficere, ac quęcunque alia ad functiones, munera, officia, & exercitia Substitutorum præfatorum quomodolibet spectantia, etiam de consensu, seu permissione Vicecancellarij, Locumtenentis, seu Cancellariæ Regentis, & Abbreuiatorum præfatorum, siue alicuius, siue minoris partis eorum subire, seque in

D illis publicè, seu clandestinè, aut aliàs quomodolibet ingerere, & immiscere, neque in aliquas literas, per Cancellariam prædictam expeditas, nisi prius illarum formulæ, seu schedulæ, vel Minutæ, ab vno ex Abbreuiatoribus, vel eorum proprijs Substitutis præfatis confectæ, ac ipsius Abbreuiatoris manu signatę fuerint, subscribere valeat, sed à præmissis omnibus prorsus se abstineat, quin etiam iuramentum in Rescribendarij, seu Defensorum, pro tempore existentium Collegij Scriptorum huiusmodi, quotiescumque ad id

id ab ipsis requisitus fuerit, præstare debeat, sed si quidquam contra ipsarum præsentium formam, & tenorem attentare præsumpserit, vltra periurij reatum, ab exercitio sui officij Scriptoriæ huiusmodi, & ingressu Cancellariæ prædictæ, per sex integros, & continuos menses pro prima vice sit suspensus; si verò ipsum rursus eisdem præsentibus contrauenire contigerit eodem officio Scriptoriæ, etiamsi illud ad liberam cuiusuis alterius dispositionem, ex indulto Apostolico, vel aliàs pertineat perpetuò priuatus sit, & esse debeat, idemque officium per priuationem huiusmodi vacare censeatur eò ipso, absque alia declaratione. Decernentes easdem præsentes semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, sicque per quoscumque Iudices, & Vicecancellarium, & Locumtenentem, seu Cancellariæ Regentem præfatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari debere, irritumque &c. attentari. Quocirca tam Vicecancellario, eiusque Locumtenenti, seu Cancellariæ Regenti, quā Abbreuiatoribus præfatis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ incursu, eorundem præsentium serie mandamus, quatenus illas, & in eis contenta quæcunque ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inuiolabiliter perpetuò obseruari. Contradictores per præfatas, & alias pecuniarias pœnas, & censuras Ecclesiasticas, etiam summariè, & extraiudicialiter compescendo. Non obstantibus nostrâ, quatenus opus sit, de iure quæsito non tollendo, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Collegiorum præfatorum, etiam iuramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, eis, ac Vicecancellario, seu Cancellariæ Regenti, Abbreuiatoribus, Scriptoribus, & quibuscumque alijs personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis &c. derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumqne. Volumus autem, quòd præsens cedula nostri Motus proprij in nostra Cancellaria, vt moris est, publicari, & in illius Quinterno ad perpetuam rei memoriam describi debeat, quòdque sola illius signatura sufficiat. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, quarto Idus Iunij Anno Tertio decimo.

Hasce lucubrationes, qualescumque sint, tam præsentes, quàm futuros RR. DD. Abbreuiatores, Collegas meos, vt accipiant, rogo, in signum peculiaris beneuolentiæ, qua semper Collegium prosequutus sum, vt ibi omnia ritè, rectèque, summo cum omnium plausu, peragantur. Dixi.

INDEX
RERVM SELECTARVM.

Primus numerus paginam, secundus columnam, litera columnæ locum designant.

A

Ab-

Con-

Li-

Ma-

Q

R

ENAR-



ENARRATIO SYNOPTICA QVALITATVM, GESTORVMQVE

Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Abbreuiatorum de Parco Maiori, S.R.E. Vicecancellario Assistentium in expeditionibus literarum Apostolicarum, quæ in Cancellaria Apostolica peraguntur.

VCVSQVE congesta, A eâ, quâ potuimus sedulitate, è temporis faucibus auulsimus, perpetuitatiq; sacrauimus, ne ipsius inuidi temporis continuata edacitas, illa penitus deglutiret, atque consumeret. At absolutum Opus minimè esse censuimus, nisi hisce nostris lucubrationibus breuem B Abbreuiatorum adderemus Enarrationem, vt clariùs appareat, qui tale officium tempore procedente obtinuerint, ac quale istud sit, & quantum plures Abbreuiatores præclaris suis natalibus, suâque doctrinâ, vigilantiâ, atque prudentiâ, alijsque virtutibus, animique dotibus illud illustrauerint. Fatemur nos in huiusmodi concinnando Catalogo omnem adhibuisse curam, vt integer euaderet, sed inani labore, cùm multorum Ab- C breuiatorum non solùm perierint nomina, verùm etiam memoria, aliorumque dies, & annus propriæ admissionis, & quo temporis spatio officium obtinuerint, illorumue qualitates penitus ignorentur.

Fatemur etiam nos plurimùm deuinctos esse Clar. Viro Carolo Carthario Collegij Sacrę Consistorialis Aulę dignissimo Decano, ac de Republica literaria admodum benemerenti, qui in huiusmodi Abbreuiatorum è tenebris eruendis nominibus, varijs notitijs nos adiuuit, atque ad hoc, aliaque texenda Opera crebris suasionibus incitauit. Nostrum hoc desiderium etiam prosequutus est humanissimus Iacobus Sommier Archiui Regesti literarum Apostolicarum Custos, qui omni humanitate, simulque patientiâ pluries permisit, vt Codices M.S. inspicerentur, è quibus varia Abbreuiatorum nomina transcripsimus, quæ Catalogum nostrum mirum in modum ditârunt. Supra narrata præmittere existimauimus, ne minus accurati Scriptoris notâ nos Lector inurat. Vt etiam appareat collatorum in nos beneficiorum memores esse, quemadmodum etiam semper erimus in omnibus operibus à nobis, fauente Deo, exarandis. Accipe igitur benigno, gratoque animo, quisquis es, hosce nostros labores, illisque vtere, & fruere. Et si quid adamussim fortasse alicui ex Abbreuiatoribus attributum non inueneris, condona, tamquam primis, qui hanc Prouinciam ingressi sumus; fortasse in posterum non deerit, qui faciliùs granum à lolio secerner-

An. CIƆCCCLV.

Nicolaus de Francauilla Archidiaconus de Ripario primus est, quem Abbreuiatoris munere functum fuisse reperiam: eius mentio habetur in Regestis Bibliotheca Vaticanæ, quæ à Ioanne Stephano Ferreri de Episcopis Vercellensibus referuntur, vbi sic: *Innocentius VI. Pontifex Galeatio de Vicecomitibus scribit, vt interdicat suis Ministris, ne dum Episcopus Romam petens abest, pecuniam exigant à Clero, & Ministris Episcopi, cùm soluere non debeant; ob eandem rem mittit Nicolaum de Francauilla Archidiaconum de Ripario Abbreuiatorem, ad quem se refert sub Dat. Auenioni 14. Kal. Martij Anno III.*

An. CIƆCCCCX.

Franciscus Petri de Ragazzijs Politianus, Ioannis XXIII. Pontificis admodum familiaris, Protonotarius, Apostolicarum literarum Secretarius, & Abbreuiator in Episcopum Aretinum electus ann. 1414. 11. Kal. Ianuarij, obijt anno 1433. ex Vghellio in Episc. Aretin.

Sequentia autem Abbreuiatorum nomina ex literarum Apostolicarum Regestis, vt patebit, desumpsimus, cùm in principio cuiuslibet Regesti Abbreuiatoris nomen inscribi soleat. Ideo vt illa annotata reperimus, ita transcripsimus, quamquam in nonnullis tantùm cognomen descriptum sit, primaque nominis litera desideretur; videlicet

An. CIƆCCCCXIX.

Conilli ex Regesto Martini V. Anno 2. in humanis agebat, iste Conillus etiam Anno 1431. tempore Eugenij IV. vt ex Regestis istius Pontificis elicitur.

An. CIƆCCCCXIX.

P. de Montella ex eodem Regesto, florebat quoque tempore Eugenij IV.

An. CIƆCCCCXIX.

Feinerius ex dicto Regesto Martini V. Anno II.

An. CIƆCCCCXIX.

. . . . . de wyt ex præmemorato Regesto Martini V. si ex cognominis affinitate diuinari fas est, puto Hollandicum esse cognomen, vt ex Historia Metallica Reipubl. Hollandiæ, nuper Gallico idiomate in lucem editæ colligi valet: vbi Numisma cum imaginibus Ioannis de wyt, & Cornelij de wyt expressis visitur, A ambo Viri in illa Republica illustres, ac præteritis annis Romam Ioannatus accessit, quem sicut ob peculiarem morum suauitatem, ita vtinam ob Catholicam Religionem commendare valerem, quod libentissimè facerem.

An. CIƆCCCCXIX.

B. de Monte Politiano ex laudato Regesto Martini V. dicto anno secundo. Inter mortales adhuc degebat iste B. de Monte Politiano, etiam tempore Eugenij IV.

An. CIƆCCCCXIX.

P. de Boffio ex præfato Regesto Mar- B tini V.

An. CIƆCCCCXIX.

B. de Piscia ex sæpe citato Regesto Martini V.

An. CIƆCCCCXIX.

. . . Bruno ex eodem Regesto. Ni fallor, puto fuisse Iacobum Bruni de Terra S. Seueri Nullius, seu Ciuitatensis Diecesis, ac in Ecclesia Ciuitatensi Archidiaconum, necnon bo. mem. Antonij Cardinalis de Monte tituli S. Praxedis familiarem, qui die 20. Maij eiusdem Anni ad Ecclesiam Dragonarien. promotus fuit, C vt ex Vghellio, ac Actis Consistorialibus.

An. CIƆCCCCXIX.

. . . Anselmus ex sæpe laudato Regesto Martini, quem etiam Eugenij IV. tempore vixisse reperio.

An. CIƆCCCCXIX.

Io: de Criuellis, ex dicto Regesto Martini. & ex Regesto Eugenij IV. anno 1431. Io: mortalitatis exuuias adhuc non dimiserat.

An. CIƆCCCCXIX.

. . . Baldus itidem ex dicto Regesto D Martini.

An. CIƆCCCCXIX.

Io: Basire ex præfato Martini Regesto. Existimo fuisse Ioannem Virum illum, qui in sessione 20. Concilij Constantiensis habitâ die 21. Nouembris Anno 1415. vbi nomina diuersorum Patrum leguntur, qui eidem sessioni interfuerunt, ac quædam capitula subscripsere inter eosdem Patres annotatus est, scilicet *Magister Ioannes Basire Decretorum Doctor, literarum Apostolicarum Corrector*. Nomen hoc legitur in editione Romana, in Coloniensi verò desideratur. Correctoris officium,

cium, illo æuo, cum Abbreuiatoris munere coniunctum fuisse, existimo. A

An. CIƆCCCCXIX.

B. de Pistorio, ex eodem Regesto Martini V. dicto Anno secundo.

An. CIƆCCCCXIX.

. . . Ponthoni similiter ex eodem Regesto Martini. Ex nominis affinitate eundem esse puto, de quo Ioseph Bresciani in suo Tractatu *Rosarum*, *& Violarum Cremonæ Ciuitatis*, *scilicet eiusdem Ciuitatis insignium Ecclesiasticorum Virorum*, Italico idiomate exarato, latinè reddito sic loquitur: Sigismundus Ponzonus Cæsarei, & Pontificij Iuris Doctor, sedente Gregorio XII. Romam se contulit, à quo Maioris Præsidentiæ Abbreuiator renunciatus fuit, à Ioanne verò XXIII. Protonotarij è numero Participantium titulo condecoratus; item à Martino V. Camerarij priuati munere insignitus, quæ quidem munia summâ cum dexteritate, ac omnium laude exercuit. B

An. CIƆCCCCXIX.

A. Rute, ex Regesto pariter Martini Quinti.

An. CIƆCCCCXIX.

Io: de Vgolinis, ex supradicto Regesto Martini. Florebat iste de Vgolinis etiam tempore Eugenij. C

An. CIƆCCCCXIX.

. . . Franconiæ, ex pluries citato Regesto Martini.

An. CIƆCCCCXIX.

Io: Rhode, ex eodem Regesto. In humanis agebat iste Rhode etiam tempore Eugenij IV.

An. CIƆCCCCXIX.

N. Volcat. itidem ex eodem Regesto Martini, & vixit etiam sub Eugenio II. Summo Pontifice. D

An. CIƆCCCCXIX.

G. de Elten. ex supradicto Regesto Martini, ac intra mortales erat etiam tempore Nicolai V.

An. CIƆCCCCXIX.

H. Raiscop. ex Regesto eiusdem Pontificis anno secundo; viuebatque adhuc anno 1431. tempore scilicet Eugenij IV. vt ex eodem Regesto.

An. CIƆCCCCXXI.

. . . Amedeus, ex Regesto eiusdem Martini V. an. quarto.

An. CIƆCCCCXI.

I. de Templis. Ex eodem Regesto ibidem.

An. CIƆCCCCXXI.

H. Hollan. ex eiusdem Pontificis Regesto, ac eodem anno.

An. CIƆCCCCXXVII.

A. de Luschis ex eodem Regesto anno 10. qui in viuis agebat etiam tempore Eugenij IV.

An. CIƆCCCCXXVII.

M. de Pisis ex eiusdem Pontificatus Regesto anno eodem.

An. CIƆCCCCXXIX.

A. Bertoldus, ex eodem Regesto, an. 12.

An. CIƆCCCCXXIX.

A. de Damiano; ex Regesto, & anno ijsdem.

An. CIƆCCCCXXXI.

Æneas Piccolomineus, postea Pius II. Summus Pontifex Nobilitate generis, literarum varietate, rerum peritiâ, alijsque virtutibus clarus, hoc anno Abbreuiatoris munere fungebatur, cùm ipse Basileensi Concilio eodem anno celebrato, vti Abbreuiator interfuerit, vt notat Oldoinus ad Ciaconium in ipsius Pontificis Vita, ex quo, & duobus alijs infracitandis actibus patet Abbreuiatores in Generalibus Concilijs, vti Officiales interesse consueuisse. De hoc nostro Collega diuersi scripsere Auctores, ideo calamum suspendo, contentus me in Abbreuiatorum albo illum descripsisse.

An. CIƆCCCCXXXI.

H. Copler. ex Regesto Eugenij IV. Pontif. an. I.

An. CIƆCCCCXXXI.

I. Gayam. ex eodem Regesto, & anno.

An. CIƆCCCCXXXI.

Ioan. le Gompil. ex eiusdem Pontificatus Regesto, & anno.

An. CIƆCCCCXXXI.

Ioan. Figuli ex eodem Regesto; & anno.

An. CIƆCCCCXXXI.

Ioan. Herbbof. ex supradicto Regesto, & anno.

An. CIƆCCCCXXXI.

A. de Florentia, ex eodem Regesto, & anno.

An.CIϽCCCCXXXI.
M. Piccardi, ex ijſdem Regeſto, & anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
H. Fontoſp ex ſupra citatis Regeſto, & Anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
A. de Sancto Flore, ex ijſdem.
An.CIϽCCCCXXXI.
P. de Caſatijs ex præfatis Regeſto, & Anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
Franciſcus Picciolpaſſius Bononienſis Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Eugenio IV. admodum familiaris, Vir iuriſprudentiâ clarus, ac vitæ ſanctimoniâ inſignis; primùm Epiſcopus Aquenſis factus, deinde ad Papienſem Eccleſiam translatus, anno ſcilicet 1427. 4. Kal. Maij, ac demum ad Mediolanenſis Archiepiſcopatus infulas euectus anno 1433. die 29. Iulij, qui eâ manſuetudine hanc Eccleſiam adminiſtraſſe dicitur, vt omnium animos ſibi conciliauerit. Obijt anno 1443. vt placet Vghellio, ſiue anno 1441. vt Boſſo ab eodem Vghellio citato. Ad illum literas dedit Æneas Syluius Epiſt. 192. de Laudib. Federici Cæſaris. De eodem etiam Leander Albertus, & Alidoſius, & Regeſtum Eugenij IV. an. I.
An.CIϽCCCCXXXI.
Ia: de Vicentia, ex prææallato Regeſto eodem anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
. . . . Hubanto, ex eodem Regeſto, & anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
H. Fabri, ex eiuſdem Pontificis Regeſto dicto anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
B. de Monte; ex eodem Regeſto, & anno.
An CIϽCCCCXXXI.
Ia: Goier; ex Regeſto, & anno ijſdem.
An.CIϽCCCCXXXI.
G. Gouue, ex eiuſdem anni Regeſto.
An.CIϽCCCCXXXI.
Ia: de Tefelen; ex præcitato Regeſto.
An.CIϽCCCCXXXI.
L. Lubantio, ex eodem, etiam in ſequenti anno in viuis agebat; ex eius Regeſto.

A

An.CIϽCCCCXXXI.
A. de Campo Reale, ſiue Regali, ex eiuſdem Eugenij Regeſto, hoc anno, & ſequenti.
An.CIϽCCCCXXXI.
N Goltrat. Ex eiuſdem Pontificis Regeſto, eodem anno.
An.CIϽCCCCXXXI.
N. Franchomme, ex eodem Regeſto.
An.CIϽCCCCXXXI.
Cornelius, ex eodem Regeſto.
An.CIϽCCCCXXXI.
A. de Monte Politiano, ex eodem Regeſto. An ſit idem cum illo anni 1419. vehementer ambigo, cum illic legatur litera B. loco literæ A.

B

An. CIϽCCCCXXXIII.
Iu. Goior, ex Regeſto eiuſdem Eugenij an. III.
An. CIϽCCCCXXXIII.
. . . . . Cyprianus, ex Regeſto, & anno ijſdem.
An. CIϽCCCCXXXIII.
Ioan. de Reate, ex ijſdem.
An. CIϽCCCCXL.
C. de Arimino, ex Eugenij Regeſto, an. 10.

C

Anno CIϽCCCCXLII.
Borinus, ex Eugenij eiuſdem Regeſto, & anno XII.
An.CIϽCCCCXLV.
F. de Lande, ex eodem Regeſto, anno Eugenij XV. in humanis degebat, adhuc anno 1448. ſub Nicolao V.
An.CIϽCCCCXLVIII.
M. Dinus, ex Regeſto Nicolai V. anno II.
An CIϽCCCCXLVIII.
Ioan. de Mellinis, ex eodem Regeſto, & anno eumdem eſſe puto, qui infra ad Annum 1464. Ioannes Baptiſta nominatur ibi vide.

D

An.CIϽCCCCXLVIII.
A. de Tuſcanis, ex ijſdem.
An.CIϽCCCCXLVIII.
G. de Callir, ſeu Callio, ex ijſdem.
An.CIϽCCCCXLVIII.
. . . . Gorius, ſeu Gomus, ex ijſdem.
An.CIϽCCCCXLVIII.
Ioan. de Moſcatis, ſeu Stecchatis ex eiuſdem Nicolai V. Regeſto, ac anno II.

An.

An.CIↃCCCCXLVIII.

. . . . Nazarius, ex eodem Regesto.

An.CIↃCCCCXLVIII.

. . . . Nicasius, ex eodem Regesto.

An.CIↃCCCCXLVIII.

Ioan. de Angeroles, ex eodem.

An.CIↃCCCCXLVIII.

G. Trapezuntius, ex eodem Regesto, quem Virum illum in literis clarissimum fuisse arbitror, qui Georgius Trapezuntius appellabatur, & cuius edita opera nomen immortalitati commendarunt, de quo Raphael Volaterranus in suis Commentarijs Vrbis lib. 21. sic fatur -- *Georgius Trapezuntius Patria venit e Ponto Romam, Eugenio sedente Peripateticus; & ipse vir labore assiduo circa disciplinas omnes, vtriusque linguæ interpres eruditissimus; scripsit de Rhetorica, vertit magni Ptolomei opus, quod Almagestum vocant, quare à Nicolao V. Apostolicus Scriba factus fuerat, ob literas, publicoque salario proficiebatur, quem ego senem puer docentem audiui, in extrema senectute oblitus erat omnino literarum, solusque Vrbem baculo nixus incedere malebat: decessit prole superstite*. Eius verò scripta copiosiori calamo narrat Gnesnerus in sua Bibliotheca, nempe: *De octo partibus Orationis compendium, Rethoricorum libri V. Dialectica breuis quidem sed absoluta. Commentaria in Orationes Philippicas. Comparationes Aristotelis, & Platonis. Opusculum in locum illum Euangelij*: Si volo eum manere donec veniam, quid ad te? *Et quòd S. Ioannes Euangelista, nondum sit mortuus*. Item *Commentarium in centum sententias Cl. Ptolemæi. Et liber de Antiscijs, in quorum rationem fata sua reijcit*; Item Cur. *Astrologorum iudicia sæpe falluntur. Quatenus credendum sit Astrologis. Posteriores duo cum Omar de Natiuitatibus. Transtulit ex Græcis in latinam Sermonem, Cyrilli Commentarios in Euangelium Ioannis, & Cyrilli Thesaurum, siue de Trinitate Libros* 14. *Rhetoricorum Aristotelis lib.* 3. *Eusebij de Euangelica præparatione libros* 14. *Almagestum Cl. Ptolomæi. Præterea transtulit Aristotelit libros de Animalibus, de Anima, Physicorum, de Generatione, & Corruptione. Gregorij de Laudibus Basilij Magni. Chrysostomi Homilias in Matth.* 81. *posteriores, Gregorij Nisseni Mysticam Mosaicæ Vitæ enarrationem, siue de vita perfecta. Basilij Magni libros contra Eunomium; Historiam Sanctorum Barlaam, & Iosaphat*. Scripsit etiam *Isagogen, & Commentaria in magnam compositionem Ptolomæi. De diuina substantia secundùm Aristotelis Doctrinam. De Veritate fidei Christianæ. Epistolas in Psalmum* 44. Hæc Gnesn. vltra quæ sunt inedita *Andreæ Chij Martyrium (Orationem in funere Michaëlis Veneti ad Turcarum Imperatorem. Orationes, Epistolas. Exhortationem de recuperanda Terra Sancta. Contra Theodorum Gazam. Ad Leonellum Estensem: & responsionem in inuectiuam Guarini. Dialogum de fide)*. Supranarratis Operibus etiam addenda sunt illa, scilicet: *Opus de Processione Spiritus Sancti grecè elaboratum, & per Leonem Allatium in latinum versum Sermonem in sua Græcia Orthodoxa; Versio Platonis de Legibus iussu Nicolai V. & Epist. ad Ioannem Paleologum Græca in edita. Introductio in magnam Ptolomæi constructionem. Vtrum natura consilio agat. De eleemosyna. De processione Spiritus Sancti. Ad Ioannem Cuboclisium contra Græcos. Epistola ad Monachos Cretenses, & Sacerdotes de Processione Spiritus Sancti, & de vna Sancta, & Catholica Ecclesia*. De hoc Trapezuntio fusè meminit Iouius in suis Elogijs Virorum Illustrium. Ac Ciaconius nouissimæ editionis in vita Cardinalis Bessarionis, cuius familiaritatem Georgius colebat.

An.CIↃCCCCL.

M. Amici, ex eodem Regesto Nicolai.

An.CIↃCCCCL.

W. de Gonda ex Regesto anni IV. eiusdem.

An.CIↃCCCCL.

Ioan. Philippion. ex eodem Regesto.

An.CIↃCCCCLI.

. . . . Dantardus; ex eiusdem Nicolai Regesto anno v.

An.CIↃCCCCLI.

Fl. Matthæius; ex eodem Regesto.

An.CIↃCCCCLVIII.

A. de Amelia; ex Regesto Pij II. anno I. Huius Præsulis notitiã suggessit Nobis Cl. V. Prosper Mandosius, Nobilis Romanus, ac

ac S. Stephani Eques, necessitudine mihi coniunctus eundem esse existimans, ac Antonium Geraldinum, Nobilem Amerinum, de qua plura in Bibliotheca Vmbriæ Iacobellus pag. 50. ac in suis MM.SS. de famil. Nobil. idem Mandosius scripsit: Antonium istum magnæ fortunæ Virum, magnæque doctrinæ, ac habilitatis in honoris, ac confidentiæ muneribus à Pontifice, alijsque Optimatibus, licet florentem adhuc ætatem degerit, adhibitum esse, maximaq; Romæ æstimatione vixisse, Anno 1450.

An. CIↃCCCCLVIII.

Ia: de Anagnis, seu de Anagnia ex eodem Regesto.

An. CIↃCCCCLIX.

. . . . Alanus, ex eiusdem anni Regesto.

An. CIↃCCCCLIX.

. . . . Constantius, ex eodem Regesto; ex cognominis, ac temporis affinitate; puto hunc Constantium illum esse Angelum de Constantio, quem Vghellius in tom. VI. suæ Italiæ Sacræ inter Puteolanos Episcopos connumerat sub num. 43.

An. CIↃCCCCLXI.

. . . . Fabritius ex anni IV. eiusdem Pontificis Regesto.

An. CIↃCCCCLXI.

. . . . Ernestus ex eiusdem Pij Regesto an. III.

An. CIↃCCCCLXIV.

In hoc anno Sanctiss. mem. Pius II. Abbreuiatores, qui incerto ordine, incertâque lege æuo suo vagabantur, in vnum collegit, vt ex eius supra relata Constitutione, in Cap. V. expressâ, in qua etiam Abbreuiatores, tunc viuentes describuntur, quorum nomina si hìc denuo recenseam, ob Chronologiæ obseruandam rationem, reprehensione me dignum non existimo, licèt istos in Piana Constitutione expressos, non omnes Abbreuiatores de Parco Maiori fuisse putem, ac illos secernere difficile, imò impossibile sit, ob temporis diuturnitatem, quæ omnia tenebris inuoluit.

An. CIↃCCCCLXIV.

Laurentius Episcopus Ferrariensis, cuius vitam pleno calamo describit Vghellius, in sua Italia Sacra Tom. II. pag. 593. num. 58. Narrat enim, Laurentium e

A Rouercella familia Ferrariensi, celebrem Philosophum, insignem Theologum fuisse, artesque publicè professum, non modò Ferrariæ, ac Patauij, verùm etiam Parisijs cum literatorum Virorum plausu, à Nicolao V. Virtutum Mœcenate Romam vocatum, ac in Hungariam Apostolicum Nuncium Legatum fuisse; à Pio verò II. anno 1460. die 9. Aprilis in Episcopum electum, & postea in Galliam Oratorem transmissum. Paulus verò II. ad Datariatus munus ipsum adsciuit; deinde in Germaniam, Bohemiam, Pannoniamque pro

B rebus grauissimis componendis legauit, denique ad suam reuersus Ecclesiam, cum Sixtus Pontifex maioribus honoribus illum destinasset, ibi decessit anno 1476. sepultusque fuit in templo S. Georgij.

An. CIↃCCCCLXIV.

Gullielmus Gonrie.

An. CIↃCCCCLXIV.

Antonius de Cortesijs, etiam ex Regesto Callisti III. anno 1457.

An. CIↃCCCCLXIV.

Michael Amici.

An. CIↃCCCCLXIV.

C Ioannes Baptista Mellinus ex vetustissima, ac Nobilissima Romanorum familia ortus annum agens septimum, Canonicus S. Ioannis in Laterano à Ioanne XXIII creatus fuit; deinde ab Eugenio IV. in Abbreuiatorum numerum adscitus, cuius mentio fit etiam in Regesto Callisti III. An. 1457. postea à Paulo II. Datarius renunciatus, ac paulò post Episcopus Vrbinas; tandem ob eius præclara merita à Sixto IV. Rom. Pont. Purpura condecoratus, & inter Presbyteros Cardinales Titulo SS. Nerei, & Achillei primò, mox

D S. Sixti annumeratus, ac ad Bonam Mediolanensem Ducissam Viduam, ob componendas quasdam simultates inter fratres, & filios Ducis Galeatij ipsius Bonæ defuncti Mariti Legatus: vnde reuersus non multò post obijt Romæ, nono Kal. Augusti 1478. cùm tertium, & septuagesimum annum attigisset. Sepultus est in Basilica S. Petri in Vaticano cum Epitaphio, quod vide apud Ciaconium Tom. III. in eius vita. Plura si cupis lege Gasparum Aluari in sua *Roma in ogni Stato* par. 2. pag. 46. Vbi Mellinæ familiæ recenset nobilitatem, ac de nostro Collega multa

enar-

enarrat. Variosque Auctores de eodem A tractantes enunciat.

An. CIƆCCCCLXIV.

Ioannes de Angelelis.

An. CIƆCCCCLXIV.

Antonius de Tuscanis. Reperitur etiam in Regesto Pij II. An. 1459.

An. CIƆCCCCLXIV.

Iacobus Bigneti. Reperitur etiam in Regesto Callisti III. anno 1457. & Pauli II. anno 1471. & in supracitata Constitutione Pij II.

An. CIƆCCCCLXIV.

Antonius de Piscia, etiam ex Regesto B Pij II. an. 1459.

An. CIƆCCCCLXIV.

Iacobus de Rizonibus; idem reperitur in Regesto Callisti III. an. 1457. ac in Constitutione Pij II. in Bullario Tom. I. ac supra in Cap. V. retulimus.

An. CIƆCCCCLXIV.

Nicolaus de Castello; idem nominatus reperitur in Regestis de Anno 1463. & in Cõstitutionibus Pij II. ac Sixti IV. Collega hic à laudato Carthario in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium num. LIII. Nicolaus Bufalinus de Castello siue Ti- C phernas nominatur. Huius Nicolai meminit Alphonsus Sotus, Glossator Antiquus appellatus, in glos. Reg. 3. Innocentius VIII. vbi sic: *Posteà consului Dominum Nicolaum de Castello vtriusque censuræ Monarcham, & Abbreuiatorem benè stylatum*; ac in Reg. 10. *Et in hoc etiam est mecum Dominus Nicolaus de Castello doctissimus, & resolutus doctor Abbreuiator de Parco Maiori, Aduocatus Consistorialis*. Et infra: *Et sic respondit mihi Dominus Nicolaus de Castello, qui fuit Conditor istarum Regularum Innocentij VIII.* Ac D in Reg. 14. *Legendo hic Romæ tanquam subrogatus Domini Nicolai de Castello eximij Doctoris nunc Abbreuiatoris de Parco Maiori, & Aduocati Consistorialis dignissimi*. Addit idem Cartharius nonnullos egregios Viros, qui ex hac Bufalina familia prodiere, quos si cupis eundem Carthatium consule. Suam Nicolaus protexit Vitam, vsque ad Annum 1506. vt ex Regestis.

An. CIƆCCCCLXIV.

Fabritius Antonius de Montia.

An. CIƆCCCCLXIV.

Petrus de Godis.

An. CIƆCCCCLXIV.

Ioannes Horrij.

An. CIƆCCCCLXIV.

Nicolaus Tenger.

An. CIƆCCCCLXIV.

Iacobus de Minutolis, seu Minutulus, claris parentibus Lucæ ortus, cùm Romam migrasset, à Iacobo Ammanato Cardinali Papiensi familiarissimè exceptus, ac apud eum diù commoratus, inter charos habitus fuit, vt suis in Epistolis non semel testatur idem Cardinalis, qui Minutili ingenium mirum in modum Pio II. & Paulo II. laudibus commendat: quare ab eodem Pio anno 1460. Abbreuiator; à Paulo verò contra Robertum Malatestam Arimini Dynastam Ecclesiastici Exercitus Commissarius renunciatus fuit. Post Ariminense bellum Pœnitentiariæ Apostolicæ à secretis, Comesque Sacri Palatij Lateranensis ab eodem Paulo factus: à Friderico III. Imperatore inter familiares habitus, Comitisque Palatini titulo decoratus, sub Sixto IV. Spoleti Gubernator, Tiphernates, & Flaminiæ populos ad obedientiam Romanæ Sedis reduxit; vnde Sixtus ad Nucerinam Ecclesiam euexit: paulò post cum Ioanne Andegauensi Cardinale Legato ad Ludouicum XI. Regem Galliæ missus. Ita suâ dexteritate sibi Regium animum deuinxit, & suum apud Pontificem negociorum Actorem, atque Consiliarum declarauerit, eoque postulante anno 1476. e Nucerina Ecclesia ad Agathensem translatus fuit, & Anno 1481. cum Oratoribus eiusdem Regis Venetias missus. Plura alia de Iacobo isto videre poteris apud Vghell. tom. 1. inter Episcopos Nucerinos. Extat Epistola eiusdem Cardinalis Papiensis ad eundem Iacobum Minutulum sub num. 321. Epist. prædicti Cardinalis.

An. CIƆCCCCLXIV.

Cyriacus....

An. CIƆCCCCLXIV.

Bartholomeus de Coccapanis....

An. CIƆCCCCLXIV.

Franciscus de Aquila....

An. CIƆCCCCLXIV.

Baptista de Alberto....

An. CIƆCCCCLXIV.

Hugo de Bensis.

An. CIƆCCCCLXIV.

Ioannes de Monilla....

An.

An. CIↃCCCCLXIV.
Callistus de Vrbino. . . . .
An. CIↃCCCCLXIV.
Carolus de Mannellis.
An. CIↃCCCCLXIV.
Remigius Gomezij.
An. CIↃCCCCLXIV.
Nicolaus Gatiliati.
An. CIↃCCCCLXIV.
Banderus Godefridus.
An. CIↃCCCCLXIV.
Ioannes de Carrione.
An. CIↃCCCCLXIV.
Oliuerius Principis.
An. CIↃCCCCLXIV.

Radulphus Bartholomæus de Platina, Patriâ Cremonensis in Platina, vulgo *Piadena*, Pago Agri Cremonensis, in via inter Cremonam, & Mantuam, medio ferè itinere ortus, de quo Raphael Volaterranus in suis Commentarijs Vrbis lib. 21. narrat: Romam cum Francisco Gonzaga Cardinali Mantuano venisse; deinde dignatus à Sixto Pontifice Contubernalem simul,& opibus auctus, ædes in Quirinali sibi parauisse, vbi & decessit sexagenarius, editâ Pontificum historiâ, vulgo iam notâ. Virum etiam fuisse alioquin grauem, & procul à mendacio, eòque præsertim admiratione dignum, quòd iam prouectâ ætate, ac tyrocinio posito, quod totum Militiæ prius tradiderat literas didicisset. Hæc Volaterranus. Platina à Pio II. Abbreuiator Apostolicus renuntiatus fuit. Vir vndecumque doctissimus, Philosophus, & Rethor celeberrimus, ingenio subtilis, & vehemens, eloquio disertus, ac multimodâ eruditione eximius, quem Cardinalis Papiensis *saluberrimum Literatorum omnium sydus* appellat.

Paulus II. cum Abbreuiatores, Viros tunc temporis, in Romana Curia scientijs claros deposuisset(vt supra in Cap. V. diximus), & dignitate spoliasset, Bartholomęum etiam eorum vnum ab eo munere remouit, qui ob depositionem multas querelas in Paulum ingeminauit, & ira percitus, scripto Pontifici est minatus, se, & Collegas dilapsuros ad Reges, & Principes, ac adhortaturos, vt Pontifici Concilium indicerent, in quo rationem reddere cogeretur spoliationis ipsorum. Quare quadrimestri carcere, & varijs tormentis

A cruciatus, multa amaro animo in Paulum scripsit. Vide ipsum Platinam in Paul. II. vnde cecinit Latomus, apud Tobiam Magistrum in Eponymologio Critic.

Dum res Pontificum strueret, prope factus ab alto
Collapsus est fastigio
Romulus auspicio est, quia Sacra Conditor Vrbis
Necnon Remus periculo

Post Pauli obitum, Sixti IV. beneuolentiâ adeptus est, à quo Bibliothecæ Vaticanæ anno Pontificatus sexto MCDLXXV.
B Præfectus fuit; vt diximus in nostro Catalogo S. R. E. Bibliothecariorum, quem nuper in lucem emisimus.

Multa quidem scripsit, inter quæ ad Sixtum IV. Pontificem.

De Gestis Romanorum Pontificum lib. 1. *de Naturis rerum lib.* 1. *Epistolarum,ad diuersos lib.* 1. *Item Orationem ad Paulum II. Pontificem Maximum de Pace Italiæ componenda*. atq; *De bello Turcis indicendo*. *De honesta voluptate lib.* 10. *De falso, & vero bono Dialogos tres*. *Contra amores Dialogum I. De vera Nobilitate Dialogum*
C *I. De optimo Ciue Dialogos II. Panegyricum in laudem Bessarionis Cardinalis Nicęni. De rebus Vrbis Mantuæ, Gonzagæque familiæ historiam libris sex conscriptum. De flosculis quibusdam linguæ latinæ ad Lelium, item Dialogum ad Ludouicum Agnellum de Amore*.

Obijt Romę ex peste, sub Friderico Imp. III. & Sixto Pontifice IV. anno Domini 1481. Indictione XIV. ætatis anno 60.

Plures ærumnæ ab ipso Platina passæ; qualesue fuerint in sua carceratione, colligi possunt ex sequentia epistola scripta
D ad Iacobum Cardinalem Papiensem, quæ inter ipsius Cardinalis Epistola est sub nu. 230. nempe:

Scripsi ante Captiuitatem meam libellum istum de honesta voluptate, quem ad amplitudinem tuam mitto, qui capto Patrono, vt videbis, Myropolia omnia, & tabernas perreptasse videbitur, adeo est vnctus, & sordidus; & in culina versatus est: non discessit ab ingenio, cum de obsonijs conficiendis maiori ex parte sit compositus. Eò itaque profectus est, quò vocari ad operam faciendam se intelligebat. Venit tandem ad me squallidus, & vnctuosus ex quo dum maculas

culas

culas abstergo, quadam etiam abradenda cognoui. Verùm quia in rebus proprijs iudicio plerumque vtimur præpostero, librum ipsum formidolosum (certè sentit quàm acerrimi sis ingenij) ad limam Amplitudinis tuæ nolentem etiam, mittere constitui. Ex hoc ergo, (Reuerendissime, & doctissime Pater) pro arbitrio tuo quicquid voles abradito, mutato, inuertito, transferto, & si quid mancum, & diminutum videbitur, quicquid voles, & quantum voles, addito: tuo singulari iudicio indiget, tua doctrina. Proinde non secus eum emendato, ac si ex verna tuo natus, ac si domi tuæ altus esset. Sum ego tuus verna, tuæ Amplitudinis admirator, & præco. Proinde quicquid à me fit, id tuum iure fit, ac meritò necesse est. Tua igitur emendabis, tua corriges: si plus salis, & aceti in proœmijs librorum posui, quàm ipsa obsonia requirere videbuntur, quantum voles demito. Nolo quempiam lædere: non possum ego adesse, & videre quid approbes, quid contra. Proinde R.D.T. rogo, si peto honesta, vt in margine addas, si quid censes addendum, vel demas quod non probes, vel notes quod à me censeas mutandum; non vngue, sed calamo, quo certior fiam quid censeas faciendum. Defert librum ipsum frater meus ad Amplitudinem tuam, vt cognoscas duos illatinas tuæ magnitudini dedicatos esse. De libertate mea quid scribam nescio: adeò incertus sum quorsum tanden iturus sit ille, qui potitur rerum. Spero, timeo, crucior, angor, & mihi manum injcere interdum cogito, vt me tanden, atque amicos his curis liberem: si nocens, cur non punior? Si innocens, cur teneor in vinculis? O me infelicem, qui non cum Pio sum mortuus! ex illa morte tot mihi mala euenere. Feram ego, feram hanc calamitatem, quandiu potero. Vbi malis fesso succumbendum erit? cùm tot sint lethi viæ occumbam generosè. Quare amplius in vita esse velim non video: cùm profligatæ sint literæ, & ad Tartara detrusæ. Aiunt in manum Reuerendissimi D. Vicentini libertatem nostram esse; si ita est, ei me commendato, & Reuerendissimum D. Mantuanum tardè incedentem impellito. Si volunt, trades obsidem, dabo vtrumque: circumscribant, multi locum relegent. Ibo quò volent. Reuerendissimam D.V. rogo, vt quibuscumque modis potest, libertati meæ caueat.

A Idem apparet ex Epistola 231. quæ ita se habet:

Tanta est opinio, quam de tua Amplitudine concepi, vt ambigam, imò desperem quidquam salutare inueniri in re mea posse, nisi per te, saluberrimum literatorum omnium sidus, fuero adiutus. Iactamur vndis, acti vento, & fluctibus. Nil prodest tot sæuientibus procellis obiectasse humeros, & caput. Tot scopulos, tot Syrtes, tot Euripos euasisse. Grandem video procellam iam iam nos fessos, & extrema quæque timentes obruituram, ni fluctuantibus nobis, & totiens B *in saxa allisis, salutiferam manum, & à me tandiu expectatam, porrexeris. Inuritur hæc nota ingenijs, inuritur literis, inuritur musis, quarum semper pater, & patronus es habitus. Collige nos quæso, & ad te natantes, ac tandem his fluctibus libera. Vales auctoritate apud Pontificem, cuius ingenium à clementia, & misericordia non abhorret. Vales apud Cardinalem, & reliquos huius Aulæ Præsules. Ora quos decet; adhortare quos oportet, vt erga nos miseros, atque omnium, qui viuunt infortunatiores, clementia, & misericordia vtantur. Intel-* C *liges quo in statu sumus collocati, & quos, ac qua de re habituri sumus iudices. Hos rogato, vt ex bono, & æquo iudicent, vtque voluntatem imperantis mitigent. Quod, vt facias per Deum te Rogo, & per animam illius, à quo habuisti, virtute tua ita suadente, vt, & velles, & posses calamitosis ad te confugientibus subuenire. De me quicquid pollicebere & Pontifici, & alijs, id ego perpetuò, & constantèr seruabo. Commendare me Reuerendissimo D. Vicentino non erit à re mea alienum.*

Animaduertendum hìc est, ex eadem D Piana Constitutione verum ipsius Platinæ nomen deduci; nam alij Bartholomæum, alij Baptistam vocant; at verum ipsius nomen est: Radulphus Bartholomæus; cur autem se vnico nomine subscriberet, notum est lippis & tonsoribus, quemadmodum multi diuersa habent nomina, at nihilominus vnico tantùm vtuntur, vel ad eorum beneplacitum, vel ex parentum, aut propinquorum vsu, dum adhuc in tenera erant ætate. De vero ipsius Platinæ nomine etiam in supracitato nostro Catalogo S. R. E. Bibliothecariorum egimus, sed Pij Bullam nondum legeramus.

Platina in Basilica XII. Apostolorum, vbi Bessarioni Cardinali Trapezuntio iusta soluta fuere, funebrem Orationem in ipsius Cardinalis laudibus dixit.

Plures Scriptores eundem Platinam laudibus extulerunt. Nempe supra citat. Raphael Volaterranus lib. 21. Comment. Vrbis, Antonius à Campo in Historia Cremonensi lib. 3. Ianus Iacobus Boissardus in elog. Viror. Illust. Gerardus Ioannes Vossius de Histor. latin. lib. 3. Ioannes Trithemius de Script. Ecclesiast. Angelus Rocca in Bibliothec. Vatic. P. Iacobus Philippus Bergomas in supplement. Chronicorum lib. 6. & 15. P. Leander Albertus Bononiensis in descript. Lombardiæ Transpadanæ, Conradus Gesnerus in Biblioth. Vniuers. Robertus Bellarminus de Script. Ecclesiast. Ludouicus Cauitellius Cremonensis in Annal. Cremonens. ad an. 1481. & Petrus Lambecius in annotat. ad lib. 1. Hist. Mantuanæ eiusdem Platinæ, qui asserit *Inscriptiones Epistolarum corruptas esse*: Baptista *etiam legitur in Codice MS. ex quo Anolphus Emmelius Bibliopola Francofurti Typis Nicolai Hofmanni an.* 1608. *primus in lucem edidit libros tres de perfecto Principe, sub hoc titulo*: Baptistę Sacchi Platinæ διατύπωσις *Siue Descriptio Principis, continens quæ Principi Viro, qui perfectus esse velit, cum pacis, tùm belli tempore facienda sint, quæque fugienda*. Hæc breuiter ex Lambecio. Huic quæstioni de nomine inter hos eruditos Viros ortę finem imponere duco, si duo loca omnis ambiguitatis expertia referam; scilicet supradictam Pianam Constitutionem, quę præcipuè Cancellariæ Quinterno ipsis Pontifice, & Platina viuentibus descripta est, vbi legitur *Radulphus Bartholomæus Platina*; alterum verò Praxim Cancellariæ Apostolicæ Hieronymi Pauli Barchinonensis, impressam Romæ anno 1514. & iterum Lugduni anno 1549. vbi in posteriori editione pag. 230. de controuerso Auctore sic legitur: *Vide collecta nouissimè per* D. Bartholomęum de Platina *Bibliothecarium, qui omnia Instrumenta, pertinentia ad Statum Ecclesiæ in temporalibus &c. collegit in valde magno volumine; ad cuius Collectionem etiam operam nostram præbuimus in reuidendo*. Quare Paulus Barchinonensis Synchronus, ac in literis A Socius erat Platinæ, ac proinde eius nominis conscius.

Vltra superius narratam obseruationem, aliam ab eodem Lambecio factam addendam existimo, nempe quòd Platina impropriè dicatur Cremonensis, cum fuerit ex Vico Platina, vulgo *Piadena Vico Cremonensi*.

Inuehitur ipse Lambecius contra ipsum Bartholomæum, qui in Vita Cononis Papæ ita scribit: *Ioannes Platina in Exarchatu successit. Hunc ego crediderim dedisse nomen meo natali solo, quòd Platina appellatur in agro Cremonensi positum &c.* B ad quę verba subdit Lambecius, hanc Platinæ coniecturam minimè ipsi placere, suamque opinionem hisce rationibus adstruere conatur: *Si Platina Vicus à Ioanne Exarcha nomen traxisset, opus erat, vt secunda istius nominis syllaba non per Iota, sed per Ypsilon scribenda foret; ille siquidem Ioannes, non Platina, seu vt apud alios legitur, Platon, sed* πλατὺς, *idest* amplus *cognominatus fuit, vnde orthographica methodus pugnare videtur. Deinde ob vulgare, ac nunc vsitatum nomen Piadena,* C *quòd migratio literæ i in e facillimè contingat*.

Hæc est pura putaque Lambecij mens, quæ quàm fragili innitatur fundamento nemo non videt; Certissimum quidem est, Ioannem Exarcham non Platinam, nec Platon, sed πλατιώ dictum, vt testatur Bibliothecarius in Vita Sergij I. sed nec ignorat Lambecius in Editionibus Bartholomæi Platinæ antiquis Platinam promiscuè scriptū reperiri, modò scilicet per *Iota*, modò verò per *Ypsilon*, vt videre est in editione Venetâ Ioannis de D Colonia Agrippinensi an. Christi 1479. in folio, & ipso Platina, adhuc superstite: item in Editione Norimbergensi Antonij Koburgen. an. 1481. quo anno Platina è viuis decessit: & in alia Ioannis Vercellensis an. 1485. ac vt ipse Lambecius asserit in Codice MS. Cæsareo, vnde Historia Mantuana desumpta fuit. Quibus omnibus addam Epitaphium, ab ipso Platina Stephano fratri suo positum, quod in Basilica Liberiana hodie visitur, in quo *Platyna* legitur, quare ipsi Bartholomæo maior fides deberi videtur, non solùm tanquam Viro eruditissimo, sed tanquam

de

de propria Patria scribenti, cuius Orthographia, vel ex publicis documentis, vel ex antiqua scribendi forma forsitan deduxit. Vtriusque scriptoris rationes adducere voluimus, vt eruditus lector seligat quas maluerit. Romæ in Basilica Liberiana ad sinistram ingressus Occidentalis reperitur Epitaphium à Platina sibi, ac Stephano fratri exaratum, scilicet:

XYSTI IIII.
PONT. MAX.
ANN. VIII.
STEPHANO QVI
VIXIT AN. XXVII.
MEN. VIII. D. XII.
PLATYNA FRATRI
BENE MERENTI
POSVIT.
SIBIQVE AC POSTERIS

QVISQVIS ES SI PIVS PLATYNAM
ET SVOS NE VEXES ANGVSTE
IACENT ET SOLI VOLVNT ESSE

ΘΑΡΣΟΝ ΑΔΕΛΦΕ. ΚΑΛΩΣ
ΘΝΗΣΚΩΝ ΠΑΛΙΝ ΦΥΕΤΑΙ

Quæ latinè reddita sic sonant: *Confide Frater; nam qui benè moritur, rursus nascitur*.

Suprascriptos tres versus *Quisquis es &c.* fuisse insculptos ab Alumno Demetrio, ipsius Platinæ iussu, testatur Iouius in Elogijs Vir. Doctr.

Eiusdem Platinæ funus flebili carmine nonnulli celebrarunt Poëtæ, quos refert ipse Iouius videlicet.

Actij sinceri.

Ingenia, & mores, vitasque, obitusq; notasse
Pontificum, arguta lex fuit Historiæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta Culinæ:
Hoc Platina est ipsos pascere Pontifices.

Prosperi Spiritei.

Qui res Pontificum sacras, & gesta Piorum,
Quique Ducum Vitas nobile fecit opus;
Quique modum docuit, quo laudet honesta voluptas,
Et quo ne Iuuenes torqueat acer Amor;
Pluraque, quæ longum est, properans censere Viator,
Omnia sidereæ pignora mentis erant.

A *Viuit ad huc Platina; & quamquam concesserit Orco;*
Nil tamen in Vatem Parca seuera potest.

Latomi

Dum res Pontificum strueret, propè fractus, ab alto.
Collapsus est fastigio.
Romulus auspicio est, quia Sacræ Cõditor Vrbis,
Necnon Remus periculo.

Ann. CIϽCCCCLIV.

Franciscus Aretinus. Ni fallor, hunc illum esse puto, quem Raphaël Volaterranus in suis Commentarijs Vrbis lib. 21. narrat, B excellentem Virum scriptis fuisse, quoniam præter iura, etiam liberales artes adeptus, eiusque seculi princeps habitus fuerit; quemque Sixti tempore magna expectatione in hanc Vrbem venisse, pauloque post spe frustratum remigrasse, impari doctrinæ sapientiâ vitæque instituto; eumque in Cælibatu vixisse, ac opibus inhiasse, quas cumulatissimas cognatis demum reliquit.

An. CIϽCCCCLXIV.
Ioannes walterini.
An. CIϽCCCCLXIV.
C Petrus de Eugubio.
An. CIϽCCCCLXIV.
Ioannes de la Casa.
An. CIϽCCCCLXIV.
Cherubinus Franciscus de Saluiatis.
An. CIϽCCCCLXIV.
Leodisius Cribellus.
An. CIϽCCCCLXIV.
Andreotius de Ginnutijs.
An. CIϽCCCCLXIV.
Stephanus de Bobijs.
An. CIϽCCCCLXIV.
D Bartholomæus de Prato.
An. CIϽCCCCLXIV.
Franciscus de Petrutijs.
An. CIϽCCCCLXIV.
Ioannes de Bottonibus.
An. CIϽCCCCLXIV.
Bartholomæus de Butino.
An. CIϽCCCCLXIV.
Nicolaus de Mancinis.
An. CIϽCCCCLXIV.

Albertus Coch; eundem esse arbitror, qui in sæpè citatâ Constitutione Sixti IV. Albertus de Roch legitur.

CIϽCCCCLXIV.
Ioannes de Cremonen.

CIƆCCCCLXIV.

Iacobus de Cremonen.

CIƆCCCCLXIV.

Andreas de Viterbio.

CIƆCCCCLXIV.

Nicolaus Buttonius.

CIƆCCCCLXIV.

Sinolphus Iacobus de Volterris. Hunc Anno 1484. ex Regestis vixisse reperio.

CIƆCCCCLXIV.

Franciscus Berengarij.

CIƆCCCCLXIV.

Celsus de Millano. Pro certo habeo eundem esse, qui in allegata Constitutione Sixti IV. nominatur Celsus de Mellinis; Quare Amanuensis errorem esse iudico.

CIƆCCCCLXIV.

Ioannes Gerones.

CIƆCCCCLXIV.

Ioannes de Castellione.

CIƆCCCCLXIV.

Petrus Sugnerij.

CIƆCCCCLXIV.

Franciscus de Pratelle.

CIƆCCCCLXIV.

Dionysius de Victoria.

CIƆCCCCLXIV.

Iacobus de Aretio.

CIƆCCCCLXIV.

Petrus de Vicentia.

CIƆCCCCLXIV.

Ioannes de Senis.

CIƆCCCCLXIV.

Leonellus de Benzis.

CIƆCCCCLXIV.

Dominicus de Lucca.

CIƆCCCCLXIV.

Augustinus Patritius. Ni fallor, puto illum esse, quem Vghellus inter Montis Ilcini Episcopos connumerat, ac Nobilem Senensem, Papæque ceremoniarum Magistrum fuisse narrat, ac literatura valuisse, pluraque scripsisse, ad Ecclesiasticos ritus, ceremoniasque spectantia.

CIƆCCCCLXIV.

Nicolaus de Piccolominibus. Ex nominis, & cognominis affinitate illum esse arbitror, quem Vghellius inter Beneuentanos Archiepiscopos sub num.37. ponit. Natione Senensem, ac Pij II. consanguineum, eodemque anno 1464. à Paulo II. Beneuentanæ Ecclesiæ infulis decoratum
A fuisse, ac mortales exuuias anno 1467. Senis deposuisse affirmat; cuius cadauer in Ecclesia S. Bernardini de Obseruantia, extra Ciuitatem positum, sub candido marmore sepultnm est.

CIƆCCCCLXV.

M. Oren. seu Oriz ex Regesto Pauli II.

CIƆCCCCLXV.

Io: de Canarinis, seu Tartarinis, ex eodem Regesto.

CIƆCCCCLXV.

Michaël . . . . . puto esse Michaëlem Amicum expressum in supra re-
B lata Pij Constitutione.

Ann. CIƆCCCCLXV.

Io: Pratus ex eodem Regesto Pauli II.

CIƆCCCCLXXI.

C. Mellinus. Ex Regesto Pauli II. & in præfata Const. Sixti IV. Celsum Mellinum Romanum minimè ambigo fuisse illum, quem Vghell. Tom. 2. suæ Ital. Sacræ inter Episcopos Leopolitanos, siue Feretranos annumerat, ac Vaticanæ Basilicæ Canonicum ab Innocentio VIII. 1484. die prima Octobris adlectum, Romæque decessisse anno 1598. ac inter familiæ agna-
C tos, in Cappella S. Mariæ de Populo, sepultum fuisse asserit. De hoc eodem Celso meminit Gaspar Aluarus in sua *Roma in ogni stato* par.2.pag.48.col.1.

CIƆCCCCLXXI.

Ioannes de Monte mirabili Caluomontanus Lingonensis Diœceseos, Referendarius Pontificius, & à Sixto IV. Præfectus libellis subsignandis, Abbreuiator Apostolicus, Deindeque Episcopus Vassionensis anno 1473. Codicillis Testamenti ædes suas legauit Beatæ Mariæ de Populo, in qua Basilica ædiculam Sancto
D Ioanni construxerat; spectatur ibi sepulcrum cum Epitaphio hisce verbis exarato:

Iohannem de Monte mirabili hic sepultum intelligentia Apostolicum Abbreuiatorem, fides Referendarium Secretum, probitas Sixto IV. Pontifici Maximo familiarem, Religio Episcopum Vassionensem fecit, quibus perfunctus septuagenarius obijt tertio Iunij anno millesimo, quadringentesimo, septuagesimo nono. Hæc, si consideres, satis admonent.

Ex Gaspare Aluaro in sua Roma in ogn. stat. part. 2. pag. 11. col. 2. ac Sammar-

martanis Fratribus in Gallia Christiana, & ex eodem Regesto Pauli II. ac Constit. Sixti IV.

An. CIƆCCCCLXXI.

F. de Galles, seu Guallis ex eodem Regesto, & ex Const. Sixti IV.

An. CIƆCCCCLXXI.

A. de Cortesij, ex supradicto Regesto.

An. CIƆCCCCLXXI.

P. de Podijs ex eodem Regesto, eodem Anno.

An. CIƆCCCCLXXI.

A. de Montia ex eodem Regesto.

CIƆCCCCLXXIII.

F. Bregeon ex Regesto Pontificatus Sixti IV. Anno tertio; etiam in humanis adhuc agebat an. 1503.

CIƆCCCCLXXIII.

Albertus . . . . ex eodem Regesto. Puto eundem hunc esse, quem supra retulimus in Piana Constitutione ad Annum 1464. sub nomine Baptistæ Alberti; ipsumque reperio subscriptum in Constitutione 35. Leonis X. an. 1520. ac etiam nominatur in Bulla Sixti IV. sub nomine Alberti de Roch.

CIƆCCCCLXXIII.

A. de Aragonia ex Regesto eiusdem Sixti. Ex hac Aragonia familia duos alios fuisse Abbreuiatores inuenio, vt infra ad annum 1523.& 1526. ex qua etiam fuisse reperio Nicolaum Aragonia Siculum, Rotæ Auditorem Anno 1529. postea Episcopum Bossonensem, ac Ioannem Aloysium etiam de Aragonia Romanum Sacræ Consistorialis Aulæ Aduocatum Anno 1528.

CIƆCCCCLXXV.

Matthias Palmerius Pisanus ex eodem Regesto per hæc tempora Abbreuiator fuit, vt apparet ex Epitaphio, quod in Basilica Liberiana in pauimento ad dexteram ingressus Paulini Sacelli B. Mariæ Virginis in marmore insculpto, longâ pedum attritione valde corroso, quod iam à multis annis descripsit Florauantes Martinellus, ac in sua Roma Sacra pag, 224. retulit, sequentis tenoris:

Matthiæ Palmerio Pisano Abbreuiatori, & Secretario Apostolico, qui eloquentia, & eruditione græca latinaque claruit. Et vitæ probitate, innocentia, frugalitateque præstitit. Vix. An. 60. Siluester Frater pos.

A Subdit postea laudatus Martinellus.

Aristeam, nonnullaque alia opera e Græco in Latinum transtulit. Romana lingua multa compilauit. Demum De Bello Italico scripsit. Migrauit ad superos die 19. Septembris 1483.

Cogor hic Martinelli, Gnesneri, & forsan aliorum, (à quibus desumpsit idem Martinellus) lapsum detegere, existimantium Matthiam Palmerium Pisanum, eundem esse, ac Matthęum Palmerium Florentinum, fortasse ex nominis, cognominis, ac Patriæ, necnon eruditionis affi- B nitate. Nam Matthęus Eusebij Chronicon ab anno 444. vsque ad annum 1449. continuauit, Matthias verò idem Chronicon ab anno 1450. vsque ad annum 1481. perduxit: Plura de ijsdem Palmerijs, si cupis, habes apud præcitatos Scriptores.

CIƆCCCCLXXVIII.

Ioannes de Borgia, ex Constitutione Sixti IV.

CIƆCCCCLXXVIII.

Nicolaus Bregeon, ex eadem Constitutione Sixti IV.

C CIƆCCCCLXXVIII.

Benedictus de Maffeis, ex eiusdem Pontificis Constitutione.

CIƆCCCCLXXVIII.

Gregorius de Puteo, ex eadem Constitutione.

CIƆCCCCLXXXIV.

A. de Vrbino, ex Regesto anni primi Pontificatus Innocentij VIII.

CIƆCCCCLXXXIV.

Io: de Rizzonibus, ex eodem Regesto. Illum fuisse puto, qui in Piana Constitutione nominatur.

D CIƆCCCCLXXXVII.

H. Garuliati, seu Gariliati: ex eiusdem Pontificis Regesto anno IV.

CIƆCCCCLXXXVIII.

Ia: Stella: ex eodem Regesto anno V.

CIƆCCCCXCII.

Io: Buffolinus, seu Buffolinius: ex eiusdem Pontificis Regesto anno vltimo.

CIƆCCCCXCII.

Paulus de Castillo, ex eodem Regesto, & anno. Reperitur idem nominatus tanquam testis, vnà cum duobus alijs Abbreuiatoribus de Parco Maiori, nempe Nicolao Bregeon, & Benedicto de Maf-

feis

feis in deputatione noui Regentis Cancellariæ; scilicet R. Episcopi Pisaurensis. Ex Quinterno Cancellariæ. Ex cognomine puto, supramemorati Nicolai de Castello consanguineum, ac fortasse nepotem, & in eiusdem locum subrogatum fuisse.

CIϽCCCCXCII.

Ioannes Baptista de Ferrarijs, reperitur pro teste nominatus in iuramento, præstito in Alexandri PP. VI. manibus à Reuerendissimo Ascanio, S. R. E. Vicecancellario, pro munere Vicecancellarij sibi demandato. Ex Quinterno Cancellariæ.

CIϽCCCCXCIII.

Io: de Regio, ex Regesto Alexandri VI.

CIϽCCCCXCIII.

Ro: de Perusia.

CIϽCCCCXCIV.

Franciscus Tommasi per hæc tempora in nostro Collegio versabatur, vt ex Vgurgerio in suis Pompis Senensibus part. 1. pag. 231. colligo. Narrat hic Franciscum Nobilem Senensem, ac celebrem Iurisconsultum fuisse, nam, & Lectoris, Patronique in Patria sua munus exercuit; deinde cùm Io: se Romam contulerit, inter Abbreuiatores adscriptus, ac successiuè Alexandri VI. Breuium à secretis declaratus fuit.

CIϽCCCCXCVIII.

Io: de Scarciatis, ex eodem Regesto.

CIϽCCCCXCIX..

Ioannes Ortega Hispanus per hæc tempora ad Abbreuiatoris officium exercendum admissus, postea Secretarius, Subdiaconus Apostolicus, Summator, ac Datarius Alexandri Papæ VI. qui eum die 16. Nouembris anni 1502. Episcopum Potentinum declarauit. Obijt Romæ sequenti anno, ac sepultus in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Populo, vbi in marmore sequens legitur epitaphium.

Ne quæso lachrymis Viator æternam inuideas mihi quietem. Vixi, vt nil me obijsse pœnitendum:

Io: Ortegæ Gomieli Burgensi, Episcopo Potent. ab Alex. VI. ob fidei integritatem, ac iuris peritiam supplicibus libell. subnotandis (Datarium vocant) Præfecto, necnon literis Apostolicis Maioris Præsid. dictand. duodecimviro Secretario, ac Subdiac. Apost.

A *& Summar. Magistro, alijsque honestissimis muneribus egregiè functo, cuius mors immatura totius Hispaniæ spem maximam fefellit. Franc. Gomiel. pietatis memor fratri optimo pos. Vix. ann. XLI. mens. II. d. XXIV. I nunc Viator, & humanis rebus tantillum fide.*

CIϽIϽIII.

Franciscus de Parma: ex regesto Pij II. quem etiam ex Quinterno Cancellariæ tam Maioris, quàm Minoris Iustitiæ Correctorem, Cancellariæq; Apostolicæ Regentem fuisse reperio, vt ex cedula Motus

B proprij Iulij, relatâ supra Capite VIII.

CIϽIϽIII.

A. Coloccius, ex eodem Regesto.

CIϽIϽIII.

G. de Bosco, ex Regesto Pij III. Ex hac familia ann. 1423. inter Mortales vixisse Bartholomæum Boscum, qui Hospitalis Maioris Ianuæ fundator fuit, asserit Raphaël Soprano in suis Scriptoribus Liguriæ.

CIϽIϽIII.

Io: de Copis Brabantinus, vtriusque Signaturæ Referendarius, per hæc tem-

C pora Abbreuiatoris munere fungebatur. Tarracinensi Episcopatu donatus est. Decessit Romæ ann. 1527. 18. Kal. Septembris, sepultusque est apud S. Mariam de Anima cum Epitaphio

Ioanni Copis Brabantino Tarracinensi Episcopo, vtriusque Signaturæ Referendario, & literarum Apostolicarum Abbreuiatori, Correctorique; istius Templi, ac Hospitalis Prouisores, & fratres beneficij memores posuere an. 1558. obijt ille 18. Kal. Septemb. 1527.

Disce meo exemplo Templis dare munera
D *magna,*
Quando hoc pro paruis hæc monumenta dedit.
Atque suis precibus, cæli in Regione locauit,
Virgo Parens, animæ quis meliora dabit?

Io: Copis Tarracinensi Episcopo, hoc est quod homo est: monumentum Prouisores, ac fratres F.C. an. 1559. ex Vghell. to. 1. par. . .

CIϽIϽIII.

Io: Venzon, ex eodem Regesto.

CIϽIϽIV.

A. Hadrianus, ex Regesto Iulij II.

Alex.

CIƆIƆV.

Alex. Seuerino, ex eodem Regest. de quo Vghell. tom.1.p.171.

CIƆIƆV.

P. de Planca, ex eodem Regesto. Forte hic ille idem est, qui coram Alexandro VI. & Cardinalibus in publico Consistorio habito die 21. Decembris 1492. perorauit pro Ferdinando de Aragonia Siciliæ Rege, vt refert supra laudatus Cartharius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Coronato de Planca genitore dicti Pauli.

An. CIƆIƆVI.

Laurentius Puccius Florentinus inter Abbreuiatores adscriptus Iulij II. Pontificis tempore, nempe anno 1506. reperitur ex Regesto. Huius Laurentij qualitates describit Vghell. in tom. 3. suæ Italiæ inter Episcopos Pistorienses sub num. 40. Fuisse Protonotarium asserit, ac Apostolicæ Cameræ Clericum, atque Datarium ad coadiuuandum in Episcopali munere Nicolao Pandolphino ipsius Ecclesiæ Episcopo adscriptum anno 1510. Ab eodem Pontifice ad Florentinos Legatum missum, vt illis obrumpendi cum Gallis fœderis Auctor esset; Lateranensi Concilio interfuisse, Leonique X. eximiè carum, qui eidem Apostolicam Datariam, Iulio II. defuncto, concessit, ac primo sui Pontificatus anno in Cardinalium Collegium cooptauit. Plures alias Ecclesias obtinuit, quæ prout etiam aliæ ipsius qualitates apud eundem Vghel. videri possunt. Obijt ætatis annorum 72. seculi verò 1530. scripsit de Gratijs expectatiuis vt ex Oldoino in suo Athen. Roman. pag. 456: vbi plurima de nostro Collega.

CIƆIƆVI.

Nicolaus Andouont ex Regesto paritèr Iulij II. & ex gratia *Perindeualere* ab eodem Pontifice eidem Nicolao concessa, elicitur eundem Canonicum Ecclesiæ Redonensis fuisse, ac officium Abbreuiatoriæ vacans per obitum Nicolai Oliuæ de Castello in Romana Curia defuncti, obtinuisse, & cum ex eodem *Perindeualere* qualis fuerit de illo tempore officij status deducatur, ideo in integrum ipsius tenorem referimus, videlicet.

Iulius &c. dilecto filio Magistro Nicolao Andouont Canonico Redonen. literarum

A *Apostolicarum Abbreuiatori, Notario familiari nostro, salutem &c. Cùm deuotionis, & familiaritatis obsequia, quæ Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impendisti, & adhuc sollicitis studijs impendere non desistis, nec non vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personam tuam, tam familiari experientia, quàm etiam fide dignorum testimonijs, iuuari percepimus; Nos inducunt, vt te specialibus fauoribus, & gratijs prosequamur. Hodie siquidem officio Abbreuiatoriæ literarum Apostolicarum de Maio-*
B *ri Parco, quod quondam Nicolaus Oliua de Castello literarum earundem Abbreuiator, dum viueret, obtinebat, per obitum eiusdem Nicolai, qui in Romana Curia diem clausit extremum, vacauit: Nos illud sic vacans cum illius honoribus, oneribus, & emolumentis consuetis, Apostolica tibi auctoritate, Motu proprio concessimus, & assignauimus, teque aliorum literarum earundem de dicto Parco Maiori Abbreuiatorum numero, & consortio fauorabilitèr aggregauimus, prout in nostris inde confectis literis pleniùs continetur. Cùm*
C *autem, sicut accepimus, in priuilegijs, & indultis e.dem officio à Sede Apostolica cum irritantis Decreti. . . in contrarium contingeret attentari appositione concessis inter alia caueatur expressè, quòd nullus in Abbreuiatorem de Maiori Parco, ad dictum officium recipi valeat, nisi præuio rigoroso examine, & post illius receptionem ad iudicandum, seu signandum Bullas, quæ in dicto Parco pro tempore expediuntur, nisi post certum tempus tunc expressum iuxta ordinationem fel. rec. Callisti PP. III. & forsan aliorum Romanorum Pontificum*
D *Prædecessorum nostrorum, quam dilecti filij literarum earundem Abbreuiatores de dicto Parco in eorum receptione obseruandam iurare tenentur, & propterea quòd de illis in ipsis literis mentio habita non fuerit, dubias literas prædictas inutiles sibi reddi posse tempore procedente. Nos ne propterea literæ ipsæ inutiles tibi reddantur, prouidere, teque qui etiam continuus commensalis noster, ac literarum earundem Scriptor existis, præmissorum obsequiorum, & meritorum tuorum intuitu gratioso fauore prosequi volentes; teque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, &c.*

fore

fore censentes; Motu simili, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis, super hoc, oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, volumus, & Apostolica tibi, qui vt etiam accepimus officium Abbreuiatoris literarum earundem, de Minori Parco, hactenus laudabiliter exercuisti, auctoritate concedimus, quòd literæ, ac concessio & assignatio officij de Maiori Parco huiusmodi valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & tibi suffragentur, tuque per eosdem Abbreuiatores ad ipsum officium de Parco Maiori, eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta consueta absque alio examine recipi possis in omnibus, & per omnia, perinde ac si in eisdem literis de priuilegijs, & indultis huiusmodi, ac iuramento de illis obseruandis per eosdem Abbreuiatores præstito expressa mentio facta, & illis quoad hoc specialiter, & expresiè derogatum fuisset; prout Nos illis quoad præmissa, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie Motu simili specialitèr, & expresiè derogamus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; nec non omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo &c. Nostræ absolutionis, voluntatis, concessionis, & derogationis infringere, si quis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexto, vndecimo Kal. Decembris Anno Tertio. Io: Gratis pro Scriptore Episcopus Terracinen.

Ex Regesto Iulij II. Cod.86.pag.294.

CIƆIƆVI.

Angelus de Cæsis ex præmemorato Regesto.

CIƆIƆVIII.

P. Cormus ex eodem Regesto.

CIƆIƆIX.

E. de Grenuccis ex eodem Regesto.

CIƆIƆXII.

Petrus Accoltius, siue de Accoltis Patriâ Aretinus. Hunc, ni fallor, eundem esse puto, quem Ciaconius inter Auditores Rotæ sub Alexandro VI. & Iulio II. connumerat, quemque (antequam ad eundem Auditoratum, & ad Purpuram assumptus esset) nostro Abbreuiatorum Collegio ascitus, & inde ad Episcopatus

A Anconitani insulas euectus fuit an. 1505. mox verò Purpurâ iam ornatus, Gaditanum Episcopatum in Hispania obtinuit, Malleacensem in Gallia à Leone X. Attrebatensem in Belgio, Cremonensem in Gallia Cisalpina ab Hadriano VI. & à Clemente VIII. an. 1524. Archiepiscopatum Rauennatensem. Præfuit Episcopus Cardinalis Ecclesiæ Albanensi an. 1523. Prænestinæ 1524. & Sabinæ eodem anno die 15. Iunij. Romæ Pontificis vices gessit, & supplicationum libellos signauit. Legati quoque Apostolici munere functus

B est in Exercitu Pontificio contra Gallos instructo.

CIƆIƆXIII.

Io: Ingenunin Kel. ex Regesto Leonis X.

CIƆIƆXIV.

Phi: de Agnillis, seu Agnellis; viuebat etiam de anno 1537. vt ex Regesto Pauli III.

CIƆIƆXIV.

O. Cæsius ex eodem Regesto; ille est Octauius Angeli Cæsij Aduocati Consistorialis filius, qui tres Germanos fratres meritis insignes habuit, nempe Paulum

C Iuris doctrinâ celebrem, Protonotarium Apostolicum, Cancellariæ Regentem, ac demum S. R. E. Cardinalem: Fridericum Iurisprudentia eximium, Episcopum Tudertinum, sacrâ denique purpurâ donatum: ac Vespasianum inter Consistorialis Aulæ Aduocatos adscriptum, de quibus apud eruditissimos viros Carolum Cartharium, Ciaconium, & alios. At redeamus ad nostrum Octauium, qui & Cameræ Apostolicæ Clericus, & literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiator fuit, ac anno 1528. ad Ceruiensis Eccle-

D siæ infulas euectus est die 23. mensis Martij per cessionem supradicti Pauli S. Eustachij Cardinalis. Decessit Octauius è vita circa annum 1534. vt ex Vghello.

CIƆIƆXIV.

Petrus Lambertus ex præmemorati Pontificis Pauli III. supracitato Regesto; hunc fuisse Petrum illum reperio, quem Vghell. tom. 6. suæ Ital. Sacræ inter Episcopos Casertanos sub num. 31. posuit, ac Natione Allobrogum, ac Correctorem, Maioris Iustitiæ Præfectum, & Referendarium Apostolicum fuisse asserit, ac die 10. Februarij 1533. à Clemente VII. infulis

sulis decoratũ,Romæq;decessisse an.1545. Reperio etiam descriptum in Constit. 24. Pauli III., qua vtriusque Signaturæ Referendarijs diuersa priuilegia conceduntur. De hoc itidem Petro meminit Petrus Iofredus in sua Nicea illustrata part.2. n.67. ac in MS. sub num.25.in nostro librorum Cimelio existente inuenimus san. mem. Paulum III. Anno 1540. septimo Idus Ianuarij eidem Petro, tunc Episcopo Casertano licentiam construendi Ecclesiam in Oppido Rimulliani in Albanesio Gebennen Diœcesis concessisse, quæ,postquam erecta fuisset, in Collegiatam Ecclesiam erigeretur.

CIϽIϽXIV.

A. de Aluarottis ex Regesto Leonis X.

CIϽIϽXIV.

G. de Prato ex eodem Regesto.

CIϽIϽXIV.

Io: Darieto ex eodem.

CIϽIϽXIV.

E. Regas, seù T. Regus, vel Regis ex eodem.

CIϽIϽXIV.

A. de Villa Real. ex eodem; ac de anno 1535. tempore Pauli III.

CIϽIϽXVII.

Benedictus Accoltus,seu Accoltius,siue de Accoltis,natione Italus, patria Florentinus, origine tamen Aretinus, Petri de Accoltis Cardinalis,Cæsareo ac Pontificio iure insignis, ex fratre nepos. Natus est Florentiæ die 29. Octobris anni 1497. eius parentes Michaël de Accoltis,& Lucretia de Alamannis nobilissima, ac lectissima fœmina fuerunt. Apostolicus Abbreuiator primùm creatur circa annum 1520. mox ad Gaditanæ Ecclesiæ in Hispania infulas à Leone X.promotus;postea Cremonensis, & Rauennatensis Episcopus ex patrui resignatione ab Hadriano VI. creatus. Breuium, deinde à secretis fuit, ac demum ad Purpuram à Clemente ascitus annorum 30. suæ ætatis, S. Eusebij Titulum obtinuit Cardinalis. Pollicastrensem, & Bouinensem in Regno Neapolitano Ecclesias administrauit. Ad Picenum postea de Latere Legatus missus est; & Fanensis Ciuitatis perpetuus Gubernator factus, literarum amantissimus, in quibus mirificè excelluit. Decessit Florentiæ die 21. Septembris ætatis suæ A anno 52. salutis verò 1549. ibique in Ecclesia S.Laurentij sepultus iacet: Ex Ciac.

CIϽIϽXVIII.

O.GWinghel ex eodem Pauli III.Regesto.

CIϽIϽXVIII.

Ia: de Mantica ex eodem.

CIϽIϽXX.

Ioannes Daniel Archidiaconus Ecclesiæ Venetensis, ac literarum Apostolicarum Abbreuiator, & in earundem expeditione Assistens bo:me:Iulio tituli S.Laurentij in Damaso Presbytero Cardinali S.R.E. Vicecancellario enunciatur in quadam concessione in supradicto anno Collegæ nostro facta B exemptionis à gabellis, occasione transitus per Statum Ecclesiasticum, eo quia ipse pro nonnullis negocijs in Vltramontanis partibus peragendis tam pro ipso Pontifice, & Camera Apostolica, quàm etiam pro Collegio S.R.E. Cardinalium destinatus fuerat. Ex hac exemptione ipsius Danielis qualitas arguitur, cùm illi huiusmodi concedatur exemptio, non solùm pro ipso, verùm etiam pro eius comitiua, socijs, & familiaribus equestribus, & pedestribus vsque ad summam C viginti quinque. Hæc autem concessio in meo librorum Cimelio asseruatur in Cod MS. signato sub n. 19. pag. 459.

CIϽIϽXXII.

Io: Cæsius,siue de Cæsijs ex eodem Regesto. Ioannem Andream Cæsium esse puto, qui ob egregia merita Octauio Cæsio eiusdem familiæ Præsuli in Episcopatu Cervienensi successit anno 1534. die 13. mensis Nouembris, deinde verò anno scilicet 1545. die 11. mensis Martij ad Ecclesiæ Tudertinæ regimen translatus. In qua Vrbe Collegium Pietatis instituit, ac D Ecclesiam exornauit, ob suas virtutes, ac pietatem omnibus carissimus extitit. Decessit anno 1566. De hac nobili Cæsiorum familia plura dicenda essent; at cùm nonnulli me de illa in scribendo præcesserint, qui citantur ab eruditissimo viro Carolo Carthario in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium,in Angelo Cęsio, sub num. LXX. ideo calamum suspendo.

CIϽIϽXXII.

Io:de Herrere ex eodem Regest.Hadriani VI.

CIϽIϽXXIII.

...... Truijs ex eodem Regesto.

CIↃIↃXXIII.

Io: Moluer ex eodem.

CIↃIↃXXIII.

N. Aragona ex eodem Iulij II. Nicolai Aragonia iunioris meminit Vghell. in Episcopis Ripæ Transonis sub num. 3. At istum fuisse puto Abbreuiatoris Nepotem, cùm iunior dicatur ob longum temporis interuallum.

CIↃIↃXXIV.

Henricus de Busseio ex Constitutione VI. Clementis VII. & ex Regesto Pauli III. Anni 1537.

CIↃIↃXXV.

Iul. Armellius ex Regesto Clementis VII.

CIↃIↃXXVII.

Hie: Riccnus, siue Recenatus ex eiusdem Pontificis Regesto. Huius Collegæ notitiã retulit nobis sæpè citatus Chartarius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium num. LXXX. occasione, quâ Alphonsum Recenatum Neapolitanum in suum Collegium Aduocororum Consistorialium admissum refert; addens eundem Alphonsum Abbreuiatorem de Prima Visione fuisse, qui Alphonsus pro
C certo habeo, quòd nostri collegæ genitor fuerit; nam Vghellius sic de eodem narrat: *Hieronymus Recenatus, seu de Recenatis, Alphonsi Neapolitani Ciuis, & Aulæ Romanæ Aduocati Consistorialis, ex Bernardina Capoferrea nobili Romana filius, Romæ natus, excelsi animi vir, sub Clemente VII. Pauloque III. ad maximas res euocatus, Thesaurarius Apostolicus, & ad Regem Galliæ Nuncius: in demortui Anzagi locum Niciensem Episcopatum consequitur anno 1542. die 6. Februarij. Ex Datario paulò post, hoc anno 1544. S. R. E.*
D *Diaconus Cardinalis Sancti Georgij creatus est ab eodem Paulo, vulgò Cardinalis Capoferreus nuncupatus. Æmiliæ Legatus fuit, alijsque muneribus functus, vir egregius, Romæ decessit anno 1559. Kal. Oct. in Æde Sanctæ Mariæ de Pace sepultus fuit. Ecclesiam Nicensem rexit annis tantùm paucis, eamque cum regressu resignauit ad fauorem Ioannis Baptistæ Prouanæ. Hic sororem habuit Antoninam lectissimam fæminam, quæ duos maritos habuit Franciscum Colæ de Rubeis Nobilem Romanum, & Fabium Mignanellum Nobilem Senen-*
A *sem, qui demortua Vxore Ecclesiasticam vitam amplexus, euasit sub Iulio III. S. R. E. Cardinalis. Extat in Archiuo Capitulino Bernardinæ de Capiteferreo, relictæ quondam Alphonsi Recenati de Neapoli Aduocati Consistoriatis, matris Hieronymi, testamentum sub die 13. Aug. 1510. per Andream Caratium Notarium, & fidantiæ inter Antoninam sororem Hieronymi de Recenatis, & Fabium Mignanellum anno 1331. Stephano de Arnandis Notario, & alia etiam instrumenta vidimus, quibus Alphonsus Recenatus, Hieronymi pater, Ciuis*
B *recensetur Neapolitanus. Hæc diximus, vt videant illi, qui Hieronymum Cardinalem vulgò de Capiteferreo, oriundum ex Vrbe Recenatensi faciunt, quantum à veritate aberrent.* Plura de Hieronymo cupis? In Nouissimo Ciaconio in Pauli III. vita referuntur.

CIↃIↃXXIX.

Iul. Maurus ex eodem Regesto.

CIↃIↃXXXI.

C. Iacobatius ex dicto Regesto. Ex nominis affinitate, & infrascripto Datariatus
C munere, arbitror Christophorum Iacobatium Romanum fuisse, ac Basilicæ Vaticanæ Canonicum, postea Episcopum Cassanensem, nec non Pauli III. Datarium, ac Sac. Rotæ Auditorem, postea verò S. R. E. Cardinalem titulo S. Anastasiæ, postea S. Eustachij. De eo vide plura apud Ciaconium nouissimæ editionis.

CIↃIↃXXXII.

Ioannes Franciscus Barengus ex præmemorato Regesto, & ex Codice MS. in meo librorum Cimelio existente pag. 225. apparet anno 1545. concessam ei licentiam testandi, ibique Clericum Me-
D diolanensem, ac Pontificis Prælatum domesticum effectum, cùmque esset in Constitutione 10. Pauli III. data sub annulo Piscatoris subscriptum: quare autumo fuisse etiam Breuium à secretis.

CIↃIↃXXXVI.

P. Medina ex Regesto Pauli III.

CIↃIↃXXXVI.

Io. Baptista Cicada ex eodem Regesto. Fuit hic Genuensis inter Cardinales à Iulio III. adscriptus; vide Ciacon. nouissimæ edit. vbi ipsius Cardinalis qualitates, magnaque merita numerantur.

CIↃIↃXXXVI.

Fr.Aragonia ex eodem Pauli Regesto. Franciscus Aragonia ex Constit.44. Pauli IV. in Bullario veteri, quæ est sub annulo Piscatoris: quare patet fuisse etiam Breuium à secretis.

CIↃIↃXXXVII.

F. de Recanato, seu Recanate ex eodem in Constit. 24. Pauli III. vbi vtriusque Signaturæ Referēdarijs conceduntur priuilegia; Franciscus de Recanate Abbreuiator de Maiori nominatus reperitur, quem pro certo illum fuisse puto, qui sub nomine Francisci Alberici in Recanatensi Cathedrali cum infrascripto Epitaphio, sepultus est, quod nobis communicauit D. Raphael Fabrettus nuper libellorum supplicum recol. mem. Alexandri PP. VIII. à secretis, videlicet:

D. O. M.

R. Domino D.Francisco Alberico I.V. Consultiss. qui & Abbreuia. de Maiori, & Referen. Vtr. Sig. ac Correctoriæ titulis decoratus, & Cancell. Apost. mirificè Regens à Paulo III.inter Bonon.& Ferrar. Delegatus. Quia eius inuicta virtus non nisi iustitia superari potuit, Cam. Apost. Auditor creari meruit. Vixit ann. LIII. Mens. dieb. Albericus Cubi. Apost. F. ære proprio posuit.

CIↃIↃXXXVII.

V. Albizzinus ex eodem.

CIↃIↃXXXX.

A. de Bobus ex Const. 24. Pauli III. in Bullario veteri, in qua diuersa priuilegia DD. Referendarijs conceduntur.

CIↃIↃXL.

Hugo Boncompagnus anno Gratiæ 1502. quinto Idus Februarij feria 6. natus Bononiæ, cùm ad Vrbem peruenisset à Paulo III. Iudex primùm Capitolinus nominatus est; deinde vtriusque Signaturæ Referendarius, & Parci Maioris Abbreuiator, ac vti talis in prima aperitione Concilij Tridentini interfuit, quæ fuit die 13. Decembris Anno 1545. vsque ad diem 11. Martij 1547. in qua Concilium è Tridento Bononiam, ob Epidimicas periculorum, seu lenticularum infirmitates translatum fuit; deinde etiam in secunda eiusdem Concilij aperitione, factâ Bononiæ die 21. Aprilis 1547. vsque ad diem 18. Septembris 1549. præsens fuit, in qua omnibus ad proprios redeundi lares ob publicas contentiones ortas, super Concilij translatione inter Pontificem, & Imperatorem, licentia impartita fuit; postmodum Prolegatus Latium rexit. Ac in Secretariorum Apostolicorum numerum adscriptus, Campaniæ Prolegatus renunciatus fuit; postea ad Vestanæ Ecclesiæ infulas euectus à Paulo IV. atque ad Venetos Nuncius destinatus, sed non missus, quòd ad Cameræ Apostolicæ tractanda negocia electus fuerit. Tandem cùm à Tridentino rediret Concilio Purpurâ donatus est, addito Elogio: *Hic est, in quo dolus inuentus non est*. Præfuit Presbyter Cardinalis Ecclesiæ S. Sixti, & in Hispaniam ad Regem Catholicum legatus est: ac denique ad Pontificatus apicem euectus sub nomine Gregorij XIII. obijt anno Domini 1585. feria 4. die 10. Aprilis hora ferè 19. anno æt.84.Pontif. 12. Mense 10. die 18.

CIↃIↃXLI.

Ludouicus Milanesius ex Regesto Pauli III. & ex supracitata scriptura.

CIↃIↃXLII.

Bernardinus Heluinus Clericus Soranus, literarum Apostolicarum Abbreuiator, & in illarum expeditione bo.me. Alexandro S. Laurentij in Damaso Diacono Cardinali de Farnesio nuncupato S. R. E. Vicecancellario Assistens, ac Pauli III. Summi Pontificis Thesaurarius generalis in Subdiaconatus ordine constitutus. die 20. Decembris ad Ecclesiam Anglonensem promotus, in qua sedente: Tursium Oppidum suæ Diœcesis in Ciuitatem, & Ecclesia in Cathedralem erecta, ac Anglonensi vnita fuit, quare creatus Episcopus Anglonensis in Tuscia. Decessit Romæ anno 1548. sepultusque in Ecclesia S. Mariæ de Populo cum hac Epigraphe:

D. O. M.

Bernardino Heluino Episcopo Anglonensi Pauli III. Pontif. Max. Thesaur. generali Dionora Soror. Camillus Cariss. Dionoræ Vir.

Fratri optimè merito F.

Vixit annis XLIV. diebus XLI.

Decessit MDXLVIII. v. Idus Iulij.

CIↃIↃXLII.

Thomas Lilius ex eodem.

CIƆIƆXLIII.

Do. de Closio ex eodem: ex supracitata scriptura Donatus Closio.

CIƆIƆXLIV.

B. Lomellinus ex Pauli III. Regesto. Autumo Benedictum Lomellinum istum fuisse, quem purpurâ decorauit beat. me. Pius V. Vide de hoc Cardinale Ciaconium postremæ editionis. Plura de Benedicto narrat Oldoin. in suo Athen. Ligust. pag. 105.

CIƆIƆXLVI.

Do. de Torres ex eodem.

CIƆIƆXLVI.

V Follietta ex eodem. Vbertus Follietta ex supramemorata scriptura. An sit ille celebris, cuius meminit Gnesner. in sua Bibliotheca, & deinde Oldoin.in præfato Athen. Ligust. ignoro.

CIƆIƆXLVIII.

L. Lebreton ex eodem.

CIƆIƆXLIX.

G. Gualterutius ex eodem.

CIƆIƆXLIX.

M. Antonius de Saulis ex eodem. In præmemorato Athen. Ligust. lego Marcum Antonium Saulium Oratorem Patriæ apud Regem Catholicum viginti annorum spatio, Protonotarium deinde Apostolicum, Nunciumque Pontificium in Regno Neapolitano, eloquentiâ, honore, grauitateque summâ ornatus, conseruandæ concordiæ studio, anno reparatæ salutis 1575. Discursus euulgauit, quos ad Ciues Genuenses inter se tunc temporis diffidentes direxit. Licèt ab Oldoino Abbreuiator non denominetur, attamen ex temporis, & nominis identitate credo Collegam nostrum fuisse.

CIƆIƆXLIX.

Fr. Lambertus Cambariacensis Gratianopolitanæ Diœcesis Nobilis Sabaudus, Episcopus Niciensis à Paulo III. Anno 1549. die primâ Februarij, vt habent Acta Consistoralia, declaratus. Annum agens suæ ætatis trigesimum, nec non in munere Abbreuiatorum literarum Apostolicarum de Maiori Præsidentia, ac Referendarius vtriusque Signaturæ detentus: fuit etiam Orator Ducis Sabaudiæ apud Venetos. Vir doctus, prudens, & pius, Tridentinæ Synodo, vti Abbreuiator interfuit, cùm eidem in sua ad eandem Niciensem Ecclesiam promotione eiusdem Abbreuiatoriæ officij retentio concessa fuerit. Triginta quinque annos optimè rexit Ecclesiam, ac è corporis vinculis liberatus est anno redempti Orbis 1583. Vide Indicem quartum Michaëlis Abbatis Iustiniani de ijs, qui interfuerunt Concilio Tridentino sub Pio IV. à die 18. Ianuarij 1562. vsque ad 4. Decembris 1563. Vide etiam Vghell. tom.4.pag. 1552. num.45. & Sammartanos in Gallia Christiana tom.3.pag. 790.

CIƆIƆXLIX.

Honuphrius Camaianus ex eodem Regesto Pauli III. Huius Collegæ qualitates describit Eruditissimus Vir, ac Amicus noster Carolus Cartharius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium sub numero CXLVII. quas, vt narrat refero:

Honuphrius Camaianus Patritius Aretinus. inter Maioris Parci Abbreuiatores primùm, deinceps inter Pontificij Consistorij Aduocatos an. 1554. sedit. Aduocati Fiscalis munus in Vrbe gessit. Inquisitionis Fisco, Sacræque Consultæ Consiliarius datus. Cameræ Apostolicæ Præses promulgatus. Denique inter Apostolicos Protonotarios cooptatus anno 1574. mortalitatem exuit. In Ecclesia Prædicatorum Vrbis ossa ipsius tumulata iacent, hoc apposito marmoreo sepulchrali elogio.

D. O. M.
Onuphrio Camaiano Aretino
Generis nobilitate
Vitæ integritate
Et multiplici eruditione insigni
Quatuor Pontificibus
Et Cosmo Medices Magno Etruriæ Duci
Ob eximias animi, & corporis Dotes
Rerumque agendarum experientiam
Valde caro
Maioris Parci Abbreuiatori
Aduocato Consistoriali
Et Fisco S. Inquisitionis, & S. Consultæ
Consiliario
Cameræ Apostolicæ Præsidi
Atque defuncta Coniuge
Protonotario Apostolico
Et summorum laborum
Vberiores fructus percepturo
Importunâ morte sublato
Anno lvj.Mense v. die xviij.MDLXXIV.
iv. Kal. Maij

Le-

Lelius Camaianus F. Genitori optimo
Mœtissimus posuit.
Plura si cupis eundem adi Cartharium.

CIƆIƆXLIX.

Io:Chyrinus ex eiusdem Pauli Regesto.

CIƆIƆLI.

M. Contarellus ex Regesto Iulij III.

CIƆIƆLII.

A. Vincentius Fuscherius ex eodem Iulij III. Regesto. De huius nostri Collegæ etiam Mentionem reperio sub Anno 1574. occasione Concessionis loci factæ Abbreuiatoribus in Cappella Pontificia, vt supra narrauimus; ac in Cap.XIII. ibique Magistri cæremoniarum illo æuo viuentium fidem attulimus, vbi Collega noster Decanus Collegij nominatur.

CIƆIƆLIV.

B. de Benedictis ex eodem Regesto, ac in Vghello inter Episcopos Castellanenses reperio Bernardum de Benedictis Cyprium fuisse. Ex Nicanensi Ciuitate, ac Ioannis Aloysij Antecessoris in Episcopatu ex cognominis affinitate forsitan consanguineus fuit. An autem dictus Bernardus fuerit Abbreuiator, asserere non audeo; reperio etiam in Raphaëli Soprano in suo Opere Scriptorum Ligurum Petrum de Benedictis, qui floruit Anno 1512. Fortasse ex hac familia prodijt Collega noster.

CIƆIƆLV.

Petrus Paulus de Iustinis de Castello Romanus Ciuis, de quo plura sæpè citatus Cartharius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium num.CXLIX. vbi in Motu proprio Pauli IV. meminit, quòd Anno 1555. Vxoratus, ac in vigesimo secundo suæ ætatis anno constitutus esset. Tria edidit responsa, quæ inter Farinaccij Consilia cons. 15. leguntur. Putat Cartharius eundem fuisse, qui anno 1577. die 22. Aprilis Liberianæ Basilicæ Canonicatu condecoratus fuit.

CIƆIƆLVII.

V. Bouius ex Pauli IV. Regesto. Vlyssem Bouium Bononiensem, Ioannis Ludouici I. C. ac Pantasileæ . . . . filium fuisse narrat laudatus Cartharius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialiũ pag. 183. Iuraque publica Bononiæ professum, & in eorundem Aduocatorum Consistorialium albo descriptum reperire mensis Iu-

A nio, & Augusto 1578. Asserit postmodum Raynerium Alidonium hæc de Conciue Italicè scripsisse; Vlyssem scilicet Ioannis Ludouici Bouij Aduocatum Consistorialem Romæ decessisse Anno 1578. circa mensis Iulij finem; Cartharius tamen notat de Augusti mense ad huc viuere; eumdemque Alidonium Abbreuiatorem etiam de Maiori Parco fuisse addit.

CIƆIƆLXIII.

A. Moran ex eodem Regesto.

CIƆIƆLXIII.

L. Tauerna ex eiusdem Pontificis Re-
B gesto. Ex sæpè citato Vghel. Laudenses inter Episcopos sub num. 52. Ludouicum Tauerna Mediolanensem reperio, qui diuersarum Ciuitatum, etiam Vrbis Gubernator extitit, & etiam Cameræ Apostolicæ Generalis Thesaurarius, deinde Episcopus Laudensis renunciatus, tandem Octogenarius obijt; plura in eodem Vghello legi possunt.

CIƆIƆLXIII.

L. Theodolus ex Pij IV. Regesto.

CIƆIƆLXIV.

S. Martignonus ex eiusdem Pont.Reg.

C CIƆIƆLXV.

Fantinus Petrignanus ex eodem Regesto Nobilis Amerinus, ex Abbreuiatore de Parco Maiori Cameræ Apostolicæ Clericus electus, Viterbij Vicelegatus, Marchiæ Gubernator, Flaminiæ Præses à recol. me. Gregorio XIII. an. 1577. cuius æquè Pontificis Domui Præfectus fuit, Archiepiscopus Cusentinus creatus. Scripsit nonnuulla opuscula sacra, & moralia. De eo Iacobillus in Biblioth. Vmbriæ pag. 101. Vghellus Ital. Sac. Tom. 9. col. 351.

D CIƆIƆLXV.

Io. Bacca ex eodem Regesto.

CIƆIƆLXV.

A. Saulius ex eodem Regesto. Antonium Mariam Saulium pro certo esse puto, quem inter Cardinales creatos à Sixto V. Ciaconius refert, & à Pio IV. inter Vtriusque Signaturæ Referendarios adlectum fuisse scribit; quod assertioni nostræ minimè repugnat, scilicet eundem descripsisse in hoc anno 1565. quia lucem hanc desumpsimus ex Regesto, quod tempus, quo suo fungebatur munere denotat, non autem admissionis. Collega noster pri-

primò Neapolim, deinde in Lusitaniam, postmodum ad Hispaniæ Regem Nuncius missus fuit. Romam reuersus an. 1585. Archiepiscopus Ianuensis declaratus, successiuè anno 1585. in Cardinalium Collegio descriptus, paulò post Pontificiæ Classis de latere Legatus renunciatus. Plura de isto Purpurato fusiùs apud Vghellum, & Ciaconium videbis.

CIↃIↃLXVI.

Pa. Barengus ex Regesto beat. mem. Pij V. ex eadem familia iam desuper fuisse narrauimus ad annum 1532. sub nomine Ioannis Francisci Barengi.

CIↃIↃLXVI.

P. Catanus, seu Cataneus ex eodem.

CIↃIↃLXVI.

Ia. Lomel. ex eodem.

CIↃIↃLXVI.

O. Riparolus ex eodem. Obertus Riparolus Ianuensis ex Catalogo. Vtriusque Signaturæ Referendarius, qui in Bullario veteri post Constitutionem 24. Pauli III. impressus est. Suum resignauit officium in fauorem Francisci Barberini Anno 1573.

CIↃIↃLXVI.

C. Brumanus ex eodem Pij V. Regesto Cæsareri. Brumanum nobis indicat fuisse oseph Brescianus in suis Rosis, & Violis Ciuitatis Cremonæ, vbi pag. 105. ex Italico Idiomate Latinè redditus sic fatur: *Cæsar Brumanus Doctor Collegij Cremonensis inter Apostolicos Referendarios à beat: me: Pio V. adscriptus, deinde inter Cameræ Apostolicæ Clericos annumeratus, Anconæ Præfectus, postmodum à Gregorio XIII. Legatus Neapolim destinatus, at inuida mors eum rapuit.*

CIↃIↃLXVI.

A. Frumentus ex eodem.

CIↃIↃLXVI.

Bonifacius Passius ex eodem Regesto huius nostri Collegij memoriã desumpsimus ex Epitaphio sepulchrali in Ecclesia S. Petronij Vrbis Nationis Bononiensis, quod sic se habet:

D. O. M.
Bonifacio · Passio · Patritio · Bonon.
Ciuique. Rom. I. V. D. Abbreuiatori ·
Primum. deinde Vtr. Sign. Refendario ·
Qui à Pio V. semel, iterumque
Finibus regundis Commissarius delectus
A Sectrij obijt XII. Kal. Oct. ætatis suæ
Anno LII. sal. hum. CIↃ. IↃ. LXXI.
Et Petro Pasio Bonifacij F. Fortissimo
Adolescenti. Qui secundo. contra Turcas
Nauali · prælio gloriose occubuit.
Cum Annum · ageret · XXI.
Filij ex legitima Vxore Patri opt.
Fratrique cariss. poss.

CIↃIↃLXVI.

Alphonsus Binarinus. alium eiusdem nominis, & cognominis reperio apud Vghell. inter Episcopos Reatinos sub num. 50. quem Presbyterum Bononien-
B sem ex Actis Consistorialibus fuisse infero, ac Causarum Palatij Apostolici Auditorem, & in Vtraque Signatura Refendarium, necnon Prælatum domesticum. Quare per diuersos dignitatis gradus (quorum primus fortasse Abbreuiatoris fuit) ad Episcopalẽ Dignitatem ascendit, die videlicet 18. Iulij 1572. & post annos duos ad Ecclesiam Camerinensem translatus.

CIↃIↃLXVII.

Laurentius Celsus. In Catalogo Referendariorum tempore Gregor. XIII. ac in
C Bullario veteri post Const. 24. Pauli III. impressus reperitur. Eundem Celsum lego apud sæpè laudatum Vghellum inter Episcopos Castrenses in Patrimonio sub num. 47. & ex Actis Consistorialibus deduco Presbyterum ac Nobilem Romanum, & Protonotarium de numero Participantium fuisse; existimo propterea, quòd antequam ad Protonotarij dignitatem promoueretur, in nostro Collegio iam adscriptus esset, vt plurima adsunt exempla.

CIↃIↃLXVII.

D A. Glorierius ex eodem Regesto; Alexander Glorierius legitur in eodem Cathalogo, vbi fit mentio ipsum Præfectum Annonæ fuisse, ac eiusdem mentio habetur in fide Magistrorum cæremoniarum, quam supra in Cap. XIV. retulimus, vbi Alexander Glorierius Romanus dicitur. De hoc Alexandro aliqua scripsit Ianus Nicius Erythræus in sua Pinacotheca 3. imag. 14. pag. 59.

CIↃIↃLXVII.

C. Adda itidem ex sẹpe citato Regesto.

CIↃIↃLXVII.

F. Scantius ex eodem Regesto.

Octa-

CIƆIƆLXX.

Octauius Accorambonus Nobilis Eugubinus, ac Ciuitate Romanâ donatus Forosempronien. Episcopus declaratus est 1579. die 15. mensis Martij, quam Ecclesiam ad 32. annos administrauit, cum id munus obijsset, Spoliorum Collector in Lusitaniam missus est, reuersumque in Italiam Archiepiscopum Vrbinatem Pontifex declarauit. Romæ è vita decessit an. 1611. die 23. mensis Maij, sepultusque est apud S. Gregorium. Vghel. in Epis. Forosempronien.

CIƆIƆLXXI.

A. Canigianus ex dicto Regesto B. Pij V. ac ex Consistoriali cedula sub datum 1576. die 8. Martij elicitur, Alexandrum Canigianum, tunc Subdiaconum Florentinum de nobili genere ortum I.V.D. ac literarum Apostolicarum Abbreuiatorem, necnon vtriusque Signaturæ Referendarium, ac Gregorij XIII. Summi Pontificis Prælatum domesticum fuisse, eique eundem Pontificem Ecclesiam Aquensem in prouincia Prouinciæ, vacantem per cessionem Iuliani de Medices ex Ducum Etruriæ genere, eiusdemque Ecclesiæ Archiepiscopi, regendam, & administrandam commisisse. Plura de nostro Alexandro apud eruditissimos Viros fratres de Sammarthanis in eorum Gallia Christiana videri possunt. Huius Alexandri notitiam dedit nobis studiosissimus Iuuenis Philippus Buonarota eiusdem Canigiani Conciuis. De hoc etiam nostro Collega mentio reperitur in fide Magistrorum cæremoniarum in Cap. XIV. supra relatâ.

CIƆIƆLXXI.

Ludouicus Bentiuolus Nobilis Bononiensis, ex eodem Regesto, & in nostro Collegio descriptus, cùm esset in Subdiaconatus ordine tantùm constitutus, & Prælatus domesticus Pontificis, ad Ecclesiam Polycastrensem promotus fuit die 14. Iunij 1577. vt ex cedula Consistoriali; deinde ad Ecclesiam Tiphernatem, siue Ciuitatis Castelli translatus, vbi decessit die 19. Septembris 1602. & in Cathedrali sepultus. Inter primos, qui in Pontificijs Cappellis interfuere, Collega noster describitur, vt indicauimus supra in Cap. XIV. Ludouicus noster vnà cum infrascripto Camillo Burghesio etiam Collega

A euulgârunt die xix. Decembris, quæ fuit quarta Aduentus anni 1574. Pontificium Diploma Indictionis Iubilæi Anni Sancti sequentis 1575. vt ex Phœbeo de anno Iubil. par. 2. cap. 11.

CIƆIƆLXXI.

P. Balionus, ex eodem B. Pij V. Regesto.

CIƆIƆLXXIII.

Petrus Paulus Torellus Foroliuiensis, ex eodem Regesto, & ex Catalogo Vtriusque Signaturę Referendariorum, qui tempore eiusdem Pontificis impressus fuit, ac denuo impressus reperitur post Constitu-

B tionem 24. Pauli III. in Bullario veteri: hunc nostrum Collegam inter illos, qui primâ vice in Cappella Pontificia interfuerunt, reperi, vt supra in Capite XIV. demonstraui.

CIƆIƆLXXIII.

Franciscus Barberinus in Collegium cooptatus die 16. Iunij 1573. abdicante munere Oberto Riparolio, vt ex exemplari literarum patentium, quæ registratæ reperiuntur in Codicæ MS. Bibliothecæ Phœbeæ signato litera A. n. 143. pag. 13. quod nobis humanissimè communica-

C uit Dominus Abbas Dominicus Cappellus, Sanctissimi cæremoniarum Magister, ac bonarum literarum cultor. Franciscus noster Maphæi Barberini, postea Vrbani VIII. fel. rec. Summi Pontificis, Patruus fuit, è cuius educatione tantus Vir prodijt. De hoc eodem Francisco, quòd Abbreuiator esset, mentionem vidi in nonnullis Codicibus Vitarum Romanorum Pontificum Ciaconij secundæ impress. Eiusdem Francisci in celebri Excellentissimæ Barberinorum familiæ Cappella in Ecclesia Sancti Andreæ de Valle infrascri-

D ptum extat Elogium nigro marmore insculptum. Ex quo desumimus laudatum nostrum Collegam ad Protonotariatus munus exercendum electum fuisse, eo tempore, quo Protonotarij ipsi nondum ad duodenarium numerum aucti fuere. Elogij verò tenor sic se habet:

D. O. M.
Francisco Barberino Vtr. Sign. Ref.
VII. Viro Protonotario
Animi Paterni Patruo
Sibi & Gentilibus
Maphæus S. R. E. Card. Barberinus
Sign.

Sign. Iust. Præfectus
Sepulcrum . P.

In opposita verò facie aliud simile legitur Elogium .

D. O. M.
Deiparæ in Cœlum Assumptæ
Maphæus S. R. E. Card. Barbarinus
Sign. Iust. Præfectus
Sacellum
Ex suprema patrui voluntate
Ornauit & D.
Anno Domini CIƆIƆCXVI.

Qualis autem magnitudo, magnificentiaque animi Collegæ nostri fuerit, facilè potest argui non solùm ex fratris filij educatione, verùm etiam ex præfata Capella nobilissimis marmoribus, statuis, picturisque ornata, quæ inter pulcherrimas Vrbis Cappellas annumeratur.

CIƆIƆLXXIII.

Camillus Burghesius Romanus vti Abbreuiator vnà cum Ludouico Bentiuolo, de quo supra fati sumus die 19. Decembris, & fuit quarta Aduentus, ante Basilicam S. Petri Pontificium Diploma Gregorij XIII. Iubilæum indicens clarâ voce legit, vt ex supracitato Phœb. de Ann. Iubil. Mox vtriusque Signaturæ Referendarius anno 1588. Bononiam Prolegati nomine missus est. A Gregorio XIII. Apostolicæ Cameræ Auditor constitutus. A Clemente verò VIII. ad Philippum II. Regem Catholicum cum potestate Legati de Latere missus. Deinde ex Hispanijs reducem Vaticanâ Purpurâ illum cohonestauit sub tit. S. Eusebij, postea SS. Ioannis, & Pauli, ac tandem S. Chrysogoni, postea Vicarius Vrbis extitit; ac denique Petri solium ascendit Pauli V. nomine, ex Ciaconio: ex Prospero verò Mandosio in sua Bibliotheca Romana cent. 8. num. marg. 42. colligo literas plures edidisse, quarum multæ ad Deiparæ Virginis cultum spectant. Epistolarum volumen ad diuersos pariter in lucem emisisse.

CIƆIƆLXXIII.

A. Crescentius, ex sæpe dicto vtriusq; Signaturæ Referendariorum Catalogo. De hac familia infra ad annum 1597. vbi de Petro Paulo Crescentio.

CIƆIƆLXXVI.

O. Pamphilius per hæc tempora floruit,
A ex libro Taxarum Collegij. aliam notitiam non habeo.

CIƆIƆLXXIV.

Lupus de Campo ex Pampilonēsi Ciuitate. Hunc Collegā nostrum fuisse autumo, cùm illum reperiam in MS. in meo librorum Cimelio existente sub num. xv. pag. 79. & 110. ac 114. prouisum de quibusdam beneficijs, in Pampilonensi Diœcesi existentibus. Literarum datæ tenor est Kal. Martij 1585. Præter hæc de isto Collega alia ignoro.

CIƆIƆLXXV.

B A. Riccius, Alphonsus videlicet, Mediolanensis ex eodem catalogo.

CIƆIƆLXXV.

Alexander Catalanus Clericus Romanus obijt mense Decembris 1590.

CIƆIƆLXXV.

Bonifacius de Nigro successit Alexandro Catalano in munere Abbreuiatoris.

CIƆIƆLXXVI.

A. Aquen. ex eodem catalogo. eundem esse puto, quem supra ad annum 1571. Alexandrum Canigianum Archiepiscopum Aquensem esse diximus; licèt in Gal-
C lia Christiana dicatur die 16. Septembris præsentis Anni 1576. quòd Ecclesiam S. Saluatoris ingressus fuerit, quia tam antea, quàm postea ipsum in Vrbe interfuisse ambigi minimè potest, quoniam Aquensis Ciuitas ab Vrbe non ita distat, vt, vnius mensis spatio, commodè ad eandem Vrbem quis se conferre non valeat.

CIƆIƆLXXVI.

Ioan. Antonius Odescalchus ex Regestis hoc anno floruit, de quo nullam aliam reperio mentionem. Mea tamen interesse existimo, aliquabreuitèr de nobilissima,
D ac antiquissima Odescalchorum familia enucleare, vt magis innotescat, quales Viri nostro in Collegio pro tempore fuerint adscripti: hæc quæ dicturi sumus, ex Ioanne Maria Ferrari Scriptore Vitæ venerabilis Serui Dei Petri Georgij Odescalchi Episcopi Alexandrini, postea Vigleuanensis delibauimus, quæque vita iterum Antuerpiæ promulgata fuit anno 1685. in principio Propylæi ad Acta Sanctorum Maij.

Odescalchorum familiam à Caroli Magni temporibus suam duxisse originem ambigendum nullo modo est, cum eiusdem

dem Protoparens, siue stipes Odescalchum Vberti Dulphini natus reperiatur, qui vnus ex duodecim Galliæ Paribus extiterit, vt & ipsius Pater eiusdem Caroli Magni æuo fuerat. Otho Lotarij filius, ac præmemorati Odescalchi Nepos Imperatoris Othonis Magni, in Vrbe Viennæ, Allobrogum fuit Vicarius, in cuius Ciuitatis Porta hæc legitur Epigraphe.

Anno Domini nostri Iesu Christi
CMXLII.
Vigesima mensis Iulij
Hoc opus factum fuit
In regimine Domini Othonis
Filij Domini Lotarij, filij Egregij Ludouici,
Cui Odescalchus
Magnus Caroli Imperatoris
Fuit Par
Qui simul cum Paulo Æmilio eius filio
Ab Othone Magno Imperatore
Vicarius Imperialis decoratur.

Paulus Æmilius supramemorati Othonis Odescalchi Dominus Holonij in Volturrena, qui itidem Cæsaris Vicarius, ac strenuus vir fuit, vt in Epitaphio in Archipresbyterali Ecclesia Holonij legitur, videlicet.

Hic iacet corpus
Strenuissimi Viri Magni
Pauli Æmilij
De Nobili Familia Odescalchi
Magni Caroli Magni Imperatoris
Qui fuit in Prouincia
Heluetiorum, & Rhetiorum
Vicarius Othoni Primi
Magni Augustissimi
Imperatoris Romanorum
Obijt Anno Domini
CMLXXV.
Ioannes Ludouicus filius
Dominus Holonij mœstissimus
Posuit.

Gualbertus Odescalchus Patritius Comensis, ac Nouariensis Ciuitatis Episcopus 49. qui illam summâ cum omnium laude, ac prudentiâ 14. annorum spatio gubernauit. Decessit è vita Anno 1063.

Fabius Odescalchi, præter nobilitatem literarum, scientiâ ornatus hæc infrascripta edidit opera. *De veritate indaganda in omni scientia. De quatuor Mathematicis liber Isagocicus. Et Annotationes in libros*

A *de Natali Christi*. E viuis sublatus anni 1225.

Beata Apollonia, quæ floruit circa annum 1400. monialis Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Laurentij propè muros Ciuitatis Comensis ex eadem Odescalchorum familia. Voluit & ipsa, licèt fœmina familiam suam non mundanis honoribus, sed cœlestibus dotibus illustrare, cuius B. Virginis corpus in eodem Monasterio cum pia veneratione seruatur.

Bernardus Odescalchus florebat anno 1550. tempore Pontificatus sanctæ mem.
B Pauli III. cuius Bernardi Pietas, & Religio valdè micuit in Patria sua, cum primus fuerit, qui in Comensi Ciuitate Patres Cappuccinos introduxerit, Patribus quoque Societatis Iesu domum habitandam donauit, ac eius opera duo Pauperum derelictorum loca excitata fuere. Mirum in modum præstitit auxilium fratri Michaëli Ghisilerio, postea Papæ Pio V. beatæ mem. contra hæreticam prauitatem in illis Partibus Inquisitori. Emicuit etiam in Bernardo summa prudentia, vt Orator ad Carolum V. Imperatorem Bononiæ pro
C Corona Imperiali accipienda tunc degentem, pro publicis tractandis negocijs destinatus fuerit.

Thomas, siue Ioannes Thomas Odescalchus inter alios dicti Bernardi filius fuit, legum Doctor magnæ æstimationis, muneraque præcipua in Ciuitate Bononiæ egit. Mediolani autem, postquam Ciuitas in Hispanorum dominium transijt, primus ex Comensibus ad Senatoriam Dignitatem promotus est, Sanctoque Carolo singularitèr carus; ac magno in pretio habitus à Cardinali Federico Borromeo.

D Ioan. Antonius natus Petri Odescalchi in quo peculiaris erga pauperes charitas enituit: Nosocomij in Cumana Ciuitate Fundator. Viuere desijt Anno 1570.

Vincentius Odescalchus etiam miram in Pauperes Charitatem exercuit: ex hac vita sublatus anno 1577.

Hippolytus Odescalchus Miles Sanctorum Mauritij, & Lazari, ac Rodulphi Imperatoris Dapifer, suam militarem virtutem propè Tunetum contra infideles, & vti Copiarum propriæ Nationis Dux contra

tra Flandros ſtrenuè pugnando demonſtrauit;ac dum hæc ſuę proprię virtutis experimenta oſtendebat ad Philippum III.Hiſpaniarum Regem Orator deſtinatus vitam cum morte commutauit anno 1583.Sepultuſque in Eccleſia S.Crucis de Prouincia Mantuæ Carpentanorum,vbi infraſcriptum Sepulchrale legitur Elogium, quod ex illis Partibus ad nos tranſmittendum curauit admodum Reuerendus Dominus Bartholomæus Nappinus Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres Vrbis, ac Amicus noſter.

D. O. M.

Hippolytus Odeſcalchus Patritius Nouocomenſis Rodulphi Imperatoris ab Epulis, poſtquam apud Tunetum, & Belgium Militiæ adſcriptus ſtrenuæ cohortis non modò Miles, ſed Dux magnanimus extitit, & iuxta ſpecimen ſuæ eximiæ virtutis præclarum, altiora huius mortalis, & humanæ gloriæ peteret, ni inter reliquos Duces è freto Gaditano ad Philippum Regem II.Legatione adepta,Mantuaque Carpentanorum vix tacta præcorè morte ad immortalitatem, & Diuinam Gloriam raperetur omnibus expletis, & eius natæ pietatis ſigno adhibito MDLXXXIII. die verò quartâ decimâ menſis Ianuarij ætatis ſuæ vigeſimo nono. Cuius oſſa piè hoc in Ergaſtulo aſſeruantur condita &c.

Paulus Odeſcalchus literarum Apoſtolicarum Corrector à recol. mem. Paulo PP.III. anno 1551. die 17. Decembris declaratus fuit, vt ex Cancellariæ Apoſtolicæ Quinterno; deinde vtriuſque Signaturæ Decanus euaſit, vt ex Referendariorum Catalogo in Bullario veteri poſt Conſtitut. 24. eiuſdem Pauli III. legitur. Alia eiuſdem Pauli Munia ex infraſcripto elogio in Eccleſia S.Hieronymi de Charitate lapide inciſo apparent, quod ſic ſe habet.

Ieſu Chriſto Saluatori
Paulus Odeſcalchus Nouocomeñ
Vtriuſque Signaturæ Referen.&
Decanus Epiſcopus Pennen. &
Adrien. qui Auditor generalis
Cam. Apoſt. & apud multos Principes
Chriſtianos ſæpè Sed. Ap. Nuncius
Et Gubernator Prouinciarum,ac
Totius Eccleſiæ ditionis
Viſitator generalis extitit.
Poſt multos pro Rom.Eccl.ſuſceptos
Labores, & operam egregiè nauatam
Hic tandem
Sub ſpe Reſurrectionis quieſcit.
Eius anima in benedictione ſit.
Vix.an.LX.men.I.dies III.
Obijt VI. Id. Febr.
MDLXXXV.
Petrus Georgius Protonot. Apoſt.
Ludouicus, & Paulus
De Odeſcalchis
Nepotes ex Fratribus
Hæredes ex Teſtamento
Poſſ. Opt. mer.

Petrus Georgius Odeſcalchus literarum Apoſtolicarum Abbreuiator vtriuſque Signaturæ Referendarius, Protonotarius Apoſtolicus, ac Præfectus Breuium; Alexandrinus, deinde Vigleuanenſis Epiſcopus. Vir Sanctitate mirabilis, de quo plura infra inter Abbreuiatores ad annum 1586.

Petrus Franciſcus Odeſcalchus I.V.D. eximius in Papienſi Academia ſuam palàm fecit doctrinam, vt ex ſequenti Elogio.

Petrus Franciſcus Odeſcalchus
I. V. D.
Auguſtiſſimus, genereque clarus
Hoc tumulo manet reconditus.
Qui Ticinenſis Academiæ
Rector extitit
Celebratiſſimus.
Huiuſque Vrbis Tutor aſſiduus
Atque vniuerſæ
Hic pacationis initæ
Summus Auctor.
Ad ſuperos euolauit an.1588.

Eodem tempore in humanis agebat Reu. P.Ludouicus Odeſcalchus Presbyter Societatis Ieſu, qui Philoſophiam Romæ publicè cum omnium plauſu legit; à Gregorio XIII. Poloniam miſſus, poſtea in Tranſyluaniam, vbi ipſius Principis Morum Magiſter, & à Conſilijs fuit.

Ioannes Antonius Odeſcalchus Ioan. Petri filius inter Regios Senatores Mediolani in fine præteriti ſæculi mirificè excelluit; tumulatus fuit in Eccleſia S.Barnabæ, vbi ſepulchrum cum Gentilibus Odeſcalchorum inſignijs, alijſque ornamentis mirum in modum relucet, ac in nigro marmore æneorum characterum coagmentationibus hæc leguntur.

Ioan.

Ioan.Ant. Odescalcho Comensi
Reg. Sen.
Viro integerrimo
Anna Carcassola Mediol.
Patribus, cæterisque, Virum Chariss.
Ad salutem commendans
Mœstiss. P.
Ob.VI. id.Nou.MDXXCIX.

Nolumus hìc sub silentio præterire Ludouicum Odescalchum, qui an aliquo speciali munere insignitus fuerit, ignoro. Scio tamen ex hac nobili Prosapia ipsum emanatum fuisse, ideòque inter eosdem connumerandum esse censeo, B cuius memoria in Cathedrali Cornetana, vbi humatus fuit, extat, cuiusque in tumulo Epigraphes hæc ab Illustrissimo D. Comite Philippo Rinaldo à Turri Salutiarum communicata, apposita est.

D. O. M.
Ludouico Odescalcho Nouocomensi Viro integerrimo, qui vixit annis 39. menses septem, dies 18. Æmilius, & Franciscus fratri charissimo benemerent. poss. MDXCLIII. Non. Iunij.

Ioannes Antonius Odescalchus Æmilij C filius in vtroque iure insignis, ab Austriæ Archiduce Leopoldo speciali priuilegio Oenipontis Senator creatus, ac perpetuus Consiliarius excelsi Senatus superioris Austriæ: in humanis agebat anno 1619.

Alexander Odescalchus adeo integerrimus vitæ suæ moribus vixit, vt post mortem. Sanctitatis laude dignus existimatus fuerit. Obijt anno 1617.

Iulius Maria Odescalchus Nouocomensis Episcopus, ac verè germanus Frater sanctissimæ memoriæ Innocentij Papæ XI. & ex Cassinensi Monacho Nouariensis Ec- D clesiæ Infulas promeruit, in cuius gubernio diuini cultus mirificè se studiosum ostendit, eximiæque religionis particularia dedit indicia. In proximum assiduò charitatem exercuit, propriosque redditus, pensionesque, quas ipsi Pontifici tunc Cardinalatus Dignitate prædito debebat (ipso indulgente) copiosissimè erogauit in pauperes. Sui populi vitia, quantum potuit elisit, seseque magnæ virtutis fecit exemplar. Ob hæc Sanctitatis de se fidem in alijs adeo peperit, vt post obitum omnes ad eius *corporis veneratio-* A *nem deuoti concurrerent.* Cœlum ascendit anno 1666.

Marcus Antonius Odescalchus toti ferè Curiæ ob eximias in pauperes Charitatem, ac Misericordiam, quæ in ipsa familia semper enituerunt, satis notus, cùm Ptochodochium hac in Vrbe fundauerit, vbi quotidie multa pauperum centena hospitantur, ac aluntur. Floridæ adhuc ætatis decessit, Bonis omnibus collacrymantibus, sepultusque in Ecclesia S. Mariæ in Campitello, nunc in Porticu dicta, cuius in sepulchro sequens legitur elogium, ab eodem Pontifice Innocentio XI. quum Cardinalatus Dignitate fulgebat, positum.

Marco Antonio Odescalcho
Nouocomensi
Sacerdoti integerrimo
Qui morum candore
Modestiâ, & sui despicentiâ spectatissimus
Effusâ in pauperes liberalitate præcelluit
Quos hospitio benigne exceptos
Omni ope, & operâ complexus
Inter hæc Christianæ Pietatis officia
Obdormiuit in Domino
An.MDCLXX. mense Maij die XXVIII.
ætat.XXXXVI.
Benedictus S. R. E. Presbyter
Cardinalis Odescalchus
Consanguineo Dilectissimo
P.

Tabula picta, Marcum Antonium eleemosynam pauperi erogantem expressum continens, in Seminarij Romani Aulâ inter diuersos Illustres Viros cernitur.

Pro tantæ familiæ Coronide, quæ Virorum tam in honoribus, quàm in Sanctitate insignium omni æuo Seminarium fuit, indicare sufficiat Benedictum Odescalchum, post varios honorum, munerumque gradus, â sanct. mem. Innocentio X. Purpurâ decoratum, qui postmodum die XI. Septembris anni 1676. ad Petri solium omnium populorum plausu euectus, Innocentij XI. Nomine sibi imposito.

CIↃIↃLXXVII.
Thaddæus Massa Romanus, ex eodem.
CIↃIↃLXXVIII.
Ioannes Baptista Lambertinus Bononiensis ex eodem Catalogo.
CIↃIↃLXXVIII.
Hieronymus Auila in locum N. Fusche-

rij admissus in hoc anno ex eodem MS.deduco, suumque officium deinde Ludouico Martino, Clerico Nicensi resignasse sub die 12.Septembris 1602. nec non, vti Decanum in Statutis Collegij, editis anno 1593.subscripsisse, reperi.

CIƆIƆLXXVIII.

M. A. Serlupius. Marcum Antonium Serlupium Nobilem Romanum esse puto, quem Apostolicæ Cameræ Clericum fuisse narrat Abb.Michaël Iustinianus,in suis Liter.Memorab.tom.3.pag.664.

CIƆIƆLXXVIII.

Hieronymus Mattheuccius ex eodem; & Cedula Consistoriali sub datum Romæ prima Iunij 1579.elicitur,ipsum Clericum Firmanum fuisse, ac literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiatorem, & in illarum expeditione bo: mem: Alexandro Episcopo Portuensi Cardinali Farnesio nuncupato S. R. E. Vicecancellario Assistentem, nec non in vtraque Signatura Referendarium, ac Prælatum domesticum, clericalique caractere dumtaxat insignitum fuisse. Ex sæpè autem laudato Vghello etiam elicimus eundem Hieronymum in Archiepiscopum Ragusinum fuisse electum; deinde ad Ecclesiam Sarnensem translatum; & die 5.Decembris 1594. ad Ecclesiam Viterbiensem iterum translatum, & post multa munera, quæ tam in Italia, quàm in Gallia, pro Apostolica Sede gessit, Viterbij tandem mortales exuuias deposuit die 19. Ian. 1609. ibique in Cathedrali cum infrascripta Epigraphe depositus.

D. O. M.

Hieronymo Mattheuccio Firmano Ragusinorum Archiepiscopo primum, deinde Sarnensi, demum Viterbiensi Episcopo, Legatione apud Venetos, Vrbis Præturâ, summâ Exercituum Ecclesiasticorum administratione, in Gallia, & Belgio, Pannonia, ac Ferrariensi bello, maximâ cum laude probitatis, & industriæ perfuncto, animo in laboribus, ac rebus aduersis perferendis infracto, in secundis, quas tantùm vix vnquam aspexit, moderato. Obijt XIII.Kal.Febr.MDCIX.ætatis verò suæ LXV.

CIƆIƆLXXVIII.

Iacobus Seuerolus Romanus,vt ex Marchesano de Commiss. tom.1. pag.40, vbi Catalogus vtriusque Signaturę Votantium sui temporis refertur. Per hæc tempora in Collegium admissus: plura Gubernia Collega noster gessisse narratur in Epistola dedicatoria, quæ secundo Volumini Tractatus de Laudemio, ab Antonio Nigro elaborat. præfixa est. Dicitur etiam ibi Vicelegationis munus in Ferrariensi Ciuitate, à Clemente VIII. sanctæ mem. tunc recuperatæ, summâ cum laude adimpleuisse, itaut illi Purpura omnium votis augurata fuerit, quam inuida mors ei rapuit. De hoc eodem Iacobo meminit sæpè laudatus Carolus Cartharius in suo Syllabo Aduocatorum Consistorialium in Nicolao Seuerolo, cuius occasione plures tam in armis, quàm in literis illustres Viros, qui ex hac antiqua Seuerola familia exiere, recenset, inter quos meritò recensendus etiam est Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Marcellus Seuerolus, qui ad vtriusque Signaturæ Votum ad præsens admissus est; ac inter Eruditos nostri temporis Viros iure annumeratur, cuique nos deuinctos esse fatemur, præsertim quia sæpè ex fæcundo suorum librorum Cimelio Codices nobis commodat. Collegam nostrum suum perpetuitati nomen consecrasse reperimus, dum Tractatum de Conditionib.&Demonstrat. Typis euulgauit, vt ex laudato Prospero Mandosio in sua Bibliotheca Rom.Cent.X. num.marg.71.

CIƆIƆLXXIX.

Alexander Iacobatius, seu Iacomutijs Clericus Viterbiensis ex meo MS. sub num. 24. per hæc tempora. Suum deinde resignauit officium, vt puto, Antonio Diaz.

CIƆIƆLXXX.

G. Delphinus, ex Nobilis familia Romana, quæ extincta est.

CIƆIƆLXXXI.

A. Catalanus.

CIƆIƆLXXXII.

Hieronymus Maffeius.

CIƆIƆLXXXII.

Benedictus Iustinianus ex eodem Regesto Patritius Genuensis, natus est Chij die 5. Iulij 1554. A Gregorio XIII. Parci Maioris Abbreuiator, Vtriusque Signaturæ Referendarius, & Confidentiarum Iudex nominatus. Sixtus verò Thesaurarij

mune-

munere, & mox Purpurâ eum condecorauit, cui Diaconiam S. Georgij in Velabra, & postea S. Agathæ, deinde S. Nicolai in Carcere, & tandem ad S. Mariæ in Cosmedin gradum fecit. Fuit Benedictus primus, qui Thesaurarij Dignitatem perpetuam obtinuit. Postea Camerarij munere functus est. A Gregorio XIV. & Innocentio IX. Legatus à latere institutus ad Picenum missus; deindeque Asculanâ Legatione potitus est. Signaturæ Iustitiæ Præfectus fuit; à Paulo V. Bononiam Legatus. Floruit Benedictus comitate, humanitate, probitate, & consilio; obijt paulò post electionem Gregorij XV. Vide Ciaconium, & Oldoinum in suo Atheneo Romano pag. 114. & in Athen. Ligust. pag. 104.

CIƆIƆLXXXIII.

Antonius Diaz Romanus per hæc tempora in nostro Collegio adscriptus fuit. Vtriusque Signaturæ votans euasit, vt ex Catalogo ipsorum Referendariorum à Marchesan. de Commiss. tom. 1. pag. 40. relat., suum resignauit officium Marco Antonio Viperesco. De hoc nostro Collega meminit Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispanica, putans ex nominis affinitate illum fuisse Hispanum, ac asserit scripsisse de bello: seu Disputationem: An liceat Christianis bellum gerere, in 4.

CIƆIƆLXXXIII.

Alexander Miletus: Huius Collegæ notitiam mihi suppeditauit Conciuis meus Prosper Mandosius ordinis S. Stephani Eques, deque Republica literaria, deque Patria optimè meritus, cùm Conciuium suorum, qui in literis claruerunt memoriam excitauerit, & excitet, cùmque iam decem Centurias sub titulo Bibliothecæ Romanæ ediderit, ac in alijs consarcinandis, nullis laboribus, nullisque expensis parcat, vtpotè qui etiam operam suam nauat in alijs eruditis Tractatibus de Bibliotheca equestri, ac de familijs Nobilibus Romanis; ex hoc verò sequentia communicauit. Alexander Miletus Ioannis Mileti, & Annæ Cardellæ Nobilium Romanorum filius à sanct. mem. Sixto V. in Abbreuiatorum de Parco Maiori numero descriptus, qui pulchrum admodum palatium è conspectu Ecclesiæ S. Thomæ in Parione ædificauit, vt ipsius nomen testatur in specula inscriptum. Vnicus huius familiæ adhuc superstes est nomine Bernardus Mileti Monachus Cassinensis, per cuius obitum eadem familia deficiet.

CIƆIƆLXXXV.

Innocentius Bubalus de Cancellarijs Nobilis Romanus; Abbreuiator de Parco Maiori primùm, ac vtriusque Signaturæ Referendarius factus est à Sixto V. vti Prætor Narniensem sub eodem Sixto, deinde Beneuentanam sub Gregorio XIV. Firmum Vrbes rexit primò, tum Episcopus Camerinensis renunciatur, deinde Sedis Apostolicæ apud Henricum IV. Galliæ Regem Nuncius Pontificius legatur, ac Presbyterorum Cardinalium Cætui absens à Clemente VIII. adscriptus est, in postrema Creatione, cum Titulo S. Thomæ in Parione, quem Titulum progressu temporis cum alijs, nempe S. Marcelli primò, tum S. Pudentianæ, demum SS. Nerei, & Achillei commutauit. Obijt IV. Kal. Aprilis Anno salutis 1610. ætat. 44. Romæ ex calculo. Iacet apud S. Mariam in Via cum ingenti Epitaphio in nigro marmore. Antequam Innocentius purpurâ donaretur, suum (ni fallor) resignauit officium Ascanio Castaneo, vt infra.

CIƆIƆLXXXVI.

Petrus Georgius Odescalchus Comensis, de qua Nobili familia nuper disseruimus, scilicet ad annum 1576. occasione Ioannis Antonij Odescalchi in Collegium tunc adscripti. De hoc Petro Georgio plura narrari possent, cùm illius vitam Ioannes Baptista Sala ipsius Præsulis à sexennio familiaris, ac deinde Cathedralis Ecclesiæ Comensis Canonicus Pœnitentiarius Latino Idiomate, abundè descripserit, quam iterum, Italico etiam Idiomate, Ioannes Maria Ferrarius exarauit, ac etiam Vghellus nonnulla de tanto Viro in sua Italia scripsit; ex istis propterea Auctoribus paucissima hic inserenda delibauimus, ne à solita breuitatis semita discederemus. Petrus Georgius igitur Vir fuit vndequaque absolutus, ac omnigenæ virtutis splendore eximius, doctrinâ clarus, pietate insignis, prudentiâ commendabilis, omnium gerendorum dexteritate perspicuus, ac sanctitate denique mirabilis. Cùm Romam venisset à Sixto

to V. Summo Pontifice magno in pretio habitus; vtriusque Signaturæ Referendarius, Abbreuiator de Parco Maiori, ac Protonotarius de numero Participantium renunciatus: ac addere nobis placet, quòd cum idem Pontifex officium Præfecturæ Breuium Iustitiæ anno 1590. nouiter erexisset, illudque varijs priuilegijs, varijsque honoribus decorasset, præfato Petro Georgio, cùm ipsius animi dotes satis superque notæ essent, conferre voluit, eundemque postea ciuitatis, populique Firmani Gubernatorem declarauit: deinde, cùm nondum trigesimum expleret annum, à Sanctissimo Pontifice Clemente VIII. ad Ecclesiam Alexandrinam die 10. Maij 1596. promotus, quam tresdecim annorum spatio, summâ cum vigilantia, populorumque plausu, ac ædificatione gubernauit: quo tempore ab eodem Pontifice Clemente Nuncius extraordinarius ad Heluetios, pro componendo quodam prætenso Iure, cum Camera Apostolica, missus fuit; vbi cùm maximâ dexteritate se gessisset, reuersus, Pontificis approbationem, ac laudem promeruit. Postea anno 1611. à recol. mem. Paulo Papa V. ad Vigleuanensem Ecclesiam translatus fuit, quam non minori vigilantiâ, & ædificatione rexit; vbi mortales vitæ exuuias deposuit die 7. Maij anni 1626. cùm esset ætat. annor. sex supra quinquaginta, sepultusque in Cathedrali toto collacrymante populo, ibique duo in marmore exculpta leguntur elogia, alterum ad columnam Presbyterij, alterum verò supra lapidem sepulchralem. Primum sic se habet.

D. O. M.
Petro Georgio Odescalcho
Patritio Nouocom.
Thomæ Reg. Senator. filio
Ecclesiæ, Patriæ, & Familiæ lumini.
Hic
Vtriusque Signat. Referend. Protonot.
Particip.
Liter. Apost. Correct. Firmi Gubernat.
Ad Heluetios Legati
Munera feliciter obiuit.
Episcopus Alexandriñ, postmodum
Vigleueñ
Vbique extructis Aris, scriptis
Codicibus, Pijsque

A Institutis eximiæ Pietatis in Deum,
Deiparam,
Et Sanctos gloriosa erexit Monumenta,
Pastor, & Pater semper vigilans, & Pius
Inter Piorum lacrymas nunquam
satis lacrymatus
Vt Cœlo diutiùs viueret, citiùs Terris
ereptus est.
Obijt Non. Maij M D C X X.
Deuoti animi testimonium
Parenti Optimo
I.C. Raymundus Odescalchus
Posuit.

B *Secundum autem est.*

Mariam Virginem
Quam viuens
Petrus Georgius Episcopus
Mirificè coluit
Hic eius etiam ossa deposita
Venerantur.

Petrum Georgium suum Abbreuiatoriæ officium resignasse existimo Iosepho Ferrerio anno 1589. vt infra. De eodem Petro Georgio, vltra supracitatos Auctores, meminit etiam Hieronymus Ghilini in suo Theatro *d'homini Literati* pag. 198. vbi C præter eius laudabiles qualitates, refert etiam libros, ab eodem editos.

CIƆIƆLXXXVI.

Ascanius Castaneus Clericus Taurinensis per hæc tempora in Collegium admissus in locum, (vt puto), Innocentij Bubali de Cancellarijs.

CIƆIƆLXXXIX.

Iosephus Ferrerius Nobilis Sauonen. I. V. D. ac literarum Apostolicarum Maioris Præsidentiæ Abbreuiator, & vtriusque Signaturæ Referendarius, electus Archiepiscopus Colossen. in partibus Infide- D lium die 13. Maij 1593. ac deputatus Coadiutor cum futura successione Reuerendissimo Antonio Archiepiscopo Vrbinaten. ob eius ingrauescentem ætatem, ac diuturnam absentiam ab ipsa Ciuitate, & Diœcesi, ac nonnullas differentias, & dissentiones, inter eum, & eius Capitulum aliàs ortas. Iosephus è vita migrauit Anno 1610. die 16. Martij, cùm Auenioni Vicelegationis munere fungeretur, ibique tumulatus fuit, vt narrat Vghellus inter Archiepiscopos Vrbinatenses. De eodem Ferrerio meminit Anastasius Germonius in suo Tractatu de Indultis Cardinalium

§.per-

§. perque sublatis num. 34. appellans Virum egregiè doctum, diligentem, ac in re beneficiaria, alijsque Cancellariæ expeditionibus magnopere versatum. A

CIƆIƆLXXXIX.

Maphæus Barberinus Florentię natus anno salutis 1568. Anno primo supra vigesimum nondum exacto, Maioris Præsidentiæ Abbreuiator, ac Signaturæ Iustitiæ à Sixto V. & mox à Gregorio XIV. etiam Signaturæ Gratiæ Referendarius renunciatus fuit: deinde ad Fanensem populum regendum destinatus, mox Protonotariorum numero adscriptus; ac paulò post etiam inter Cameræ Apostolicæ Clericos cooptatus; ac successiuè Archiepiscopus Nazarenus electus; in Galliam Nuncius missus; ac demum Cardinalis Titulo S. Petri in Monte Aureo creatus fuit: Purpura donatus, à vinculo Ecclesiæ Nazaren. absolutus, ad Spoletanam translatus est, & postea vtriusque Signaturæ Præfectus; Legatione Bononiensi etiam decoratus. Talia grauiora munia obiuit; maximo Sedis Apostolicę plausu. Deindeque ad tergemini Diadematis apicem euectus, & Sede Petri, per vnum & viginti annos, octo diebus exceptis, feliciter recta, à viuis decessit die Veneris hora 11. vigesima nona Iulij anno ætatis suę septimo supra septuagesimum, salutis 1644. Fuit quartus Pontifex, qui Collegium nostrum natalibus, doctrinâ, alijsque egregijs virtutibus illustrauit. Plura de tanto Pontifice dicenda essent, sed calamum suspendo, cùm copiosiori manu iam typis euulgata fuerint. Sufficiat hæc breuiter, iuxta nostrum institutum indicasse. B C

CIƆIƆLXXXIX.

Ioannes Beiel ex statutis Collegij. D

CIƆIƆLXXXIX.

Hieronymus Serlupius ex statutis Collegij. Pro certo habeo Nobilem Romanum fuisse, illumque, qui postea Clericorum Cameræ Apostolicæ Decanus euasit, vt testatur Epigraphe in Ianua Palatij ad Plateam S. Mariæ in Campitello. De eodem etiam meminit in suis literis Memorab. Abb. Michaël Iustinianus tom. 3. Ep. 134.

CIƆIƆXC.

Io: A. Gamus ex eodem Regesto.

CIƆIƆXC.

Horatius Mottinus ex libro Diuisionum.

CIƆIƆXC.

Gas. Albertonus ex eodem paritèr Reg. & ni fallor, nomine Gaspar ex nobili, & antiqua familia Romana, quæ modò extincta est.

CIƆIƆXC.

Bonifacius de Negro Clericus Ianuensis, admissus in officium in locum Alexandri Catalani defuncti mense Decembris anni 1590. ex MS. in meo Cimelio existente.

CIƆIƆXCI.

B. Portus ita subscriptus in supracitatis statutis visitur.

CIƆIƆXCI.

M. Vecchiarellus itidem ex sæpè dictis statutis, ac ex Regesto Clementis VIII. Marianus Petrus Vecchiarellus iste fuit Patritius Reatinus, ac Romæ degens vtriusque Signaturæ Referendariorum Decanus euasit. Ad se accersitum Odoardum Vecchiarellum ex Hyppolito fratre filium, ita in omni virtute adolescentem instruxit, vt à Sanctissimo Pontifice Vrbano VIII. Cameræ Apostolicæ Præses declaratus; deinde inter eiusdem Cameræ Clericos adscriptus, postea in generalem Auditorem electus fuerit; demque ab Alex. VII. inter Purpuratos cooptatus, Diaconia SS. Cosmi, & Damiani insignitus, cuius cineres veneror ob peculiarem, quo me viuens prosequebatur amore. Marianus sepultus est in Ecclesia S. Petri ad Vincula de Vrbe, cuius tumulo hæc Epigraphe insculpta fuit.

D. O. M.
Mariano Petro
Vecchiarello
Patritio Reatino
Referendarior. Vtr. Sig. Decano.
Pro Sede Apostolica
Per ann. octo & quadraginta
Varijs Muneribus
Integerrimè functo.
Anno sal. MDCXXXIX.
Ætatis LXXIII. e viuis erepto.
Odoardus Vecchiarellus
Cam. Apost. Generalis Auditor
Ex Hyppolito fratre Nepos, & Hæres
M. P.

Io:

CIↃIↃXCI.

Io:Aloyſius Scappius, ſiue de Scappijs Clericus Bononienſis quem in locum ſupramemorati Petri Georgij Odeſcalchi admiſſum fuiſſe reperio, ex ſupradicto MS. quique etiam in ſtatutis Collegij ſubſcriptus eſt: ſuum deinde reſignauit officium Guido de Guidis.

CIↃIↃXCI.

Melchior Creſcentius Romanus ex eodem Clementis VIII. Regeſto, ac ex ſtatutorum ſubſcriptione in Collegium cooptatus, in locum Ioſephi Ferrerij, poſtmodum dimiſit officium anno 1597. Angelo Ruggerio, de hac familia Creſcentia vide infra ad Annum 1597.

CIↃIↃXCI.

M. Vipereſcus ex præmemorato Regeſto, ac ex MS. Marcus Antonius Vipereſcus in Collegium admiſſus in locum Antonij Diaz; ille poſtmodum deſignauit officium ſuum Benedicto Melchiorio menſe Maij 1613. Licèt de noſtro Collega præter nomen aliud non adinuenerim, attamen de hac nobili familia Romana, quæ paucis ab hinc annis deſijt, plura dicenda eſſent. Sufficiat tamen hìc pro illius laude aliquid de plendidiſſimæ Sanctimoniæ Virgine Liuia Vipereſcha enarrare, quæ Maiorum ſuorum ſeriem mirum in modum illuſtrauit, ac familiæ corona fuit, cuiuſque peculiaris in pauperes liberalitas emicuit, præſertim in ſubleuandis virginibus, quarum inopiæ, & pudori conſuluit, Parthenium fundando, quod poſt ſui obitum hæredem ex Aſſe inſtituit. In tanta femina, non ſolum Religio, & Pietas enituit, verum etiam (quod in feminis raro accidit) Latinæ, Grecęque linguæ ſummâ peritiâ, ita vt meritò à Summo Pontifice Vrbano VIII. qui vtraſque linguas optimè callebat meruit commendari. Qui plura de hac femina cupit, legat laudatum Proſperum Mandoſium in ſua Bibliotheca Romana Cent. 10. num. marg. 60.

CIↃIↃXCII.

Zaffirus Farratinus Nobilis Amerinus. Puto Bartholomęi, ac Baldi Farratini Cancellariæ Apoſtolicæ Regentium Zaffirum conſanguineum fuiſſe, de quibus vide apud Vghellum inter Epiſcopos Amerinos, & apud Ciacon. nouiſſ. edit. tom. 4. pag. 403. vbi refert Bartholomæi ad Car-

A dinalatum promotionem, ac Proſper laudatus Mandoſius in ſuo Opere de familijs Nobilibus, propediem in lucem emittendo narrat, eundem Zaffirum etiam Protonotarium de numero Participantium fuiſſe.

CIↃIↃXCIV.

Horatius Matthęius Romanus, ex dicto Regeſto præcipuè nobilitate clarus, Octauij Tituli S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis Bandini Nepos Clementis VIII. Prælatus domeſticus, quem ipſe Pontifex die 19. Nouembris 1609. Hieracenſi Epiſcopatu

B decorauit. Nuncij munere functus fuit apud Venetam Rempublicam. Obijt Neapoli die 13. Iulij 1622. ibique ſepultus; hæc ex Vghell. & Cedul. Conſiſtor. Admiſſus fuit in noſtrum officium, in locum Bonifacij de Negro, illud reſignantis, & quod poſtmodum idem Horatius in fauorem Vlpiani de Vlpijs etiam reſignauit.

CIↃIↃXCVII.

L. Dubliulius ex eodem Clementis VIII. Regeſto.

CIↃIↃXCVII.

Petrus Paulus Creſcentius ex antiqua,

C & Nobiliſſima familia Romana editus, quę Purpuratorum Seminarium iure appellari poteſt, cùm diuerſi ex illa exierint Cardinales, quorum poſtremus nomine Alexander nulli ſecundus, in omnibus virtutibus fuit, cuiuſque cineres adhuc veneror, ob peculiarem in me amorem, ac ob eundem in promouendam virtutem, qui in ſingulorum ipſius familiæ corde ſemper exarſit, idque plures Viri virtute præditi; egenteſque, ſi viuerent, teſtari poſſent, qui in Creſcentia domo aſylum inuenerunt. Qualis autem iſtius Petri Pauli animi mo-

D deratio fuerit, ex hoc vnico exemplo addiſcere poteris. Cùm in Clericorum Cameræ Collegio minimè eſſet adſcriptus, nihilominus, cùm ipſius animi dotes, præſertim verò, quia S. Philippi Nerij tunc viuentis veſtigia ſectaretur, Summo Pontifici Paulo V. ſatis notæ eſſent, Auditoratus Cameræ munus illi, vltro, ab eodem Pontifice oblatum fuit, quod ipſe modeſtè recuſauit, ac reluctans poſtmodum accepit. Curiæ Cauſarum Referendarijs, ac literarum Apoſtolicarum Abbreuiatoribus etiam adſcriptus, ac in ijs breui temporis ſpatio ſe exercuit, quia ad Maiora vocatus

tus fuit, ac inter Purpuratos ab eodem Pontifice adscriptus, Tituloque Sanctorum Nerei, & Achillei insignitus. Deinde Reatinæ Ecclesiæ infulis etiam ornatus; Signaturæ Gratiæ, Sacræque Consultationis Senatui annumeratus; postea ad Vrbeuetanam translatus Ecclesiam ann. 1621. Postmodum Episcopus Prænestinus renunciatus VIII. Id. Octobris 1629. inde verò anno 1641. primâ die Iulij Portuensis, vbi pietatem suam, suamque Religionem, præsertim erga Beatissimam Virginem Mariam demonstrauit. Nonnulla etiam temporalia munia, dum in Cardinalatus esset Dignitate, obiuit: omnia summâ cum laude. Tandem meritis onustus obdormiuit in Domino anno 1645. ætat. 73. sepultusque in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Valicella inter Presbyteros Congregationis eiusdem S. Philippi Nerij absque vlla memoria, vbi Sacros eius Magistri cineres veneramur. Plura si cupis apud Ciaconium videre poteris.

CIƆIƆXCVII.

Angelus Rogerius, siue Rugerius Clericus Romanus, admissus in Collegium per hæc tempora, in locum Melchioris Crescentij, qui officium resignauit ex MS. in meo librorum Cimelio sub num. XXIV.

CIƆIƆXCVII.

Lambertus Vrsinus de Viuarijs Nobilis Leodiensis per hæc tempora in nostrum Collegium cooptatus, cuius peculiares qualitates in sepulchrali elogio in Sacello S. Lamberti Leodiensis Episcopi in Ecclesia S. Mariæ de Anima Nationis Teutonicorum à se constructo, atque dotato leguntur, quod sic se habet.

D. O. M.
Lamberto Vrsino de Viuarijs
Patritio Leodiensi
In Vtraque Signatura Referendario
Et Maioris Præsidentiæ Abbreuiatori.
Qui egregia in Prodatarij
Alijsque præclaris Muneribus
Diuersisque in Galliam, & Germaniam
Legationibus Sedi Apostolicæ
Per LIIII. annos nauata, & probata opera
Priscâ fide, eminenti scientiâ
Rerum Datariæ, & Cancellariæ
Incomparabili peritiâ
Totius Curiæ admirationem meruit
Celeberrimaque Nominis sui fama
Et magno apud omnes ordines
Desiderio relicto
Extructoque, & dotato Altari proximo
Plenus dierum, & gloriæ obijt.
Anno ętatis suę LXXVIII.
A partu Virginis MDCXIX.
Decembris die XI.
Ægidius Vrsinus de Viuarijs
Abbas Arnaricensis
Signaturæ Iustitiæ Reuisor
Patrui Viri Clarissimi
Ac optimè de se meriti memorię consulens
Grati animi monumentum posuit.

CIƆIƆC.

Lucas Duccius per hæc tempora in Collegium admissus; obijt Anno 1611. virtute, & dignitatibus clarus, vt ex infrascripto Epitaphio in Ecclesia S. Laurentij in Damaso de Vrbe in marmore inciso legitur.

D. O. M.
Lucas Duccius
E Ciuitate S. Sepulchri
Olim Basil. huius Canon.
Vtriusque Signaturæ Refer.
Literarum Apostolicarum
Maioris Præsidentiæ
Abbreuiator.
In quarum expeditione
Ferdinando Medices
Alexandro Montalto
Card. Summatoribus astitit.
Pontificibus Maximis
Leone XI. ac Paulo V.
Prodatarius, à quo
Et noua Abbreuiatoris
De Curia auctus Dignitate
Omnibus muneribus
Egregiè perfunctus
Maiora vt semper meritus
Hic iacet.
Fecit Bernardinus Duccius
Patruo opt. B. M.
Qui vixit an. LXI. dies VIII.
Obijt MDCXI.

In eiusdem Lucę locum successit Hieronymus à Sommoria, vt infra ad ann. 1612.

CIƆIƆC.

Guidus de Guidis Nobilis Volaterranus ex dicto Regesto Clementis VIII. admissus in Collegium in locum Ioannis Aloysij de Scappijs. Obijt (vt puto) Guidus degente in Collegio.

CIϽIϽC.

V. Robertus itidem ex eodem Regesto, & ex libro Decretorum Collegij, vbi Virginius Robertus appellatur, qui die 18. Septembris 1607. in Collegio à Secretis deputatus fuit, durante absentia Vlpiani Vlpij: postmodum officium resignauit Io: Francisco Gandolpho die 2. Ianuarij 1610.

CIϽIϽCI.

Baptista de Segnis, Nobilis Bononiensis olim à Secretis Collegij, qui Mense Martij Anno 1621. Prouinciæ Marchiæ Vicelegatus electus, deinde eius in senectute à fel. rec. Innocentio PP. X. in Domus Præfectum adscitus.

CIϽIϽII.

L. Martini ex eodem libro. Pro certo habeo Ludouicum Martini fuisse, qui in Episcopum Augustanum Prouinciæ Taranthasiensis die 31. Ianuarij 1611. electus fuit, vt ex Actis Consistorialibus, in quibus mentio habetur, ipsum Ludouicum tunc temporis quintum supra quadragesimum suæ ætatis annum egisse, ac biennio in Presbyteratus ordine constitum I.V.D. ac in Diœcesi Nicien. fuisse ortum; præfuit eidem Ecclesiæ annis tredecim, euocatus ad superos Anno 1624. vt ex Vghello, & Sammarthanis.

CIϽIϽCIII.

Vlpianus Vlpius Nobilis Nouocomensis sub Sixto V. Vtriusque Signaturæ Referendarius Maioris Præsidentiæ Abbreuiator, in locum Horatij Matthæi, Apostolicus Nuncius apud Carolum II. Magnum Ethruriæ Ducem, mox ad Philippum III. Hispaniarum Regem, Paulo V. sedente, in Archiepiscopatum Theatin. successit Cardinali Maffæo, die 23. Februarij 1609. quem libens dimisit anno 1616. Deinde anno 1619. Episcopatu Nouariensi donatus sub Gregorio XV. Breuium Præfectus, & Datarius, sub Vrbano VIII. iterum Breuium, & Pontificiæ Domus Præfectus in Palatio Vaticano meritis, & annis onustus diem suum obijt sexto Idus Martij 1629. iacet in Ecclesia S. Caroli de Catinaris, cum inscriptione sepulchrali, quam vide apud Vghellum in Archiepisc. Theatin. & Episcop. Nouariensibus. Vlpianus suum resignauit officium Cyriaco Roccio, vt infra ad annum 1609.

A

CIϽIϽCIV.

B. Ferratinus ex eod. Clem. VIII. Regest. Baldum, Nobilem Amerinum, I. V. D. præclarisque naturæ donis illustratum, nec non affabili conuersatione, & amicabili beneuolentiâ clarum fuisse narrat sæpecitatus Mandosius, in suis familijs Nobilibus; additque Vaticanæ Basilicæ Canonicum, & Abbreuiatorem, Cancellariæque Apostolicæ Regentem fuisse. Alium Baldum, necnon Bartholomæum eiusdem familiæ de Ferratinis ambos Cancellariæ Apostolicæ Regentes reperio, ac B etiam Amerinos Episcopos connumeratos. Insuper alium Bartholomæum, qui Clementis VII. Aulæ Præfectus fuit, ac deinde Clusino Episcopatu donatus.

CIϽIϽCIV.

Hieronymus Vidonus successit in locum Guidi de Guidis ex eodem MS. penes me existente. Eiusdem Hieronymi qualitates summatim refero, ex Ciaconio, tom. 4. nouissimæ editionis, pag. 557. desumptas, vbi Ciaconius asserit Nobilem Cremonensem, ac vtriusque Signaturæ Referendarium, nec non Vicelegatum C Piceno præfuisse; quo munere, dum ipse fungeretur Cameræ Apostolicæ Clericis adiunctus est. Ab Vrbano VIII. Generalem Ecclesiæ Thesaurarium, Romandiolæ Præsidem, & exercitus Ecclesiastici Curatorem primò, deinde anno 1626. die 19. Ianuarij S. R. E. Cardinalem eundem nominatum fuisse, non tamen euulgatum, nisi die 30. Augusti anni sequentis. Obijt Hieronymus anno 1632. die 30. Octobris, sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Victoria, ad Diocletiani Thermas. Eiusdem egregias virtutes exprimit lapis in D Cremonensi Ecclesia publico Ciuium Decreto, appositus; cuius tenor is est.

D. O. M.
Hieronymo Vidono Patritio Cremonensi
S. R. E. Cardinali Eminentissimo
Qui paginam fælicitatis meritis impleuit
& præmijs,
Documento Aulicis
Fortunæ Rotam Virtutis clauo defigi.
Roma, titulo, ingenio capax prope exhaurit amoris
Pari gratia sub quatuor Pont. Max. pollens
Clemens enim VIII. illum inter Aulæ Romanæ Præsules adlegit

Pau-

Paulus V. Sign. vtriusque Referendarium
Abbreuiatorum
De Parco Maiori
Piceni Prolegatum,& Cam. Apost,Cleric.
Renunciauit.
Gregor.XV. Annonæ Præfectum ad Vrbis
tutelam decorauit
Vrbanus demum VIII.
Præsidem prius totius familiæ
Et Generalem Ecclesiæ Thesaurarium
nuncupatum
In Sacrum Cardinalium Collegium, orbe
plaudente, cooptauit.
Vera de eo fama fuit
Destinauisse Patres, optasse Reges
Vt Pontifex Maximus ipse renunciaretur
Si vitam ad proxima comitia protraxisset.
Ciuitas tanto decore destituta
Parente velut orbata
Meritorum grata, & prouida exemplo
Decreto publico
Amoris, & doloris monumentum
Æquè in marmore, ac corde
Curantibus fabricæ Præfectis
Alphonso Maynardo I. C: & Equ. Reg.
Duc. Senat. Med.
Andrea Runcadello Ludouico Bonetto
Cap. Hier. Zucchello Balthasarre Succio
Vixit An. LI. in Cardinalatu V.
Obijt Romæ die xxx. Octobris
MDCXXXII.

CIƆIƆCV.

Gregorius de Bubalis, Nobilis Romanus, per istud tempus in Collegium adscriptus, qui officium obtinuit, vsque ad annum 1618. quo illud resignauit die 13. Martij Ioanni Baptistæ Gauotto; sequenti verò anno 1619. octaua Aprilis ad Ecclesiam Caluensem promotus fuit.

CIƆIƆCV.

M. A. Bartholus, per hæc tempora inter Abbreuiatores annotatus, diu in Collegio vixit, nam obijt anno 1530. Abbreuiatorum Decanus, cuius in locum subrogatus fuit Franciscus Angelus Rapacciolus.

CIƆIƆCVI.

F. Nicolinus, vna ex antiquis Florentinis familijs, olim de Signattis denominata, quæ decimo tertio seculo in clade, à Carolo Siciliæ Rege Manfredo datâ gentilitia suscepit insignia. Franciscus, quem sic ex literâ F. nominandum censemus, die 28. Septembris eiusdem anni, licèt ab-

A sens, per suum Procuratorem admissus fuit in nostrum Collegium, non solùm in solitum stallum, sed etiam ad Massæ tantùm participationem, itaut huiusmodi gratia non transiret in exemplum, eâ tamen conditione, quòd cùm primum ad Vrbem accessisset, de obseruandis Collegij statutis, solitum iusiurandum præstaret, & reliqua adimplenda adimpleret. Officium obtinuit per resignationem supra laudati Petri Pauli Crescentij, ad Cameræ Apostolicæ Auditoratum promoti. Discessit ab Vrbe mense Nouembris 1611. Florentiam Pa-
B triam suam versùs, occasione sui genitoris obitus, & deinde anno 1617. officium resignauit Ascanio Riualdi, vt infra. Plura de hac nobilissima familia, quæ Florentiæ adhuc viget narrare deberem, sed cùm eruditissimus Vghell. inter Archiepiscopos Pisanos sub num. 75. collocet Angelum Nicolinum, cuius occasione aliqua de hac familia narrat, ideo calamum suspendo, hoc tantummodò enunciato, quòd familiam eandem suâ summâ doctrinâ, prudentiâ, atque dexteritate mirificè ornat Illustrissimus, & Reuerendissimus D.
C Franciscus Nicolinus Archiepiscop. Rhodiensis, olim Auenioni Vicelegatus, nuper apud Serenissimum Portugalliæ Regem Sedis Apostolicæ Nuncius, & modò iterum Nuncius ad Galliarum Regem destinatus, cui multa me debere fateor, quique necessitudine mihi valdè coniunctus.

CIƆIƆCVII.

Martius Ginettus, Patritius Veliternus, in Romano studio in literis excelluit. A Paulo V. Summo Pontifice inter Cubicularios honoris adscriptus, ac maioris Præsidentiæ Præses, Signaturæque Iustitiæ de
D Gratia Iudex constitutus: deinde octauâ Februarij in nostrum Collegium, ac in locum supramemorati Hieronymi Vidoni cooptatus: ab Odoardo Cardinali Farnesio S. Mariæ in Via lata Diacono eiusdem Ecclesiæ, & deinde Episcopo Sabinense, vtriusque Ecclesiæ Vicarius electus; mox ab Vrbano VIII. domui Pontificiæ Præfectus; Sacræ Consultationis à secretis, ac vtriusque Signaturæ Referendarius declaratus; tandem die 29. Ianuarij Anno 1626. ætatis primo supra quadragesimum Collegio Cardinalium adscriptus fuit, sed non publicatus nisi die 30. Augusti 1627.

eique Diaconiam S. Mariæ Nouæ idem Vrbanus Pontifex commisit; & paulò post suum in Vrbe Vicarium declarauit; moxque in Germaniam Legatum à latere misit ad Cæsarem, Reges, Respublicas, ac Principes, pro Christiani Orbis firmandâ pace. E Germaniâ verò reuersus per triennium, vti Apostolicæ Sedis Legatus Ferrarienses gubernauit. Regressus ad Vrbem plura alia munia, summâ cum laude obiuit, quæ recensentur à Ciaconio nouiss. edit. tom. 4. pag. 58. Antequam Purpurâ decoraretur, mense Iunij eiusdem Anni 1626. suum Abbreuiatoriæ officium Francisco de Lucinis resignauit.

CIϽIϽCVIII.

Erasmus Parauicinus Romanus, Octauij Cardinalis Parauicini Nepos, in nostrum Collegium admissus die 4. Nouembris eiusdem anni. Non diu in eodem nostro Collegio permansit; nam anno 1610. mense Nouembris eidem Alexandrina Ecclesia destinata fuit; quamobrem sequenti mense officium resignauit Petro Paulo Mignanello; postea die 14. Martij sequentis anni 1611. ad eandem Ecclesiam promotus fuit. Viuere desijt anno 1640.

CIϽIϽCIX.

Cyriacus Roccius Nobilis Romanus, clarus in literis, inter Abbreuiatores annumeratus die 2. Aprilis, in locum Vlpiani Vlpij, ad Theatinam Ecclesiam promoti; ac vtriusque Signaturæ Referendarius effectus. Varia, tam in Vrbe, quàm extra Cyriacus noster munia obiuit; nam Boni Regiminis, Ecclesiastici Status, illiusque leuaminis Præsul declaratus: deinde die 22. Decembris 1620. ad Viterbium, Patrimoniumque, vt Vicelegatus, gubernandum se contulit: postea ad Vicelegationis munus Ferrariæ exercendum, die 20 Aprilis 1626. missus fuit, & anno 1628. Archiepiscopus Patracẽsis renuntiatus, apud Heluetios per biennium, tùm apud Ferdinandum II. Cæsarem Nuncij Apostolici partes, quinquennio sustinuit. Cùm igitur Pontifici virtus, animique dotes Cyriaci satis notæ essent, eum Cardinalium Collegio anno 1629. adscripsit, sed non publicauit nisi die 28. Nouembris anni 1633. Purpurâ donatus, varijs Ecclesiasticis muneribus functus est, vt in supra laudato Ciaconio postremę edit. pag. 585.

A & apud Laudatum Mandosium in Cent. 5. suæ Bibliothecæ num. 44. qui omnes Auctores, qui de nostro Collega scripsere enunciant. Abbreuiatoris officium resignauit mense Maij 1624. Mario Theodulo.

CIϽIϽCX.

Ioannes Franciscus Gandolphus Ianuensis inter Abbreuiatores annumeratus, die 2. Ianuarij, per resignationem Virginij Roberti; quod postmodum etiam Gandolphus ipse resignauit Ioanni Francisco à Porta anno 1613.

CIϽIϽCX.

B Petrus Paulus Mignanellus, Nobilis Romanus, admissus die 2. Decembris, per resignationem supra memorati Erasmi Parauicini Alexandriæ Episcopi. Post septem annos Petrus Paulus resignauit officium Bernardino Spadæ.

CIϽIϽCXII.

Hieronymus à Sommoria Clericus, Nobilis Florentinus; licèt absens admissus in Collegium per Procuratorem die 5. Ianuarij in locum Lucæ Duccij, qui in Curia obierat. Hieronymus accessit ad Vrbem mense Maij, & non diu in Collegio C permansit, cum anno 1615. suum resignauerit officium Ioanni de Angelis.

CIϽIϽCXIII.

Benedictus Melchiorius, Nobilis ex Ciuitate Recanatensi oriundus, die 25. Maij Collegio adscriptus, in locum Marci Antonij Vipereschi, qui suum officium eidem Benedicto resignauerat; ac iste, sequenti anno, etiam resignauit Ioanni Nicolao Tanario.

CIϽIϽCXIII.

Ioannes Baptista à Porta, Nobilis Comensis admissus, ad officium, vacans per re- D signationem supramemorati Ioannis Francisci Gandolphi, die 14. Augusti, inde verò sub anno 1621. mense Maij ad gubernandum Foroliuiensem populum missum reperio, vbi mense Iunij sequentis Anni decessit; per eius obitum officium ipsum delatum fuit Laurentio Corso.

CIϽIϽCXIV.

Ioannes Nicolaus Tanarius, Nobilis Bononiensis per resignationem supramemorati Benedicti Melchioris, inter Abbreuiatores connumeratus, die 27. Martij, cui postmodum anno 1622. mense Martio Fabriani, & sequenti anno 1622. mense etiam

etiam Martio Fani Gubernium delatum fuit. Dimisit suum officium, in fauorem Galeatij Marescotti mense Ianuarij 1626.

CIↃIↃCXV.

Ioannes de Angelis, ex primarijs Pisarum familijs; de qua Angelica familia plura apud Cartharium in suo Aduocatorum Syllabo, vbi sub numero 205. de Nicolao de Angelis agit. Ioannes noster, post Abbreuiatoris officium susceptum, plurimas ditionis Ecclesiasticæ ciuitates rexit, & gubernauit, ac Eminentissimi Cardinalis Vrbis Vicarij Locumtenens fuit. Decessit Romæ anno 1641. sepultusque in Aracælitano Templo, ante principem Aram, hoc in sepulchrali tumulo inscripto Epitaphio.

D. O. M.
Ioanni de Angelis Patritio Pisano
Qui domesticum virtutis, & Sapientiæ
nactus exemplum
Iacobum Patrem Iuris, & Iustitiæ
consultissimum
Nicolaum Consistorialis Aulæ, &
S.P.Q.R. Aduocatum
Iulium S. Spiritus in Saxia magnum
Præceptorem
Cosmum Episcopum Cortonensem
Patruos cum laude emulatus
Post humaniora Studia
Ad Iuris scientiam firmiter adiuncto animo
Literarum Apostolicarum Maioris
Præsidentiæ Abbreuiator
Vtriusque Signaturæ ex XII. Viris
Iudicia dantibus Referendarius
Pro Vrbis Vicario Supremus Ciuilium
Causarum Iudex
Vrbium Regimina, Forensia Munera,
resque publicas
Summâ integritate, ac prudentiâ
administrauit.
Inductam mox iniqua morbi vi oculorum
orbitatem æquissimè præferens
Quam sibi lucem vitæ inclementia breuem
ademerat
Meliori, mortisque demum perennem
recepit.
Obijt v.Kal. Septem. Anno sal. MDCXLI.
ætat. LV.
Franciscus de Angelis Eques S. Stephani
Volaterrarum Prior
Fratri opt. merito mœrens posuit.

Idem Ioannes Patruus fuit moderni Eminentiss. & Reuerendiss. Principis Iacobi, titulo S. Mariç de Araçcli Presb. Cardinalis de Angelis nuncupati, de cuius virtutibus, muneribusque plura dicenda essent, sed cùm hìc locus minimè sit, calamum suspendo.

CIↃIↃCXVII.

Bernardinus Spada Brissichellensis Fauentinæ Diœcesis. Romæ educatus humanioris literaturæ notitiam pleniùs assequutus fuit. Annum agens tertium, supra vigesimum, cum esset Secretarius Apostolicus, vtriusque Signaturæ Referendarius à Paulo V. institutus est, ac inter Abbreuiatores die Sabbati 16. Septembris Anni 1617. in locum Petri Pauli Mignanelli, qui officium resignauit. A Scipione Cardinali Burghesio Basilicæ Vaticanæ Archipresbytero, ad eiusdem Basilicæ caussas dijudicandas electus fuit: deinde inter Prælatos Congregationis Boni Regiminis, & gradatim Congregationibus, Paludis Pontinæ, Fabricæ Sancti Petri, Sacræ Consultæ, Clericorum Cameræ Apostolicæ, Montium, Baronum, & Computorum adscriptus: Aquæ paulæ, & Grasciæ Præses electus fuit; ab Vrbano verò VIII. Damiatensi Archiepiscopatu donatus anno ætat. trigesimo haud completo, ac in Galliam Nuncius missus, vbi ardua, & præclara tractauit negotia. Reuersus ad Vrbem Cardinalatus honore insignitus, ac Bononiæ de latere Legatus pronunciatus; diuersaque alia munia, summâ cum laude exercuit: denique hos ordine gessit Episcopatus; primò die 19. Februarij an. 1646. Albanensem, die 23. Septembris ann. 1652. Tusculanum; tum eodem anno Sabinensem; postremò 11. Octobris 1655. Prænestinum; quibus omnibus feliciter administratis, tandem in Domino quieuit anno 1661. Eius cadauer in Ecclesia S. Hieronymi de Charitate, in Sacello Gentilitio depositum fuit. Plura alia de tanto Purpurato à Ciaconio postremæ edit. in Tom. 4. referuntur, quæ apud hunc Historicum legi possunt; vtpotè etiam apud Vghell. Tom. 5. in Epist. nuncupat. & apud Abb. Michaëlem Iustinianum in suis lit. Memor. Tom. 3. pag. 10. vbi plurima de hac Nobili familia Spada recensentur.

Asca-

CIƆIƆCXVII.

Afcanius Riualdus Romanus, in locum Francifci Nicolini, qui officium refignauit, admiffus die 24. Nouembris. A Secretis Collegij electus in locum Baptiftæ de Segnis die 2. Martij 1621. per nonnullos annos Archiepifcopi Bononienfis Vicarius, & deinde Eminentiffimi Cardinalis Almæ Vrbis Vicarij vices geffit: poft hæc inter Canonicos S. Mariæ Maioris Vrbis adfcriptus. In fuæ vitæ extremo miram fuam erga pauperes pietatem oftendit, cùm omnia fua bona Puellarum Xenodochio, recens erecto reliquerit. Abbreuiatoriæ officium refignauit Iacobo Libret menfe Decembris 1628. Obijt Collega nofter hìc in Vrbe, fepultufque in Sacello Ecclefiæ Beatæ Mariæ de Pace, à Gafparo Riualdo eius genitore conftructo, vbi à latere Euangelij hæc legitur Epigraphe.

Deo Omnipotenti
In honorem
Beatiffimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ
Gafpar Riualdus Romanus
Sacellum à fundamenris extruxit,
& ornauit
Perpetuum annuum redditum attribuit
Sepulchrum fibi Pofterifque fuis
In Sacello conftituit.
Anno falutis MDCXIIII.

A latere verò Epiftola altera hæc.

Pauli V. Pont. Opt. Max.
Auctoritate
Gafpar Riualdus Romanus
Sacram Dei Genitricis Imaginem
indè translatam
Vbi Innocentius VIII. Pont. Max.
Salutis fibi reftitutæ auctori pofuerat
In loco magnificentiùs ornato
Collocauit
Die 11. Iulij MDCXIIII.

CIƆIƆCXVIII.

Ioan. Baptifta Gauottus, Patritius Sauonenfis, in Collegium admiffus, die 13. Martij, per refignationem, obijt Nonagenarius anno 1661. ac fepultus in proprio Sacello in Ecclefia S. Nicolai Tolentinatis.

CIƆIƆCXXI.

Stephanus de Roffis Catacenfis, Abbreuiatoris officium Maioris Præfidẽtiæ obtinuit, per obitum Lamberti Vrfini de Viua-
A rijs, in cuius locum admiffus fuit, die 21. Aprilis, deinde Congregationis Reuerendiffimorum DD. S.R.E. Cardinalium rerum Confiftorialium à Secretis deputatus; poftmodum anno 1624. die 24. Ianuarij Hieracenfis Epifcopus electus fuit: at breuiffimè Epifcopalem Dignitatem obtinuit, cùm die 14. Augufti eiufdem anni vitam cum morte commutauerit, cuius in obitu vniuerfus Ciuitatis, & Diœcefis Hieracenfis populus, ob eius pietatẽ, zelum, atque doctrinam collacrymauit.

CIƆIƆCXXI.

B Cynthius Accorambonus Octauij Accoramboni olim in noftro Collegio adfcripti, poftea Archiepifcopi Vrbinatenfis ex fratre nepos, admiffus in Collegium, in locum Baptiftæ de Segnis die 14. Augufti, ac fequenti anno menfe Iunij ad Camerinenfem Populum gubernandũ fe contulit, vbi paucos poft menfes obijt, officiumque poftea Ferrutio Ferro collatum, vt infra.

CIƆIƆCXXII.

Laurentius Corfus Florentinus, inter Abbreuiatores adfcriptus die 12. Iulij, ac in locum Ioan. Baptiftæ Portæ præcedenti C menfe, extra Romanam Curiam defuncti. Admiffio fuit facta per Procuratorem, quia Laurentius abfens erat, ita vt huiufmodi gratia non tranfiret in exemplum; poffeffionem poftea officij adeptus eft, die 10. Aprilis 1623. quod poftmodum refignauit menfe Decembris 1632. Angelo Pico.

CIƆIƆCXXII.

Ferrutius Ferrus, Nobilis Maceratenfis affecutus eft poffeffionem officij die 24. Nouembris, per obitum fupramemorati Cynthij Accoramboni. Ferrutius à Se-
D cretis Collegij fuit; obijtque Maceratæ die 4. Octobris 1632.

CIƆIƆCXXIII.

Benedictus Curtus, inter Collegas connumeratus, die 1. Februarij, vacante officio, per refignationem fupradicti Bernardini Spada; à Secretis Collegij munus in locum Ferrutij Ferri à Curia abfentis exercuit Collega nofter. Obijt autem circa finem anni 1629. fepultufque fuit in celebri Vrbis Templo, Iefu denominato ad finiftram Aræ maximę in pauimẽto, vbi in marmore infculpto, hæc legitur Epigraphe.

Be-

D. O. M.
Benedicto Curto I. V. D.
Grabedonensi, & Ciui Romano
Vtr. Sign. Referend.
Et de Maiori Parco Abbreu.
Cui rara pietas
Et virginitatis pudor
Quando vllum inuenient parem
Camillus Curtus fratris filio
Cum lacrymis pos.
Obijt anno sal. MDCXXIX.
ætatis suæ XXXV.
Sepulchro PP. Societatis Iesu
Excipi se mortuum voluit
Quorum in familiam viuus admitti
Vehementer optauerat.

In locum ipsius Benedicti subrogatus fuit Bartholomæus Vanninus mense Ianuarij 1630.

CIƆIƆCXXIV.

Mutius de Rosis, Assistentium Vicecancellarij albo inscriptus, die primâ Februarij, in locum supramemorati Stephani de Rosis, eius Patrui. Postea Mutius inter Signaturæ Iustitiæ Votantes adscriptus; ac successiuæ mensis Iulij die 14. anni 1642. à sanct. mem. Vrbano VIII. ad Ecclesiam Theanensem promotus, qui postmodùm anno 1654. mense Octobris, cùm ad Vrbem, pro sacris visitandis limitibus accessisset, morbo correptus ibi decessit, sepultusque est in Ecclesia S. Petri, in Monte aureo in sepulchro, à Marcello eius genitore constructo; licèt ex Cedula Consistoriali appareat, Mutium hunc Presbyterum ex Diœcesi Nouariensi, ac de Nobili genere ex Catholicis Parentibus fuisse procreatum. Nihilominus ex Teste, fide digno accepimus, eundem præfati Stephani, ex fratre nepotem. Cessit officio suo in fauorem Marci Antonij Oddi, mense Iulij 1639. antequam ad Ecclesiam Theanensem esset promotus.

CIƆIƆCXXIV.

Marius Theodolus, Nobilis Romanus, Abbreuiatorum numero annotatus, cedente supra laudato Cyriaco Roccio anno 1626. mense Ianuarij, ad Interamnensem populum gubernandum missus: mox Cameræ Apostolicæ Clericus; deinde eiusdem Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor; postea Cardinalitiâ Dignitate insignitus; ac demum ab Innocentio X. in primo Consistorio Imolensis Ecclesiæ, seu

A Fori Cornelij in Æmilia Vrbis curam suscepit; cui post annum morbo affectus in florente adhuc ætate, cùm nondum quadragesimum annum peragerét, viuis sublatus fuit. De eo plura vide apud Ciaconium nouissimæ editionis to. IV. pag. 628. Abbreuiatoris officium resignauit mense Septembris 1634. Alexandro Sperello.

CIƆIƆCXXV.

Angelus Confettus circa hunc annum in Collegium admissus fuit, vt ex mentione Assistentium in Vrbe deduco. Suum postea dimisit officium, in fauorem Sfortiæ
B Ciscarini, anno 1629.

CIƆIƆCXXV.

Galeatius Marescottus Nobilis Romanus, dimittente officium Ioanne Nicolao Tanario, in Collegium cooptatus, die 24. Ianuarij; at breui temporis spatio Prælatitiâ dignitate exutus est; cùm immatura mors eum rapuerit die 5. Iunij eiusdem anni, in amœno Oppido Vignanelli, cuius eadem familia est Domina, quæque iam à seculo XII. Bononiæ florebat, cùm Lucius PP. II. Raynerium Marescottum in Cardinalium Collegium adscripserit, vt
C narrat Ciaconius nouissimæ editionis; modò verò eamdem familiam, nouâ purpurâ, illustrat Eminentissimus & Reuerendissimus D. Galeatius Marescottus, ex Sfortia fratre Nepos, in cuius laudem calamum effundere deberem; quem suspendo, cùm locus hic minimè sit aptus:

CIƆIƆCXXVI.

Franciscus de Lucinis, in locum supranarrati Martij Ginetti, officium resignantis, admissus fuit, die 13. Iunij. Deinde mense Decembris anni 1627. ad ciuitatem, & populum Fulginatensem gubernandum destinatus; postea anno 1630. ad Narniæ
D Gubernium translatus, & demum ad Æsini populi etiam Gubernium missus; deinde ad Anconitanum, vbi, dum pro tali se gereret, Serenissimam Christinam, Suetiæ Reginam, ad Vrbem aduentantem excepit. Romæ postea decessit. Huius meminit Iulianus Saracini in sua Notitia Historica Ciuit. Anconæ part. 4. pag. 543. ac Nobilem Cremonensem appellat.

CIƆIƆCXXVII.

Io: Baptista de Goris, è Pannelineis nobilissima familia Senensi, absens, per Procuratorem in Collegium admissus die 4. Septembris, in locum Galeatij Marescotti, qui

qui paulò ante e viuis decesserat, possessionem officij Io: Baptista adeptus est die 20. Nouembris eiusdem anni, & mense Maij, anno 1634. Vicelegationis Bononiensis munere decoratus, deinde in Mileuitana Insula Inquisitor deputatus; successiuè à sa: me: Innocentio X. ad Ecclesiam Grossetanam promotus, anno 1649. in quo recurrebat suæ ætatis quadregesimus quartus, & eodem anno pro Serenissimo Magno Ethruriæ Duce, apud Hispaniarum Regem Orator destinatus fuit. Abdicauit à se officium anno 1630. mense Iunij, quod collatum fuit Antonio Iacobo Gallo. Huius nostri Collegæ meminit Isidorus Vgurgieri, in suis Pompis Senensibus par. 1. pag. 225.

CIƆIƆCXXIX.

Iacobus Lebret Gallus in Abbreuiatorum syllabo inscriptus die primâ Ianuarij, cedente officio Ascanio Riualdo, in quorum munere, per nonnullos annos, permāsit; tandem 1645. die 24. Aprilis in Secreto Consistorio à Summo Pontifice Innocentio X. Tullensis Episcopus declaratus fuit. At suæ Ecclesiæ possessionem adipisci minimè potuit, cùm die 15. Iunij 1645. hac in Vrbe obierit, & sequenti die sepultus in Ecclesia Sancti Yuonis Nationis Britannorum.

CIƆIƆCXXIX.

Sfortia Ciscarinus, e Burgo S. Sepulchri obtinuit officium die 13. Septembris resignatum ab Angelo Confetto supranominato. Decessit idem Sfortia hac in Vrbe, per cuius obitum, officium illud collatum fuit Io: Augustino Vicentino, de mense Ianuarij 1656.

CIƆIƆCXXX.

Bartholomæus Vanninus Nobilis Pistoriensis Romæ Anno 1598. ortus, Thomæ Episcopi Auellini, & Frequentini ex fratre Nepos, in Collegium admissus die 10. Ianuarij, in locum Benedicti Curti. Varia in Curia munia obiuit: nam anno 1639. in locum Cæsaris Facchinetti, in Hispanias Nuncij destinati, qui in Congregatione Boni Regiminis Ponens erat, surrogatus fuit: postmodum anno 1642. inter Signaturæ Iustitiæ Votantes etiam descriptus; ac Ecclesiarum S. Nicolai in Carcere, & S. Mariæ in Via lata ab Eminentissimis de Medices, & Antonio Barberino S. R. E. Cardinalibus Vicarius deputatus. Diuersorum Piorum locorum, scilicet Orphanorum, ac Puellarum Sanctorum quatuor; atque Collegij Saluiati; nec non Hospitalis Pauperum S. Sixti Præses, ac Iudex designatus; vtpotè etiam Iudex Hospitalis S. Spiritus in Saxia, ac S. Iacobi Incurabilium. Diuersarum etiam laicorum Confraternitatum Primicerius electus fuit: ac cùm secundum, & quadragesimum annum ageret, die 13. Iulij 1643. Ecclesiarum Nepesinæ, & Sutrinæ infulis decoratus, quas summo cum bonorum plausu per decennium rexit. Tandem die prima Octobris 1653. ætatis 55. in Terra Capranicæ suæ Diœcesis, meritis onustus, mortales exuuias deposuit. Eius Cadauer ad suam Ecclesiam Nepesinam translatum, ac in marmoreo sepulchro ab ipso viuente eleganter constructo conditum, vbi hæc infrascripta legitur Epigraphe

Bartholomeus Vanni
nus Romanus Episcopus
Nepesinus, & Sutrinus
mortis memor sibi vi
uens posuit Anno Iubi
lei MDCL. Episcopatus VII.

Præter supra allatam Epigraphem, alias duas posuit in Cathedrali Nepesina vnam, videlicet in memoriam B. Pij V. qui eius in eodem Episcopatu Antecessor fuerat. Alteram verò in laudem Eugenij IV. Sum. Pontif. qui Ecclesias Nepesinam, & Sutrinam æquè principaliter vniuerat. Multa alia in eisdem Ecclesijs grati animi testimonia reliquit, vtpote faciem Nepesinæ renouauit, in eaque ambonem marmoreum erexit, ac plateam ampliauit. De eodem laudatus Mandosius in sua Bibl. Rom. cent. 8. n. 48. refert, quod plura monumenta M M. SS. apud illius Nepotes remansere: nempe

Diario delle proprie Azzioni, e di ciò, che seguì in Roma dal primo di Gennaro 1635. fino li 20. di Marzo 1650.

Ragguaglio del Viaggio di Napoli anno 1633.

Viaggio di Camandoli, e dell'Auernia. Lettere.

CIƆIƆCXXX.

Franciscus Curtus Comensis absens per Procuratorem in Abbreuiatorum albo adscriptus die 15. Ianuarij, vacante officio per resignationem Ioannis de Angelis. Fran-

Franciſcus ſui muneris poſſeſſionem accepit die 19. eiuſdem menſis; obijtque 10. Octobris 1646.

CIƆIƆCXXX.

Franciſcus Angelus Rapacciolus Romanus inter Abbreuiatores annotatus die 17. Septembris præmemorati anni; vacante officio, per deceſſum M. A. Bartholi, qui per nonnullos annos in Collegio Decanus permanſit. Franciſcus Angelus verò ad maiores Dignitates properauit, cùm die 14. Decembris 1634. ad Regentatus Cancellariæ munus exercendum, à Summo Pontifice Vrbano VIII. ſelectus fuerit in locum Angeli Andoſillæ, quo tempore ipſe Franciſcus Angelus Abbreuiatoriæ officium Iuliano Amadeo ceſſit. Deinde in fine anni 1636. inter Cameræ Apoſtolicæ Clericos adſcriptus; poſtea, vt Theſaurarij munus exerceret declaratus; inde verò Eccleſias tuæ Militiæ Legatione functus fuit. Denique inter Purpuratos anno 1643. aſcitus, tituloque Sanctæ Mariæ in via ornatus eſt: ac poſtea ab Innocentio X. Epiſcopus renunciatus, Interamnenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit. Vitam duxit vſque ad annum 1657. quo tempore, è viuis ſublatus, in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam ſepultus fuit. Scribit laudatus Mandoſius in ſua Biblioth. Rom. cent. 9. num. marg. 76. noſtrum Eminentiſſimum Collegam hæc edidiſſe opera: *Heſperiam Modulationem; Orationem de Domini in Cœlum Aſcenſu; Epiſtolas Cæſari Cardinali Fachenetto, datas in commendationem Hiſtoriæ Concilij Tridentini, quæ à Sfortia Pallauicino euulgatæ fuerunt. Edidit etiam Odam pro Ædibus Barberinis; Tractatus ſpirituales, Synodum Diœceſanam; Carmina plura italica, et latina; Othonem Imperatorem Tragediam latino carmine. Orationes varias, aliaque Opuſcula.*

CIƆIƆCXXXII.

Ludouicus à Valle de Briſighella, Fauentinæ Diœceſis, in Collegium cooptatus die 20. Decembris cùm vacaſſet officiũ per obitum Ferrutij Ferri anno eod. menſe Iulij 1636. ad Narnienſem populũ gubernandum miſſus, à quo Gubernio reuerſus anno 1643. menſe Nouembris, Collegij à ſecretis declaratus fuit, in locum Bartholomæi Vannini, electi Epiſcopi Sutrini, & Nepeſini. Obijt hac in Vrbe die 3. Aprilis 1648. eius cadauer ſepulturæ traditum eſt in Eccleſia S. Laurentij in Lucina.

CIƆIƆCXXXII.

Angelus Pichus, Nobilibus parentibus, Burgi S. Sepulchri, in Etruria ortus, & Eques S. Stephani; abdicante officio Laurentio Corſi, ſupramemorato Cameræ Apoſtolicæ Auditore, cuius Locumtenens Ciuilis ipſe Angelus erat, in eius locum ſubrogatus fuit die 30. Decembris. Deinde Summus Pontifex Vrbanus VIII. ad Eccleſiam Amalphitanam die 10. Nouembris 1638. eum promouit; & poſt annos decem ad Eccleſiam S. Miniati in Etruria tranſtulit, vbi deceſſit anno 1653. ſepultuſque fuit in Cathedrali. In locum præfati Angeli, ac Abbreuiatoriæ officium ſurrogatus fuit Carolus Antonius Dondinus, vt infra ad an. 1643. De hoc Angelo etiam meminit ſæpe citatus Mandoſius, in ſuo Biblioth. Equeſt. Ord. Stephani.

CIƆIƆCXXXVIII.

Antonius Iacobus Gallus, reſignante officio Ioanne Baptiſta Gori, ſupra laudato. Ei ſubſtitutus fuit idem Antonius Iacobus. Menſe Aprilis anni 1642. diem clauſit extremum, ob cuius mortem, officium collatum fuit Cæſari Raſpono, vt infra.

CIƆIƆCXXXIX.

Marcus Antonius Oddus, Nobilis Peruſinus, Abbas S. Benedicti, & S. Mariæ de Ruſco Marſicanæ Diœceſis, in locum Mutij de Roſis ſuffectus die 21. Iulij, & anno 1645. in locum ſupramemorati Ludouici à Valle à ſecretis Collegij electus. Deinde die ſextâ Martij 1656. ad Eccleſiam Hieropolitanam, in Partibus Infidelium promotus, cùm eſſet ex num. duodecim Votantium vtriuſque Signaturæ, & Eminentiſſimi Cardinalis Vicarij Vrbis Viceſgerens; deinde ad Eccleſiam Peruſinam die 23. Iunij 1659. translatus, in qua deceſſit anno 1668. ſepultuſque in Eccleſia S. Auguſtini apud Maiores ſub hac Epigraphe, quam refert Oldoin. in ſuo Athen. Auguſt. nempe

D. O. M.
Admirare Poſteritas
Virtutum omnium ſimulacrum
In Statua

F Mar-

Marci Antonij Oddi
Cornelij Antognollæ Com. F.
Sub Vrb. VIII. Innoc. X. Alex. VII.
Vtr. Sign. de Parco M. Præsulis
Romæ Vicesg. Perus. Episc.

Die mense Ianuarij 1660. suum resignauit officium infrascripto Marco Antonio Thomato.

CIↃIↃCXLII.

Palutius Palutius de Albertonibus Nobilis Romanus per hæc tempora inter Abbreuiatores adscriptus: postea an. 1649. inter Cameræ Apostolicæ Clericos ab Innocentio X. cooptatus: deinde ab Alexandro VII. Cameræ Apostolicæ generalis Auditor renunciatus; & postmodum Purpura insignitus, ac Legatione Auenionensi, Tiburtinâ Præfecturâ, & delegatâ in omnem Romanæ Ecclesiæ Ditionem potestate auctus. Ecclesiæ Montis Falisci Episcopus destinatus, à qua mox ad Rauennatensem translatus est; ac munere insuper amplissimo S. R. E. Camerarij insignitus. Modò Sabinensem regit Ecclesiam. Plura de tanto Purpurato leges apud Ciaconium nouiss. edit. tom. 4. pag. 756.

CIↃIↃCXLIII.

Carolus Antonius Dondinus, Nobilis Bononiensis in Collegium adscitus die 21. Februarij (vacante officio per resignationem Angeli Pichi, qui anno 1638. ad Ecclesiam Amalphitanam promotus fuerat) ad Lauretanum populum gubernandum missus mense Iulij 1650. à quo reuersus, ab Innocentio X. Summo Pontifice Commendator Nosocomij S. Spiritus in Saxia de Vrbe declaratus; quod munus summâ cum laude obiuit.

CIↃIↃCXLIV.

Nicolaus Oreggius à S. Sophia, nullius Diœcesis, Prouinciæ Romandiolæ, nobili genere ortus, Augustini Cardinalis Oreggij Nepos; abdicâte Abbreuiatoriæ officio Bartholomæo Vannino, de quo supra ad annum 1630. differuimus, suffectus fuit die 3. Decembris. In Romana Curia semper (vt arbitror) permansit, vbi decessit die 4. Iulij 1672. cùm esset Collegij nostri Decanus, quod munus, summâ cum omnium Curialium laude exercuit, ob eius mitem, & affabilem naturam, quæ cum animi gratia, ac pietate etiam coniuncta fuit. Singulis Abbreuiatoribus, obitus

A sui tempore Romæ degentibus, tabulam pictam legauit. Præterea duo loca Montium etiam legauit, vt ex illorum fructibus quotannis in Ecclesia S. Andreæ de Valle pro sua, ac defunctorum Abbreuiatorum animabus, Anniuersarium celebraretur. Eius cadauer in Ecclesia S. Mariæ Aegyptiacæ nationis Armenorum, cuius Primicierius fuerat, cum sequenti Epigraphe, marmore insculpta, tumulatus est.

D. O. M.
Nicolaus Oregius
Augustini Card Oregij Archiep. Beneuent.
B Fratris filius
Philosophiæ, S. Theologiæ, ac I. V. D.
Vtriusque Signaturæ Referendarius
Mai. Præsidentiæ Abbreuiatorum Decanus
Huius Ecclesiæ, & Hospitij Primicerius
Deq. ijs optimè meritus
Amoris, & memoriæ causa
Hic sibi sepulturæ locum elegit
Obijt die XI. Iunij MDCLXXII. ætat. suæ an. LV.
Franciscus Abb. Chrysolinus propr. & Executor Testamentarius p.

In eiusdem Collegæ nostri locum à bo:me: C Francisco Cardinali Barberino S. R. E. Vicecancellario, Motu suo proprio, ego surrogatus fui.

CIↃIↃCXLV.

Cæsar Rasponus Patritius Rauennas, in Abbreuiatorum Catalogo adscriptus die 21. Maij in locum Antonij Iacobi Galli, qui vita functus fuerat, & Referendarijs vtriusque Signaturæ adscriptus; postea in Gallias Pontificius Plenipotentiarius, & Nuncius Apostolicus ad Reges, & Respublicas, & Principes Christianos; ac demum Pisas, in quibus omnibus prudentię, D ac dexteritatis specimen dedit. Plura de hoc nostro Collega dicenda essent, sed cùm nota sint, & adhuc memoria vigeat, illiusque laudes, copioso calamo, in postrema editione Ciaconij tom. 4. pag. 758. descriptæ sint, calamum suspendo. Hoc tantummodò indicato, quòd eius qualitates meruerunt, vt Purpurâ à S. Pontifice Alexandro VII. condecoraretur. Nolo etiam hìc silentio præterire, quòd cùm eiusdem Purpurati, dum in nostro Collegio degebat, vigilantia, & dexteritas notæ essent, Idem in eiusdem Collegij à secretis electus fuit.

Ca-

CIƆIƆCXLV.

Carolus Antonius Ornanus, Romæ natus ex Iulio, ac Nunzia Gentile de Brandis, Nobilissimis ambobus Cyrnijs. Iulius in armis claruit, Militum Dux, ac Sancti Stephani Eques. Carolus hic, cùm octodecim annis natus esset, in Abbreuiatorum Syllabo inscriptus fuit, cum hoc tamen, vt per sex annos Prælatitijs vestibus vti, ac se in Abbreuiatoris munere exercere non deberet; quo termino elapso, videlicet die vltimâ Augusti 1651. Prælatitium habitum suscepit, & in Parcum admissus fuit, & mense Septembris anni 1653. ab Vrbe ad Vicelegationis Romandiolæ munus exercendum discessit. Deinde in Gallias se contulit, vbi, dum in Cardinalis Mazzarrini Palatio hospitaretur, ac quadam die ad sui forsan delectationem, breuissimæ mensuræ sclopos præmanibus haberet, inopinatè sese vna ex illis explodit, cuius ictu grauiter sauciatus in crure, post quintum supra quinquagesimũ diem, vita functus est, & in maiori Cappella fratrum Discalceatorum tumulatus. Dum ægrotabatur, tam Regis, quàm Cardinalis eiusdem Mazzarini nomine ei salus dicta fuit, vbi diem clausit extremum.

CIƆIƆCLVI.

Carolus Vincentius de Totis Romanus in Collegium admissus, in locum supramemorati Francisci Curti, qui Mundo *Vale* dixerat. Post multos perpessos labores in Signaturæ Iustitiæ, cùm vnus ex duodecim Votantibus esset, idem ad Ecclesiam Eugubinam, die 27. Iunij 1672. à sanct. mem. Clemente X. promotus fuit, vbi adhuc degit.

CIƆIƆCXLVIII.

Camillus Ghinus Ariminensis, Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, admissus ad officium per obitum Ludouici à Valle, die 30. Iulij deinde anno 1666. Abbreuiatoriæ munus Vrbano Georio resignauit, & illud Commissarij Cameræ Apostolicæ, per nonnullos annos, summâ cum laude exercuit.

CIƆIƆCXLIX.

Marcus Antonius Vicentinus Patritius Reatinus, cooptatus in Collegium in locum Palutij Palutij de Albertonibus, nunc Cardinalis de Alterijs nuncupati, tunc dimittentis Abbreuiatoriæ officium, quia

A inter Cameræ Apostolicæ Clericos adscriptus fuerat. Ad Vice Legationis Bononiæ munus obeundum electus fuit anno 1651. postea ad Fanensem populum gubernandum missus: deinde ad Nursinum; ac successiuè ad Spoletanum, Camerinensem; Frusinonensem; Viterbiensem; ac Perusinum. Romam reuersus, & paulisper in ea moratus, iterum vt Marchiæ Anconitanæ Prouinciæ populis præesset electus; quæ omnia munia, summâ cum æquitate, Bonorumque laude exercuit. Tandem ad animarum gubernium translatus, cùm
B quintum supra quadragesimum suæ ætatis annum ageret, Fulginatensis Ecclesiæ Infulis, die primâ Aprilis 1669. à sanctę mem. Clemente Papa IX. decoratus fuit; postea in Ciuitate Neapolitana Apostolici Nuntij munus adimpleuit: tandem varijs infirmitatibus, ob ingrauescentem ætatem obnoxius, Ecclesiam liberè in Pontificis manibus die 24. Aprilis 1684. dimisit, adhuc inter mortales, meritis onustus, vitam degit, degatque quam diutissimè.

CIƆIƆCLV.

Iacobus Gamba Rauennas, inter Abbre-
C uiatores annotatus fuit, die 9. Octobris; huius qualitates in infrascripto Epitaphio habes. Decessit Romæ anno 1661. Sepultusque in Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Martyres supra Rotundam, vbi in pariete ad Sacrarij ingressum hæc leguntur, aliqua tamen in parte mutilata.

D. O. M.

Iacobus Gamba Patritius Rauennas

Quem

S.P.Q.R. . . . . inter Ciues . . . .

Posteris vnà cum eius Agnatis æternum cooptauit Vrbanus VIII ad grauiores Fla-
D miniæ Respublicas Agentis in Vrbe, & in Hispanias Nunciaturæ Collectoriæ Fiscalis, & Abbreuiatoris muneribus cumulauit. Innocentius X. ne sedulum Apostolicæ Sedis . . . . relinqueret otio Auenionis generali decorauit Auditoratu . . . .

Anno Domini 1661.

Ætatis suæ ferè Sexages. cessit è vita die XXVIII. Apostolicis, e qua Sanctus Vitalis Rauennatum Patronus sepulchrali tumulatus fouea Martyrij ad Cælis fores euolauit. Ioannes, & Petrus Fratres, ac Paulus Nepos mœstissimis, ne summi viri memoria interiret amoris hoc sui monu-

mento nunquam intermorituri temporis humeros onerârunt.

CIƆIƆCLVI.

Ioannes Auguſtinus Vicentinus, ex primaria Nobilitate Reati natus, inter Abbreuiatores adſcriptus, die 20. Ianuarij, per obitum bon. mem. Sfortiæ Ciſcarini. Alterum Vicentinum in Gubernijs æmulatus, ad Tiburtinum populum regendum; poſtea ad Vicelegationem Vrbinatenſem deſtinatus, vbi per quatuor annos tale munus obiuit, abſente etiam Legato. Deinde ad Beneuenti, C. Caſtelli, ac Nurſiæ Ciuitates moderandas miſſus; ad Vrbem reuerſus inter Signaturæ Iuſtitiæ Votantes adnumeratus. Iterum ad Viterbienſem populum gubernandum menſe Maij 1685. miſſus, cuius Ciuitatis regimen duos poſt annos, ob aduerſam valetudinem dimittere coactus. In Vrbem denuo reuerſus inter Sacræ Conſultæ Ponentes deſcriptus. Paulò poſt à Sereniſſimo Principe, & Cardinale Eminentiſs. D. Raynaldo D'Eſte eius Auditor enunciatus, ac modò Collegij noſtri digniſſimus Decanus eſt.

CIƆIƆCLVI.

Franciſcus Nerlius ex antiqua, & nobiliſſima huius nominis familia, Florentiæ vigente, à teneris annis in literis, præſertim humanioribus educatus. In iuuentutis flore, in noſtrum Collegium cooptatus, videlicet die 20. Ianuarij anni 1655. Deinde patrui ſui Franciſci Nerlij S.R.E. Cardinalis exemplo, qui Eccleſiam Florentinam ſumma cum laude tunc regebat, permotus, ad longè maiora munera animum ſuum addixit; cùm anno 1664. ad Vicelegationis Bononiæ munus obeundum à ſapientiſſimo Pontifice Alexandro VII. renunciatus fuerit. Romam reuerſus Baſilicæ Vaticanæ Canonicus; deinde Archiepiſcopus Adrianopolitanus declaratus; poſtea ad Poloniæ; ſubinde ad Imperatorem; denique ad Galliarum Regem Nuncius deſtinatus. Ad Vrbem denuò reuerſus ad Archiepiſcopalem Sedem Florentinam, in locum defuncti Patrui, regendam die 22. Decembris 1670. electus fuit: quam poſtea anno 1683. die 15. Februarij in publico Conſiſtorio, iuſtis, & rationabilibus ſuadentibus cauſis, in Pontificis manibus liberè dimiſit. Inter Purpuratos die 12. Iunij 1673. adſcriptus, ſupremuſque Apoſtolici Status à Secretis declaratus. Tandem ad Aſſiſienſem Eccleſiam quoque regendam die 1. Octobris 1685. à Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. electus fuit; in qua magis, magiſque in dies literarum peritiam, prudentiam, aliaſque proprias virtutes demonſtrans, poſteris exemplum, quales Eccleſiaſtici Viri eſſe debeant, præbet. *Beatos*, C. Plinius Iunior, *reputabat*, *quibus Deorum munere datum erat*, *aut facere ſcribenda*, *aut ſcribere legenda*. Ad primum iam Purpuratus noſter ſatisfecit, cùm eo, in arduis Sedis Apoſtolicæ negocijs, Sedes ipſa, vſa fuerit. Ad ſecundum etiam ſatisfeciſſe putamus, cùm Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parentis Cardinalis Baronij Annales in vernaculam linguam mira cum ſedulitate verterit, quam verſionem publici Iuris, in commune bonum fieri exoptamus. Nonnulla de hoc digniſſimo Collega noſtro exarauit Ferdinandus Leopoldus del Migliore in ſua Florentia illuſtrata pag. 153., ſed plura alia de tanto Principe, literatorum amantiſſimo, dicenda eſſent; at à laudibus temperabo, alijs hanc prouinciam ineundi curam relinquens.

CIƆIƆCLVIII.

Petrus Paulus Gluſſianus, Nobilis Mediolanenſis, per hæc tempora inter Abbreuiatores adſcriptus fuit, vt autumo. De hoc nullam aliam reperi mentionem, niſi quòd ſuum reſignauerit officium de anno 1664. Ioſepho Vincentio Muto de Papazuris. Plura de hac antiquiſſima, & Nobili Gluſſianorum familia, quæ Mediolani ann. 1100. ſuam ab Apollonio Germano, Viro Nobiliſſimo, traxit originem, ibique traductam, cùm idem Apollonius Lotharij IX. Cæſaris in Inſubribus Vicarius generalis eſſet, narrauit laudatus Carthaſrius in ſuo Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium in Franciſco Gluſiano ſub nù. 287. ideo curioſum Lectorem ad eundem Cartharium remitto.

CIƆIƆCLIX.

Ioannes Paulus Ginettus bo: mem. Martij Cardinalis Ginetti, Almæ Vrbis Vicarij Generalis fratris filius, ac moderni Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Ioan. Franciſci, etiam S.R.E. Diaconi S. Angeli in foro Piſcium Cardinalis Ginetti Archiepiſcopi, & Principis Firmani germanus fra-

ter

ter; Abbreuiatorum numero adſcriptus die 13.Februarij 1659. in locum bo:mem. Alexandri Sperelli Epiſcopi Eugubini, inter Signaturæ Iuſtitiæ, & Gratiæ Votantes nunc degit, vbi Iuriſprudentiam, ſummâ cum laude exercet. Reſignauit Abbreuiatoriæ officium ad fauorem Felicis à S.Petro, Protonotario Apoſtolico, de numero Participantium, de menſe Iunij 1668.

CIↃIↃCLIX.

Ludouicus Arbona Mediolanenſis in Abbreuiatorum Syllabo annotatus die 22. Aprilis.

CIↃIↃCLIX.

Marcus Antonius Thomatus Pedemontanus I.V.D. in Collegium cooptatus die 4.Februarij 1660.per reſignationem Marci Antonij Oddi, Vir grauis, ac prudens, vt ad Eccleſiæ Aſtenſis Infulas pro merendas à Celſitudine Sabaudiæ, nondum ipſe tertium ſupra trigeſimum annum excedẽs, dignus exiſtimaretur, quare eiuſdem Celſitudinis precibus Alexandro PP.VII.porrectis, ad eandem Eccleſiam die 11. Februarij 1666. promotus fuit, quamque vſque ad præſentem diem, quo hæc Scribimus, ſumma cum Populorum laude ob eius mitem, ac affabilem viuendi normam regit. De hoc, & infra narrando Ioanne Dominico eius fratre germano meminit Roſſottus in ſuo Syllabo de Scriptoribus Pedemontanis, occaſione qua deſcribit legales labores Marci Antonij Thomati, præſentis Patrui, qui Deciſiones Maceratenſes publici iuris fecit. Vt autem innoteſcat, qualis Thomata familia ſit, placet hic eiuſdem Roſſotti referre verba. *Marcus Antonius Thomatis Vir* (inquit) *& Natalibus, & doctrina Illuſtris, poſtquam per multos annos Maceratenſi Rotæ præfuiſſet, ob virtutis, ſapientiæ, prudentiæ, & integritatis famam ad Epiſcopatum Bitetti, in Neapolitano Regno, aſſumptus, Eccleſiam illam ſumma cum laude, adminiſtrauit. Tandem ingraueſcente ætate Epiſcopatui renunciauit, & ab Eminentiſſimo Principe Hieronymo Columna S.Ioannis Lateranenſis Archipresbytero eiuſdem Sacroſanctæ Eccleſiæ Vicarius, & Iudex Ordinarius conſtitutus fuit. Et ab Alexandro VII. Summo Pontifice Viſitatoris Apoſtolici officio decoratus, in Ciuitatibu Portueñ, Hoſtieñ, Velitreñ, & Albaneñ. Obijt Romæ* A *ætatis ſuæ anno 79. ſalutis verò noſtræ 1665. Edidit Deciſiones Rotæ Maceratenſis Tom.2.in fol. Ex hac familia prodierunt Viri doctrina, ſapientia, & virtutibus eximij. Talis fuit Ægidius, de quo ſuo loco; talis Franciſcus Thomatis Præſes Geneuenſis, tempore Ludouici Ducis Sabaudiæ, anno Domini 1455. Talis eſt Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Marcus Antonius Thomatis iunior, ſupradicti Marci Antonij Nepos, qui ex Abbreuiatore Maioris Præſidentiæ, Literarum Apoſtolicarum, & Vtriuſque Signaturæ, Gratiæ ſcilicet,* B *& Iuſtitiæ Referendario, Aſtenſis digniſſimus Epiſcopus, Eccleſiam illam ſummo zelo, & prudentia regit, & gubernat. Talis & Ioannes Dominicus Marci Antonij frater, cui in Romana Curia ſucceſſit in officijs Abbreuiatoris Maioris Præſidentiæ Literarum Apoſtolicarum, & Vtriuſque Signaturæ Referendarij.* Quis autem fuerit ſupramemoratus Ægidius, ex eodem Roſſotto ſic habes. *Ægidius Cunienſis I.V.D. & Auditor Cæſareus, in Regno Neapolitano, pro Carolo V. ſcripſit latinè Tractatum de Vectigalibus, & Impoſitionibus impreſſ. Lugd.* 1562. De eo mentionem C facit Georgius Draudius in ſua Bibliotheca Claſſica.

Qualis autem noſtro æuo Thomata familia ſit: deſcripſit præmemoratus Roſſottus, ſed qualis antiquitùs fuerit, ignorauit; ſub ſilentio igitur prætereundum eſſe minimè puto, quod ſuggeſſit neceſſitudine mihi admodum coniunctus Reuerendiſs P.D.Carolus Ioſepho Morotius Abbas Generalis reformatorum S.Bernardi Ord. Ciſterc. qui inter alia opera, quæ edidit, vitam, virtutemque Beati Amadei Tertij D Sabaudiæ Ducis copioſo, & eleganti ſtylo italicè deſcripſit. Is enim in cap. 1.n. 5. enarrans Ludouici eiuſdem Beati parentis curã, vt ſacris in locis religioſam ſedulam perfectionẽ reuiuiſceret, ac in populis Iuſtitia floreret: generalem in totum eius Statum reformationem indixit, ad quam aſſequendam tres eius principales Miniſtros ſelegit, inter quos Franciſcus de Thomatis, Gebennenſium audientiarum Præſes, connumeratus fuit.

CIↃIↃCLX.

Petrus Alberinus Nobilis Romanus in Catalogo Abbreuiatorum annumeratus die

die 20. Aprilis, vacante officio, per cessionem supra descripti Cæsaris Rasponi Cardinalis. Ad Ciuitatem Castelli, deinde ad Sabinensem postmodum ad Nursinum populum regendum, & gubernandum missus; paulò post Sacræ Consultæ Ponens renunciatus. Deinde ad Sabaudiæ, & Pedemontis Ducem anno 1673. mense Septembris; successiuè ad Serenissimum Hispaniarum Regem Nuncius destinatus fuit, quibus in muneribus se optimè gessit.

CIϽIϽCLXI.

Ioannes Buxius Romanus, in Referendariorum numerum, sub Alexandro VII. adscriptus, ac in Collegium Abbreuiatorum Maioris Præsidentiæ, per obitum Ioan. Baptistæ Gauotti 11. Aprilis admissus; à bo:mem: Vlderico Cardinali Carpineo, in Vicarium S. Mariæ Transtyberim, cuius Basilicæ Titularis erat, renunciatus fuit. Postmodum Romandiolam missus, ad Fauentinæ ciuitatis Gubernium: indeque ad regimen Sabinorum translatus. Sub Clemente X. Congregationis Aquarum à secretis, ac Almæ Domus Lauretanæ Gubernator declaratus fuit: à qua reuersus ad Vrbem, sgrauiorum, ac Boni Regiminis à secretis electus; quo munere perfunctus, inter Votantes Signaturæ Gratiæ, ac Iustitiæ adscitus: & mox in Auditorem; & dum hæc Scribimus, etiam in Vicarium in Spiritualibus generalem Eminentissimi de Alterijs S.R.E. Camerarij, & Episcopi Sabinensis deputatus est. Quibus omnibus in muneribus dexteritatem, integritatem, doctrinam, atque prudentiam, summamque æquitatem omnium laude demonstrauit, ac demonstrat.

CIϽIϽCLXI.

Franciscus Filicaia Florentinus, Bartholomæi Filicaia, & Septimiæ Magalottæ Florentiæ Nobilium filius, ac bo:me. Francisci Cardinalis Barberini S.R.E. Vicecancellarij Sobrinus in Collegium cooptatus die 30. Maij, per obitum supra memorati Iacobi Gamba. In suo Iuuentutis flore Collega noster ad biretum Cardinalitiæ Dignitatis insigne, ad Franciscum Mariam Macchiauellum, tunc pro Sede Apostolica Nuncium Coloniæ commorantem, deferendum, se contulit: postea inter Vaticanæ Basilicæ Canonicos annumeratus, ac successiuè in nostrum Collegium adscitus, deinde ad ciuitatem, populumque Firmanum gubernandum missus; quo in munere per quinquennium se exercuit: postmodum ad Camerinum, ob eandem causam translatus; Romam postea reuersus anno 1674. inter Signaturæ Iustitiæ Votantes descriptus, & ab Eminentissimo, & Reuerendissimo Carolo Cardinale Barberino, eiusdem Vaticanæ Basilicæ Archipresbytero, præfatæ Basilicæ Vicarius, & Iudex deputatus fuit; in quo munere obijt die 6. Aprilis Anni 1683. ætat. 63. post longam Hidropis infirmitatem, sepultusque, sequenti die, in Ecclesia S. Ioannis Florentinorum Vrbis, in Maiorum suorum Sepulchro, magnâ pompâ, iustis antea persolutis. In Abbreuiatoris officio Ioannes de Effectibus, vt infra, subrogatus est.

CIϽIϽCLXIV.

Iosephus Vincentius Mutus de Papazuris Nobilis Romanus inter Assistentes S.R.E. Vicecancellario connumeratus, die 26. Ianuarij in locum Petri Pauli Glnsiani, qui officium dimiserat: at statim Prælatitium habitum non suscepit, quia ei indultum fuerat, vt per annum illum suscipere minimè teneretur, quo termino elapso, eundem habitum suscepit, die 28. Nouembris sequentis Anni, quo indutus, in Parco eàdem die sedit.

CIϽIϽCLXV.

Ioannes Dominicus Thomatus Pedemontanus, per resignationem Marci Antonij Thomati eius Fratris Germani, & moderni Episcopi Astensis (de quo supra fati sumus) admissus in Collegium die 23. Decembris 1665. & die 11. Septembris sequentis anni in eiusdem Collegij à Secretis, in locum Eminentissimi D. Francisci Nerlij, nunc Cardinalis Amplissimi, renuntiatus. Vir ob eximiam Iurisprudentiam toti Curiæ notus. Quare à sanctæ memoriæ Innocentio XI. initio sui Pontificatus ad Signaturæ Iustitiæ Votum specialitèr admissus, vbi ferè per decennium permansit indefessè elaborando. Defuncto interim bo:mem. Francisco Cardinali Barberino S.R.E. Vicecancellario, idem Pontifex, præuio peculiariter Rescripto, ipsi vices eiusdem Cardinalis demandauit, vti Cancellariæ Proregenti. Cui denique de mense Ianuarij 1687. assumpto R P.D. Alexandro

dro Capràra ad S.Rom. Rotæ Auditorium munus, Locumtenentiæ A.C. in Causis ciuilibus decidendis summi laboris, & sollicitudinis subeundum, à præfato Pontifice, Motu suo proprio, paritèr iniunctum fuit, prout modo vniuersorum Curialium plausu exercet. Plura de nostro Collega necessitudine mihi coniunctissimo, dicenda forent, sed, ob eius modestiam à laudibus temperabo; solùm eas referens, quas de tanto Viro exarauit bo: mem. Dominicus Gallesius, postea Episcopus Rubensis in suo Tractatu de Restitut. in integr. ad cap. 11. sub num. 279. vbi sic. *R. P. D. Ioan. Dominicus Thomatus Pedemontanus Vtriusque Signaturæ Sanctissimi Referendarius, & Maioris Præsidentiæ Abbreuiator, virtute, scientia, & integritate, inter Romanæ Aulæ Præsules, & Iudices nemini secundus. Vir Iustitiæ zelantissimus, vitæ innocentia, morum suauitate, & benignitate laudatissimus, Patrui olim sui dignissimæ memoriæ Marci Antonij Thomati Episcopi Bitetti, propriorum laborum testimonio probatissimi, aureis suis Decisionibus Rotæ Maceratensis, non solùm intra Italiæ terminos, sed maximè vltra Montes præclarissimi hæres, & doctrina, & vtriusque Iuris peritia adeo insignis, vt condignum tantis Virtutibus præconium feliciori calamo debeatur. Quod quidem votum ad Causidicorum instructionem, Iudicum normam de verbo ad verbum refero*. Omitto hic exarare votum, cùm mei instituti minimè sit de causis agere.

CIƆIƆCLXV.

Iacobus Lombardus Ferrariensis, dimittente officio Carolo Vincentio de Totis supra memorato, in eius locum die 29. Decembris subrogatus; ac postmodum anno 1667. ad gubernandam Ciuitatem Tiburtinam destinatus fuit. Postea extra Romanam Curiam decessit ann. 1679. in cuius locum fuit substitutus infrascriptus Alexander Maria Carega.

CIƆIƆCLXVI.

Vrbanus Georius Camers; Cæsarij (qui in præsentiarum nostri æui facundo calamo Belgicam describit Historiam) bo: mem. Angeli S.R.E. Cardinalis ex Prospero Fratre Nepotis, filius. Inter plurimas, lectissimasque mentis ingenijque dotes eâ rerum perpendendarum, tractandarumque perspicaciâ præcellit, vt apud Ministros, Legatosque Regios carus euaserit. Oblata munia alijs temporibus vltro recusasse accepimus. Inter Abbreuiatores designatus die 30. Martij, abdicante munere Camillo Ghino, supra descripto, suum Vrbanus dimisit officium, anno 1670. in fauorem Ioannis Dominici Parracciani.

CIƆIƆCLXVIII.

Felix à S.Petro Romanus, inter Abbreuiatores cooptatus, die 28. Iunii, in locum supra laudati Ioan. Pauli Ginetti, postea inter Protonotarios, de numero Participantium etiam adscriptus. Obijt hìc in Vrbe anno 1678. sepultusque in Ecclesia S.Hieronymi de Charitate. In eius locum substitutus fuit Franciscus Barberinus, nunc Eminentissimus Purpuratus.

CIƆIƆCLXX.

Ioannes Dominicus Parraccianus Romanus, in Abbreuiatorum numero adscriptus die 17. Maij, in locum Vrbani Georij officium resignantis: deinde ad gubernandum Populum Beneuentanum electus, quem summâ cum dexteritate, doctrinâ, atque prudentiâ rexit. Ad Curiam reuersus, cùm eius animæ dotes Eminentiss. & Reuerendiss. D. Alderano Card. Cybo satis essent notæ. Eundem, vt eius nomine, Capitulo generali Fratrum Ordinis Minorum S.Francisci de Obseruantia præesset, suasque vices adimpleret, die 28. Maij 1688. deputauit, & delegauit. Sequenti verò anno, mense Iunij, inter Signaturæ Iustitiæ Votantes adscriptus: successiuè, mense Decembris eiusdem anni ab Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Carolo Cardinali Barberino, Basilicæ S.Petri Archipresbytero, eius Vicarius in eadem Basilica etiam deputatus; mox videlicet mense Augusti sequentis anni 1690. inter Sacræ Consultæ Ponentes annumeratus, quibus omnibus in muneribus, illis se dignum præbet.

CIƆIƆCLXX.

Ioannes Franciscus Rota, Nobilis Cremonæ, Sacri Romani Imperij Comes, & Marchio, in Abbreuiatorum numero adscriptus die 19. Iunij, ac in locum Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Francisci Nerlij, tunc electi Archiepiscopi Hadrianopolitani subrogatus. Humanarum literarum gnarus, ac Astronomiæ, & Physicomathe-

mathematicæ excultor, quique cæteras quoque bonas artes in pretio habet, & colit. Anno 1673. sub initio Fauentiam mittitur Gubernator; exinde anno 1675. ad regendam ciuitatem Reatis, difficili tempore, ob Ciuium quorundam simultates, & inimicitias traducitur: mox inde anno 1677. ingruente penuriâ, ad tutandos Sabinenses, gerendamque Prouinciam; atque illinc anno 1678. ad motus quosdam Nursinorum compescendos delegatus. Quæ munia summo cum omnium proborum plausu adimpleuit. In Patriam reuersus pro domesticis componendis negocijs, paulo post à sanct.mem. Innocentio PP. XI. ad Septempedam, & deinde recolendæ semper mem. Alexandro VIII. ad Tiphernatum populum dirigendum, vbi nunc degit, missus est.

CIƆIƆCLXX.

Io.Baptista Silua Mediolanensis in Collegium adscitus, in locum suprascripti Iosephi Vincentij Muti die 28. Iunij; in quo die violaceas vestes non assumpsit, sed 11. Ianuarij sequentis anni: deinde Foroliuiensis Ciuitatis Gubernator, mense Martij 1673. electus fuit: Postea in Ferrariensis Vicelegationis munere per annos quinque, & vltra summâ cum laude se gessit. Obijt Romæ anno 1685. 15. Iunij circa horam 22. ac sequenti die in Iesu Templo huius Vrbis tumulatus.

CƆIƆCLXXII.

Ioseph Barloccius, admissus in Collegium die 16.Iulij, per resignationem Ioannis Buxij. De mense Septembris 1675. ad Tyburtinum gubernandum Populum, vice Eminentissimi Palutij Cardinalis Alterij, eo tempore eiusdem Ciuitatis à sa.me.Clemente PP. X. Gubernatoris destinati, renunciatus fuit. Deinde ad Ecclesiæ Narniensis Infulas suscipiendas die 24. Martij 1683. declaratus. Discessit ab Vrbe ad propriam Ecclesiam die 17. Iulij sequentis, quam, summo cũ populi plausu, ob mãsuetudinem, ac eius erga pauperes animi propensionem, nec nõ ob maximam in Ecclesiasticis rebus vigilantiam, peculiarem in visendis ægrotis curam, ac promptam in aduenas hospitalitatem, vsque ad mensem Decembris ann. 1689. rexit, quo tempore illam liberè in Pontificis manibus dimisit. Post dimissionem huiusmodi à nonnullis

A reuocabatur in dubium quis nam locus, tam in Parco, quàm in Cancellaria eidem concedendus esset. Propterea Collega noster, ad huiusmodi ambiguitatem tollendam, vt Episcopalis dignitas intacta remaneret, dubium hoc Sacræ Rituum Congregationi discutiendum proposuit, à qua sequens deinde resolutio emanauit.

Cùm quæsitum fuerit in Sacrorum Rituum Congregatione, vtrum Abbreuiator Maioris Præsidentiæ Episcopali dignitate insignitus, quamuis posterior in prouisione, præcedere debeat extra Parcum Abbreuia-

B torem non Episcopum, licet anteriorem in sua prouisione: Eadem Sacra Congregatio respondit affirmatiuè: Die 11. Martij 1690.

A. Episc. Ostien. Card. Cybo.

Loco ✝ sigilli.

Laurentius Fliscus Sac.Rit.Congreg. Secr.

Hanc resolutionem in Posterorum memoriam, & documentum apponere duxi.

CIƆIƆCLXXII.

Ioannes Ciampinus Romanus Breuium gratiæ Magister, ac Præfectus Minutarum

C Breuium Iustitię, nec non S. R. E. Vicecancellarij rerum Consistorialium à secretis, literarumque Apostolicarum Prosummator, in Abbreuiatorum albo descriptus, per obitum Nicolai Oregij die 27. Septembris. In fine anni 1689. ab Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Petro Cardinali Otthobono, S. R. E. Vicecancellario, ac S. Laurentij in Damaso Diacono Cardinali, eiusdem insignis Collegiatæ Ecclesiæ Vicarius deputatus, mox à felicis recordationis Alexandro PP. VIII. Sacrarum Congregationum Consistorialis, ac

D Indicis Consultor electus est.

CIƆIƆLXXII.

Alexander Biscacciante della Fonte Eugubinus, in Collegium admissus die 17. Iunij per obitum Ludouici Arbona. Deinde Ariminensis, ac postea Beneuentanus Gubernator electus fuit. In hac autem Ciuitate suum diem clausit extremum die 20. Ianuarij 1686.

CIƆIƆCLXXIV.

Thomas Saladinus Nobilis Asculanus, vacante officio, per decessum Petri Alberini, supra descripti, inter Abbreuiatores annotatus die 29. Decembris; postmodùm

dic

die 23. Iunij 1681. Parmensis Episcopus pronunciatus est. Deinde suum cessit officium Bernardo Antonio Ghezzio mense Ianuarij 1683.

CIƆIƆCLXXV.

Alexander Maria Carrega Ianuensis, cum per obitum Iacobi Lombardi, extra Curiam defuncti, (vt supra narrauimus) vacâsset Abbreuiatoriæ officium, in illud admissus fuit die 3. Iulij; idemque postmodum, mense Iunij 1679. in fauorem Philippi Leti resignauit.

CIƆIƆCLXXVIII.

Franciscus Barberinus, Prænestinæ Ciuitatis Maphæi Principis filius, Francisci Cardinalis Barberini, Sacri Collegij Decani, ac S. R. E. Vicecancellarij Pronepos, in Collegium per Procuratorem cooptatus, die 10. Martij, in locum Felicis à S. Petro, qui decesserat in Curia, deinde inter Cameræ Apostolicæ Clericos adscriptus, præteritoque anno, mense Februarij, eiusdem Apostolicæ Cameræ Auditoris munus eidem collatum, quod communi omnium plausu exercuit, deinde die 13. mensis Nouembris 1690. purpurâ decoratus; cui ipse splendorem aucturus sperandum est; B cùm ex hac Barberina familia, quæ Purpuratorum Seminarium denominari potest, sextus sit Cardinalis, qui in hoc prodijt seculo. Ac ijs imbutus doctrinâ, dexteritate, prudentiâ, ac humanitate, vt nulli secundus Prædecessorum suorum, Deo fauente, erit.

CIƆIƆCLXXIX.

Philippus Letus, Nobilis Spoletanus, bo. me. Nicolai Leti, olim Episcopi Aquependentis Nepos, Liberianæ Basilicæ Canonicus, adscriptus in Collegium die 6. Iunij, cedente supramemorato Alexandro Maria Carrega; præsenti verò anno 1690. in Ciuitate Bononiensi, Vicelegationis munus, summâ cum laude exercet.

CIƆIƆCLXXXIII.

Leonardus Antonius Ghezzi Neapolitanus, Angeli Felicis Ducis Carpineti filius, inter Abbreuiatores cooptatus die 23. Ianuarij, dimittente officio supralaudato Thoma Saladino. Idem Leonardus Antonius violaceum induit habitum, die primâ Aprilis eiusdem Anni: postea anno 1685.

A mense Maij ad populum Ciuitatis Castelli regendum, & gubernandum se cessit: deinde Nursiæ Præses deputatus est. Modò Æsinam Ciuitatem gubernat.

CIƆIƆCLXXXV.

Ioannes de Effectibus Romanus, Abbreuiatorum albo inscriptus, die 4. Nouembris, vacante tunc officio per decessum Francisci Filicaia. Magistri supplicationum munus summa cum vigilantia, ac integritate per plures annos exercuit, & exercet; & cùm adhuc in florida sit ætate, plura de ipso speranda sunt.

CIƆIƆCLXXXIX.

Ioannes Franciscus Gomez Homem Romanus, Balthasaris Lusitani, ex Hispania oriundi, natus, ac Francisci Gomez, Terræ Zollini, in Hidruntina Prouincia Baronis Pronepos, qui de præsenti anno 1690. in Vrbis Flaminia Porta, occasione suspicionis Epidemiæ, ad inuigilandum, à Sacra Consulta deputatus; de hoc nostro Collega sperandum est, quòd olim clarissimorum consanguineorum suorum Ludouici Gomez Sarnensis Episcopi, Sacrique Palatij Apostolici Auditoris, ac Sa- C cræ Pœnitentiariæ Regentis, necnon Antonij Gomez, in Salamanticensi Iuris Ciuilis Primarij Professoris, vestigia imitaturus sit, cùm admodum perspicacis sit ingenij, quique in locum bonæ memoriæ Ioannis Baptistæ Siluæ, in officio Antecessoris, anno 1685. hac in Vrbe defuncti, surrogatus fuit.

CIƆIƆCXC.

Laurentius Vannicellus, Clericus Romanus, in locum bo. me. Alexandri Biscacciantes à Fonte anno 1686. in Ciuitate Beneuentana defuncti in Collegium ad- D missus, die 11. Februarij, qui cùm adhuc primæ ætatis sit, ingenium suum suas, quæ qualitates ostensurus est.

CIƆIƆCXC.

Odoardus de Silua, Clericus Romanus, Equitis Francisci Nicolai de Silua, Comitis S. Petri in Sabinis, per liberam resignationem Illustrissimi D. Francisci Barberini, Collegio nostro ascitus, die 18. mensis Februarij, qui cum vix vigesimum suæ ætatis annum attingerit, magnam de se spem præbet.

PARERGON.

DVM hasce Abbreuiatorum vitas, summatim relatas, typis mandarem, ad meam deuenere notitiam duorum Abbreuiatorum nomina, qui an de Parco Maiori fuerint, vel ne, expiscari minimè potui; nihilominus, quæ de ijsdem reperi, Posterorum memoriæ mandare decreui, vt si, tempore procedente, eosdem de Parco Maiori fuisse, compertum fuerit, sciant, quales ipsi extiterint.

An. CIƆCCCCXC.

Petrus Gormaz Hispanus, Alexandri Sexti familiaris, ab eodem Episcopus creatus est, anno 1498. die 4. mensis Iunij; excessit an. 1515. sepultus iacet in Cathedrali Narniensi, vbi legitur hæc inscriptio:

Petrus Gomaz, Hispanus de Regno Aragoniæ, Dei, & Alex. VI. Pont. Max. gratiâ Episc. Narnien. Scriptor Apostolicus Abbreuiator, Plumbique Collector, ac alijs honoribus, & fortunis honestatus, naturæ debitum excogitans, sacellum hoc suis sumptibus locauit, dotauitque, ac viuens sepulchrum sibi posuit, Incarnationis Dominicæ MDXIII. v. Kal. Iulij, sedente Leone Pont. Max. Pontif. sui anno ij. vixit an. lxx. men. . . . . sedit ann. xvi. mens. ix. dies xvii. Obijt MDXV. xi. Kal. Maij.

Abbreuiatoris huius notitiam desumpsimus ex Vghello, qui illum refert inter Episcopos Narnienses, sub num. 45. at errato cognomine, qui loco Gormaz posuit de Guxman, vt nobis significauit eiusdem Vghelli dignissimus discipulus R. D Abbas Iulius Lucenti, qui Vghelli opera in epitomen redegit, sphalmataque plurima, quæ irrepserant correxit, & opus continuauit; & continuat, speratque quantociùs in lucem esse emissurum.

CIƆIƆIV.

Ioannes Franciscus q. Nicolai q. Vgolini Martelli, Nobilis Florentinus, natus an. 1461. Abbreuiator declaratus an. 1504. à recol. mem. Iulio II. cuius familiaris, ac intimus fuit, eiusdemque supersunt memoriæ in zophoro, super epistylio domus,

A prope Ecclesiam S. Mariæ in Posterula, viâ Vrsi, vbi legitur -- Ioannes Franciscus Martellus Abbreuiator -- Itidem in Ecclesia S. Augustini de Vrbe, in tabula marmorea, humi iacente, ac maiori naue dextrorsum, statim post ingressum regiæ ianuæ, vbi hoc legitur Epitaphium:

Deo. Opt. Max.
Deiparæque Virgini
Sacr.
Io: Fran. Martello Floren. Nobili
Genere oriundo. Apost. Abbr.
Iul. II. Pon. Max. Gratiss. Fortunæ
B Ingenijque bonis abundè ornato
Repentinâ morte erepto septem
Impuberes Liberi Patri Pij SS.
Ac benemer. & dulciss. fratri Nic.
Natu max. Apost. subd. & suis P.
Sacellumque cum dote dd.

Quod sacellum de ordine Sac. Congreg. Visitationis Ecclesiarum Vrbis Pontificatu fel. record. Alexandri PP. VII. dirutum fuit, cùm prope Ianuam maiorem Ecclesiæ, ac propterea in indecenti loco situm esset.

Supra relatas notitias, nos debemus D.
C Philippo Buonarota, qui nobis communicauit.

Hanc familiam, ad præsens, suis magnis virtutibus, ornat Illustriss. ac R. D. Franciscus Martellus Archiepiscopus Corinthiensis, qui olim Vicelegationis munus, in Ferrariensi Ciuitate, summâ cum laude, prout diuersarum vrbium Ecclesiastici Status Gubernia obiuit, postea ad Serenissimum Poloniæ Regem Nuncius, nunc verò Sac. Congreg. Immunitatis Ecclesiasticæ, ac super Controuersijs Iurisdictionalibus deputatę, dignissimus à secretis.

PROTESTATIO AVCTORIS.

SI prænarratorum occaſione aliquod Beatitudinis, ſiue Sanctitatis Epitheton alicui attributum fuerit, cùm id ab alijs Auctoribus deſumpſerim; teſtor propterea, ob narrationem hanc, nullam aliam, quam ſimplicis narrationis, illis præſtandam eſſe fidem. Quoniam omnia, quæ narrantur Sanctæ Apoſtolicæ, atque Romanæ Sedis iudicio (ad quam illorum, qui heroicis in virtutibus excellunt, cognitio ſpectat) me ſubijcere intendo. Igitur decretis iam à ſa: me. Vrbano VIII. Sacrâque Romanâ, & Vniuerſali Inquiſitione, ſuper hoc editis annis 1625. 31. & 34. obtemperare, & conformem me reddere velle obteſtor.

INDEX

Nominum, & Cognominum Illustrissimorum DD. Abbreuiatorum, qui aliquam Dignitatem obtinuerunt.

L. Mar-

Hie-

C. Bru-

Gubernatores Vrbis.

Abbreuiatores, qui vti tales interfuerunt Concilijs Generalibus.

Abbreuiatores de Curia.

Auditores Cameræ.

Chri-

INDEX
COGNOMINVM
Marioris Præſidentiæ Abbreuiatorum.

Cata.

de Pi-

INDI-

I N D I C V L V S

Nonnullorum Præclarorum Virorum, ac selectarum rerum, qui in Abbreuiatorum Vitis laudantur, ac enarrantur.

Iaco-